CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII, UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT

COMMENTARIUS

IN

S. PAULI

PRIOREM EPISTOLAM AD CORINTHIOS

AUCTORE

RUDOLPHO CORNELY S. I.

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIORUM IN NOV. TEST. PARS II

IN

LIBROS DIDACTICOS

II

PRIOR EPISTOLA AD CORINTHIOS

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

S. PAULI APOSTOLI

EPISTOLAS

AUCTORE

RUDOLPHO CORNELY S. I.

II

PRIOR EPISTOLA AD CORINTHIOS

Cum approbatione Superiorum

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1890

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQUE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est « *Commentarius in Epistolas S. Pauli, auctore P. Rudolpho Cornely,* S. I., Vol. II.; *Prior epistola ad Corinthios* », aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis, die 5 martii 1890.

L. S. ANT. MAR. ANDERLEDY,
Praep. generalis S. I.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 22 martii 1890.

FRANCISCUS, CARDINALIS RICHARD
Archiepiscopus Parisiensis.

PRIOR EPISTOLA AD CORINTHIOS

PROLEGOMENA.

1. *Quae fuerint ecclesiae corinthiae initia*[1].

In secunda sua expeditione apostolica (*Act.* 15,40-18,22) S. Paulus, quum ecclesias in meridionalibus provinciae Galatiae partibus iam antea fundatas visitasset, in aliis vero Asiae Minoris terris Evangelium annuntiare a Spiritu S. prohibitus esset, Troade visione divina, ut Macedonas adiuvaret, invitatus cum sociis suis Silvano (Sila), Timotheo, Luca in Europam traiecit. Felici cum successu Philippis, Thessalonicae, Beroeae verbum Dei propagavit; at paucis post mensibus insidiis persecutionibusque Iudaeorum Macedoniam sociis relictis defugere et in Achaiam transire coactus, quum Athenis fructus quos speraverat non invenisset, exeunte a. 52. solus Corinthum advenit ibique sedem suam fixit.

Urbs haec, quae saec. 3. et 2. a. Chr. tamquam caput concilii Achaeorum reliquas civitates graecas opibus scientiisque ita superaverat, ut Ἑλλάδος ἄστρον (*Polystr. 2)*, lumen totius Graeciae (*Cic.* p. leg. Man. 5) appellaretur, a L. Mummio destructa quidem devastataque erat (a. 146.), sed centum annis postea (a. 44.) a Caesare restituta (Colonia Iulia Corinthus) et paullo post (a. 27.) per Augustum caput provinciae Achaiae constituta (Colonia Iulia Augusta Corinthus) illo tempore, quo S. Paulus advenit, pristinam opulentiam et celebritatem non tantum recuperaverat, sed superaverat. In Isthmo Peloponnesi enim inter duo maria, ionium et aegaeum, oportunissime sita (unde Κόρινθος ἀμφιθάλασσος *Poll.* 9,17, Corinthus bimaris *Ovid.* Metam. 5,407 etc.) atque duobus optimis portibus instructa erat, quorum unus, Lechaeon, in mari ionio italicis navibus, alter, Cenchreae, in mari aegaeo asianis stationi erat. Hinc una cum Alexandria et Thessalonica integrum fere totius imperii romani commercium arripuerat atque mercatura et divitiis non solum sed literis quoque artibusque, imprimis rhetorum et philosophorum studiis, sorores suas longe superaverat (*S. Chrys.* in 1 Cor. hom. 1,1; cfr *Sueton.* Tiber. 34 etc.). At

1. *Act.* 18,1-18; cfr meam *Introduct. special.* in Novi Test. libros p. 432 sqq. (*Compend. Introd.* p. 548 sq.)

etiam morum corruptela, libidine luxuriaque inter omnes imperii urbes ita erat famosa, ut verbo κορινθιάζεσθαι vita luxuriosa libidinosaque designaretur et Dio Chrys. eam omnium, quae sunt et quae fuerunt, civitatum cultui Aphroditae deditissimam, i. e. in omnium libidinum intemperantia effusissimam, appellaret. Celeberrimum enim in Acrocorintho, urbis arce, Aphrodite Pandemos habebat fanum, in quo mille scorta deae suae inserviebant in libidinem populi sese prostituentia.

Ager igitur praedicationi apostolicae parum foecundus Corinthus esse videbatur, at laetissima messis Apostolo ibi erat praeparata, quum « Deo multus populus esset in civitate illa » (*Act.* 18,10). Multos quidem colonos italos, qui restitutam civitatem incolerent, Caesar et Augustus miserant, at graecae originis longe maior erat incolarum numerus; graeca erat lingua vulgaris, graecae literae, graeci mores, graecae quoque leges, quamvis inde ab Augusti tempore proconsul romanus ibi sedem suam haberet. Cum Graecis vero et Italis mercatores omnium fere nationum vastissimi imperii erant permixti; multi praesertim Iudaei Corinthum, uti reliqua imperii emporia, incolebant eorumque numerus auctus est, quando paucis mensibus antequam Paulus Corinthum advenit, Claudius imperator cunctos Iudaeos ex Italiae finibus expulerat (*Sueton.* Claud. 25).

Inter eos, qui illa in occasione ex Urbe Corinthum transmigrarant, Aquila quidam, Ponticus genere, eiusque uxor Priscilla erant, qui Romae iam, ut videtur, christianam fidem receperant. Quoniam eandem, quam ipse, scenofactoriam artem exercebant, Apostolus apud eos domicilium suum constituit; uti enim plerisque in civitatibus (cfr 1 *Thess.* 2,9; 2 *Thess.* 3,7 sqq.; *Act.* 20,34 etc.), Corinthi quoque a neophytis, inter quos laborabat, sustentari noluit, ne eos gravaret, sed manuum suarum labore victum quotidianum quaesivit (4,12; 2 *Cor.* 11, 7 sqq.). Per totam igitur hebdomadem arti suae vacabat, sabbatis vero in synagoga Iudaeis eorumque proselytis Evangelium annuntiabat; eum enim morem ubique tenebat, ut prius Iudaeis verbum Dei offerret, ad ethnicos autem sese verteret, quum Iudaei illud respuissent (cfr *Act.* 13,46 sqq.; *Rom.* 1,16 etc.). At Corinthi non minus, quam aliis in civitatibus, Iudaei illud repulerunt indignosque sese iudicarunt aeternae vitae; atque ne tunc quidem, quando Paulus a Sila et Timotheo, qui ex Macedonia reversi eleemosynas Philippensium ei attulerant (2 *Cor.* 11,9; *Phil.* 4,15), adiutus maiore cum libertate praedicationi vacare coeperat, inter eos multum profecit. Quin etiam tumultus excitarunt Iudaei, quibus Apostolus synagogam relinquere coactus est; mundum igitur sese proclamans ab eorum sanguine in domum synagogae vicinam, quae proselyto cuidam, Titio Iusto, erat,

secessit ibique ethnicis Evangelium annuntiavit. Haud multi Iudaei eum erant secuti; praeter Aquilam et Priscillam solus archisynagogus Crispus, quem Paulus ipse baptizaverat (1,14), eiusque familia nominantur; quin tamen plures fuerint, non est dubium. At opimiorem messem inter ethnicos invenit; quum enim crescentibus difficultatibus perterritus esset, animus ei ab ipso Deo additus est, qui multum sibi in hac civitate populum esse revelavit; ac revera « multi Corinthiorum audientes credebant et baptizabantur ». Divino enim auxilio sibi promisso fretus per annum et sex menses Corinthi commoratus est; nec civitatis limitibus eius zelus continebatur, sed per totam Achaiam ecclesias fundavit, quarum corinthia erat velut centrum et mater (*cfr ad* 1,2; 2 *Cor.* 1,1; 1 *Thess.* 1,7 sq.; *Rom.* 16,1). Neophyti plerique quidem pauperes erant rudesque; nonnulli tamen etiam ex nobilibus, potentibus, sapientibus civibus fidem receperunt nascentique ecclesiae sese adiunxerunt (*cfr ad* 1,26 sqq.). Ex quorum numero illos fuisse arbitramur, quos Paulus in suis epistolis nominat: Stephanas, Achaiae primitiae, eiusque familia (1,16; 16,15), duo alii Corinthiorum legati, Fortunatus et Achaicus (16,17), Caius, apud quem in tertio suo itinere hospitabatur (1,16; *Rom.* 16,23), Erastus, civitatis arcarius (οἰκόνομος *Rom.* 16,23); Chloës quoque familia (1,11) ex nobilioribus fuisse videtur, atque ex eorum numero, qui literis scientiisque exculti erant, procul dubio prodierunt factionum, quae postea exortae sunt, duces. Octodecim igitur mensium spatio fundata est ecclesia corinthia, quae maximam partem ethnicis conversis constabat (*cfr* 12,2), sed etiam nonnullos neophytos iudaicos complectebatur.

Iamvero fieri non potuit, ut laeta haec nascentis ecclesiae incrementa Iudaeos obstinatos, Evangelii hostes infensissimos, non irritarent; mirum ergo non est, quod Corinthi eodem modo, quo in Macedonia et Asia, Apostolum, etiamsi synagogam reliquerat, persecuti eiusque labores impedire conati sint. Itaque ineunte a. 54. eum ante tribunal Gallionis proconsulis rapuerunt, « quia contra legem persuaderet hominibus colere Deum »; at irriti fuerunt eorum conatus. Proconsul enim, antequam Paulus causam dicere coeperat, Iudaeos de sola lege mosaica violata conqueri perspiciens accusatorem Sosthenem archisynagogum (*cfr ad* 1,1) ita repulit, ut adstantes eundem praesente proconsule percutere non dubitarent. Nihilominus Apostolus, ut vehementem seditionem sedaret, ad tempus Corinthum relinquendam duxit nova expeditione apostolica in Illyriam, ut videtur, suscepta [1]. Quo ex itinere post paucos menses redux ecclesiam in

1. Iter illyricum (*Rom.* 15,18) a S. Luca in Actibus silentio praetermissum, si ad eius

felici statu primi fervoris non amplius invenit; in tristitia enim se ad eos revertisse innuit (2 *Cor.* 2,1 sqq.); cum severitate scilicet abusus quosdam, qui serpere iam coeperant, reprimere atque hac ratione neophytos tristitia afficere coactus erat. *Multos dies* hac secunda vice usque ad auctumnum a. 54. commoratus demum per Ephesum Ierosolyma et Antiochiam reversus est.

Post eius vero discessum ecclesiae vix natae iam mox multa graviaque pericula imminebant, quorum praecipuum dissensiones constituebant aliis doctoribus Corinthum advenientibus Evangeliumque annuntiantibus exortae. Cum Paulo enim Ephesum usque Aquila et Priscilla profecti ibi Iudaeum invenerunt Alexandrinum quendam, Apollo (Ἀπολλώς i. q. Ἀπολλώνιος) nomine, qui quamvis vix primis fidei rudimentis esset imbutus, ut solum sciret baptisma Ioannis, fervens tamen spiritu magna cum eloquentia doctrinam christianam docebat. Quod quum animadvertissent, eum dogmata fidei accuratius edocuerunt profecturumque in Achaiam fratribus corinthiis commendarunt. Corinthi vero agrum a Paulo plantatum irrigare incipiens (3,4) « contulit multum his qui crediderant; vehementer enim Iudaeos revincebat publice ostendens per Scripturas, Iesum esse Messiam » (*Act.* 18,24-27); quo ex praedicationum argumento haud sine probabilitate colligere nobis videmur, Apollo etiam in synagoga Evangelium annuntiasse atque Iudaeorum certum numerum Evangelio esse lucratum. Quum vir dicatur eloquens et potens in Scripturis, probabile quoque est, eum non tantum graecae eloquentiae magis, quam Paulum, sese accommodasse, sed etiam ex allegoricis Scripturae interpretationibus, quibus Iudaei alexandrini delectabantur, argumenta sua desumsisse (*cfr ad* 1,12). Qui sublimior, ut putabatur, et eloquentior docendi modus nonnullis neophytis ita arrisit, ut Apollo tamquam virum doctiorem et eruditiorem primo suo magistro et patri Paulo praeferrent. Hinc prima discordiarum semina, quae tamen, quamdiu

modum narrandi attendimus (cfr *Introduct. special.* in Nov. Test. p. 161; *Comp. Introd.* p. 497), nullibi aptius, quam inter *Act.* 18,17. et 18. inserimus. Eadem enim ratione, qua *Act.* 9,19. 23 duae commorationes damascenae (per dies aliquot, multi dies), inter quas inseratur oportet iter arabicum (*Gal.* 1,17), distinguuntur, etiam duae commorationes corinthiae (annum et sex menses, adhuc dies multi *Act.* 18,11. 18) innuuntur, quae itinere quodam separatae erant. Porro Apostolus, antequam epistolas suas Corinthiis scriberet, bis iam Corinthum advenerat (2 *Cor.* 12,14; 13,1); unum solum autem ante epistolas scriptas a Luca narratur; nam illud, de quo *Act.* 19,21 et 20,2 agitur, omnibus fatentibus idem est, quod 1 *Cor.* 16,5 sqq. promittitur et 2 *Cor.* 13,1 tertium nominatur. Quod vero Apostolus triennio illo, quo Ephesi resedit, excursionem in Achaiam fecerit, id a multis quidem asseritur, sed cum *Act.* 20,31 aegerrime conciliatur; illis enim verbis breves quidem excursiones in civitates Asiae, Epheso vicinas, non excluduntur, longius vero iter in aliam provinciam prorsus excludi videtur.

Apollo Corinthi erat, non videntur germinasse; quamdiu vero remanserit, ignoramus, siquidem id unum constat, eum antequam Paulus priorem hanc epistolam scripsit, iam dudum Ephesum esse reversum (16,12). Germinare autem et pullulare coeperunt, quando pseudapostoli iudaizantes, qui omnes ecclesias a Paulo fundatas perturbabant, Corinthum advenerunt. Quamquam enim in ecclesia, in qua Iudaeochristianorum numerus non erat magnus, circumcisionem et legis mosaicae observantiam postulare non audebant, Petri (Cephae) tamen nomen et auctoritatem celebrantes dignitatem apostolicam Pauli deprimere et impugnare atque praerogativas privilegiaque Iudaeorum decantare coeperunt (*cfr* 9,1 sqq.; 15,9 sq.; 2 *Cor*. 10.-12.). Neophytos, qui ex circumcisione venerant, contribulibus suis aures praebuisse, facile intelligitur, atque verisimile est, etiam nonnullos cum illis Ethnicochristos Paulo magnos Apostolos, quos novi doctores celebrabant (2 *Cor*. 10,5), anteposuisse et se quoque Petri esse gloriari coepisse. Unde factum est, ut et alii sese istius doctoris, quem praeferebant, esse dictitarent, atque tres exorirentur factiones, quae a Paulo, Apollo, Cepha sese denominarent (*cfr ad* 1,12).

Aperti igitur schismatis periculum ecclesiae corinthiae imminebat, quod non parum auctum est, quum eodem tempore alia vitia quaedam inter fideles latius serperent apertiusque se proderent. In anteriore quadam epistola, quae hodie deperdita est[1], Apostolus neophytos monere iam debuerat, ut fratrum, qui fornicationi essent dediti, societatem fugerent (*cfr ad* 5,9); ad quod monitum quum Corinthii dissensionibus suis distenti non attendissent, res paullatim eo est deducta, ut non tantum aliqui fornicationem velut rem indifferentem apud se excusare conarentur (*cfr ad* 6,12 sqq.), sed etiam unus, qui novercam in matrimonium ducere attentaverat, in ecclesia retineretur (*cfr ad* 5,1 sqq.). Praeterea inter se litigabant causasque suas ad ethnicos iudices deferre non dubitabant (*cfr ad* 6,1 sqq.), in coetibus sacris licentiae et negligentiae indulgebant (11,1 sqq.; 11,17 sqq.), de variis doctrinae capitibus disceptabant (7,1 sqq.; 8,1 sqq. etc.), charismata ad ostentationem potius quam ad ecclesiae utilitatem quaerebant et adhibebant (12,1 sqq.) etc. Quamvis igitur multi neophyti corinthii magnis illis laudibus, a quibus Apostolus epistolam exorditur (1,4 sqq.), digni essent, universa tamen ecclesiae conditio satis erat tristis atque periculum aderat, ne aliqui a fide plane deficerent.

1. De conficta epistola, qua falsarius quidam deperditam supplere voluit, cfr *Introduct. gener.* in U. T. libr. sacr. p. 217.

2. *Quae epistolae 1 ad Corinthios sit origo et indoles*[1].

Interea S. Paulus pro apostolica sollicitudine, qua fideles per Evangelium in Christo a se genitos velut nutrix fovebat et velut pater educabat, ecclesiae corinthiae, quamvis absens, invigilare non cessavit. Etenim verno tempore a. 55. tertiam suam expeditionem apostolicam ingressus (*Act.* 18,23) peragratis mediterraneis Asiae Min. terris Ephesum pervenerat, ubi in florentissima hac provinciae Asiae ecclesia fundanda integrum fere triennium posuit ab aestate a. 55 usque ad festa paschalia a. 58. terminata (*Act.* 19,8. 10; 20,31; 1 *Cor.* 4,19; 5,7; 16,8). Qua in urbe, cui frequentissimum erat cum Achaia commercium, res corinthias facile rescivit; neque enim dubitari potest, quin non tantum per Apollo ex Achaia reducem (16,12) et per Chloes familiam (1,11), sed etiam per alios fratres advenientes de ecclesiarum achaicarum conditione certos nuntios acceperit. Quibus permotus in anteriore illa epistola, quam deperditam esse diximus, fideles a fornicariorum societate retrahere iam studuerat; ingravescente autem schismatis periculo, quum ipse eo tempore Ephesum relinquere non posset (16,8), duos discipulos, Timotheum et Erastum, in Macedoniam missurus priorem iter Corinthum usque pergere iussit, ut ecclesiam illam visitaret neophytosque ad meliorem frugem revocaret (4,17; *Act.* 19,22). Antequam vero Timotheus Corinthum pervenerat (16,10 sqq.), tres legati corinthii, Stephanas, Fortunatus, Achaicus, Ephesum advenientes Apostolo literas ecclesiae attulerunt. Prima enim, ut videtur, Pauli epistola, quae fornicarios evitari iusserat, dubium quoddam, num ethnici quoque fornicarii vitandi essent, provocaverat; quod dubium proponentes varia simul doctrinae capita, de quibus inter se disceptabant, ei subiecerunt, ut eius iudicio definirentur. Per legatos autem tristem quoque ecclesiæ conditionem accuratius didicit; quare perterritus ipse quidem Corinthum nondum proficisci voluit, ne praesens severius in nonnullos agere cogeretur (2 *Cor.* 1,23), sed periculo gravissimo gravissimam epistolam opponendam esse censuit.

Haec igitur Paulo fuit occasio scribendae epistolae, quam hodie 1 Cor. appellamus; scripta autem est Ephesi (16,8. 19) brevi ante festa paschalia (*cfr ad* 5,8) a. 58. In omnibus fere epistolarum paulinarum catalogis secundum quidem locum obtinet et 2 Cor. tertium; iuxta temporis tamen, quo scriptae sunt, rationem non nisi quartus et quintus eis debentur; certum enim est, duas epistolas ad Thess. iam in se-

1. Cfr *Introd. special.* in N. T. p. 436 sqq. (*Compend. Introd.* p. 549).

cundo apostolico itinere tempore illo, quo Paulus in fundanda corinthia ecclesia erat occupatus, esse scriptas, atque eidem itineri origo quoque epistolae ad Gal. rectius attribuitur; quodsi alii eandem Ephesi in tertio itinere scriptam esse censent, nobiscum tamen consentiunt eam epistolis ad Cor. esse antiquiorem. At propter dignitatem ecclesiae corinthiae, quae eadem ratione, qua romana, duos principes Apostolorum, Petrum et Paulum, fundatores habuisse gloriabatur (*S. Dion. Cor.* apud *Euseb.* H. E. II. 24), duae epistolae ad eam datae insigniorem locum obtinuerunt epistolaeque ad Romanos, quae temporis ordine sexta fuit sed semper primum locum tenuit, immediate sunt subiunctae[1].

Porro in nostra epistola scribenda Apostolus duplicem sibi proposuit finem; neophytos enim corinthios a vitiis, quibus dare sese coeperant, revocare et interrogationibus ab ecclesia ei propositis respondere debuit. Cui duplici fini duae respondent partes, quae praeter exordium et epilogum apte distinguuntur. Quoniam in commentario nexum, quo quum sententiae tum sectiones cunctae inter se colligantur, quam diligentissime et accuratissime investigare et explicare studuimus, hoc loco summa quae tractantur capita schemate quodam descripsisse sufficiet[2].

Exordium (1,1-9) lectores praeparat, ut defectuum suorum increpationem facilius accipiant.

Pars prior (1,10-6,20) vitia Corinthiorum reprehendit. Agit autem
1. de eorum dissensionibus et schismatis (1,10-4,21),
2. de peccatorum societate non vitata (5,1-13),
3. de litibus ad iudices ethnicos delatis (6,1-11).
4. de fornicatione et impudicitia (6,12-20).

Pars altera (7,1-15,58) quaestiones Corinthiorum solvit, quae erant
1. de matrimonio et coelibatu (7,1-40),
2. de idolothytorum usu (8,1-11,1),
3. de mulierum in coetibus sacris habitu (11,2-16),
4. de decoro in agapis observando (11,17-34),
5. de recta charismatum aestimatione (12,1-14,40),
6. de futura iustorum resurrectione (15,1-58).

Epilogus (16,1-24) res quasdam minoris momenti praeter salutationes apostolicamque benedictionem continet.

Inter paulinas epistolas non est alia, quae tanta, quanta nostra, argumentorum varietate sit insignis. In plerisque enim (cfr *Rom.*,

1. Cfr *Introd. special.* in N. T. p. 381 sqq. (*Compend. Introd.* p. 533 sq.).
2. Plenam epistolae analysim dedimus in *Introd. spec.* in N. T. p. 437-447 et in opusculo, cui titulus *Analyses* librorum sacrorum Nov. Test. p. 88-100.

Hebr., Gal., Eph. etc.) Paulus unam dogmaticam doctrinam demonstrat et explicat additis nonnullis monitis, quae ecclesiae, cui scripsit, utiliora aut magis necessaria esse duxit; in hac vero multa et diversa doctrinae christianae capita quum dogmatica tum ethica accuratius tractari, enumeratio mox proposita satis docet. Praeter quae multas alias doctrinas (ex. gr. de supranaturalitate evangelicae disciplinae, de sacrificio eucharistico, de reali praesentia, de unitate Ecclesiae, de virtute caritatis etc.) occasione data non tam attingit quam diligenter explanat et demonstrat; multa quoque et praeclara de primorum Christianorum vita et moribus, potissimum de eorum coetibus religiosis, nos edocet. Qua argumentorum varietate procul quidem dubio iucundissima et utilissima redditur epistola, at explicationis quoque difficultas augetur, quae eam ob causam iam satis magna est, quia Apostolus primis suis lectoribus haud pauca continuo usu cognita supponere potuit ac debuit, quae nos ignoramus neque nisi magna cum difficultate ex magis minusve obscuris indiciis eruere debemus. Eadem autem Patribus quoque non amplius erant cognita; quia vero, ut ea explicarent, Patres ad suae aetatis mores ritusque ecclesiasticos, ac si iidem iam tempore apostolico adfuissent, recurrerunt, aliquoties verba apostolica interpretationibus suis historicis obscurarunt potius quam illustrarunt. Ceterum dicendi genere in hac epistola, si paucae sententiae anacoluthicae aut aliquantulum contortae excipiuntur, facili et claro utitur, atque idearum nexus ubique fere manifestus est et perspicuus.

De eius authentia dicere vix opus est; praeclarioribus enim, quam omnes alii Novi Test. libri, testimoniis genuina demonstratur, siquidem duo immediati Apostolorum discipuli, *S. Clemens Rom.* et *S. Polycarpus Smyrn.* eam disertis verbis Paulo Apostolo attribuunt[1]. Quibus alios testes addere eo magis est superfluum, quo clarius et evidentius integra paulinum characterem spirat cum iisque, quae de corinthiae ecclesiae initiis ex Actibus Apost. aliisve e fontibus innotuerunt, accuratius consonat. Quapropter etiam ab omnibus ecclesiis pro genuino Pauli opere semper est habita, atque eius authentia adversarios, qui attentione sint digni, neque inter antiquos haereticos (Marcionem et Gnosticos etc.) nec inter modernos rationalistas et « criticos » invenit. Quae enim ante aliquos annos a *Br. Bauer* (Kritik der paulin. Briefe.

1. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 47 : « Epistolam B. Pauli in manus sumite; quid primum vobis in principio evangelii scripsit? Divinitus profecto illustratus de se ipso, de Cepha et de Apollo ad vos literas dedit, quia etiam tunc inter vos factiones et partium studia erant » etc. Paullo post (1 Cor. 49) Pauli hymnum de caritate (13,7) imitatur. *S. Polycarp.* ad Philipp. 11. « Nescitis, sanctos mundum esse iudicaturos, sicut Paulus (6,2) docet? »

II. Leipzig 1851; Christus u. die Caesaren. 1877) et recentissime a *B. Lomann* (Quaestiones paulinae; Paulus en de Kanon. Theolog. Tijdschr. Leyden 1882. 1886) ad apostolicam omnium epistolarum paulinarum originem impugnandam sunt allata, ea ab omnibus iure merito ridentur nec ab ipsis « criticis » refutatione digna habentur.

3. *Quibus subsidiis criticis et exegeticis usi simus.*

Quoniam iuxta *S. August.* (Doctr. christ. II. 14) « codicibus emendandis primitus debet invigilare sollertia eorum, qui Scripturas nosse desiderant », nostra autem Vulgata Clementina, quamvis egregia sit, genuina Apostoli verba non ubique accurate reddit, una cum latino textu integrum graecum ex antiquissimo et optimo, qui superstes est, codice (Vaticano) singulis sectionibus praemisimus[1]; etenim « libros Novi Test., inquit *S. Aug.* (l. c. II. 15), si quid in latinis varietatibus titubat, graecis cedere oportere, non est dubium ». Attamen graecarum quoque lectionum magna est varietas; quapropter annotationes criticas subiecimus, quibus antiquiorum codicum graecorum antiquarumque versionum varietates praecipuas et graviores indicavimus; quamquam enim longe pleraeque satis leves sunt neque universum epistolae sensum mutant, aliquae tamen pleniori et perfectiori sententiarum et argumentationum Apostoli intelligentiae et explicationi haud parum inserviunt. Quae ut ad diiudicandam textus Clementini auctoritatem maiore cum securitate adhiberentur, codicum versionumque aetatem atque notas, quibus in criticis commentariis designari solent, adscribere non inutile esse duximus[2].

Inter Novi Testam. CODICES GRAECOS UNCIALES saeculo 10. antiquiores supersunt quindecim, qui aut integram epistolam nostram aut maiora minorave eius fragmenta continent. Integram eam habent : ***Vaticanus*** saec. 4. (B), ***Sinaiticus*** saec. 4. (א), ***Alexandrinus*** saec. 5. (A), ***Mosquensis*** saec. 9. (K), ***Angelicus*** saec. 9. (L), ***Porfirianus*** saec. 9. (P), et quatuor graecolatini, qui bini consentiunt : ***Claromontani*** saec. 6. (D) enim apographum saec. 9. exaratum est ***Sangermanensis*** (E), atque ***Augiensis*** seu ***Cantabrigiensis*** (F) et ***Boernerianus*** (G) ex eodem archetypo saec. 9. descripti sunt. Fragmenta multa exhibet ***Ephraem rescr.*** saec. 5. (C); pauciora habent codex quidam papyraceus saec. 5. (Q), ***Coislinianus*** saec. 6. (H), ***Petropolitanus*** palimps. saec. 6. (J), ***Hamburgensis*** saec. 9. (P). CODICES GRAECI MINUSCULI fere tre-

1. Textum Vaticani imprimendum curavimus iuxta *Valent. Loch* Novum Testamentum (Ratisbonae 1862) iis practermissis, quae editor ad textum complendum inseruit.

2. Testimonia critica dedimus iuxta *C. Tischendorf* Novum Testamentum graece. (Editio critica 8. maior. II. Lipsiae 1872); illa, quae de aetate codicum adscripsimus, ex eodem opere desumsimus.

centi exstant, qui epistolam nostram continent; omnes saeculo 10. sunt recentiores omnesque fere iuniorem illam textus recensionem exhibent, quae quia in regno byzantino vulgata erat, *byzantina* vocatur. Ex paucis minusculis illa graeci Testamenti forma desumta est, quae in editionibus longe plerisque inde a saec. 16. typis descripta est (*textus receptus*)[1].

VERSIONES ANTIQUAE sunt *Itala* saec. 2. (*It.*), quae a S. Hieronymo exeunte saec. 4. emendata nunc est *Vulgata* (*Vulg.*); Vulgatae autem codices antiquissimi sunt Fuldensis saec. 6. (*Fuld.*), Amiatinus saec. 8. (*Am.*), Toletanus saec. 8. (*Tol.*), Demidovianus saec. 9. (*Dem.*), Harleiensis saec. 9. (*Harl.*) etc.[2]; — *Syriaca* vel Peschito saec. 2. (*Syr.*); — *Copticae* saec. 3. sunt tres, memphitica, sahidica, baschmurica, quae si consentiunt nomine *Copt.*, si dissentiunt suo quaeque nomine citantur; sahidica tamen et baschmurica integrae non sunt cognitae; — *Aethiopica* saec. 4. vel 5. (*Aeth.*); — *Gothica* saec. 4. fragmenta (*Goth.*); — *Armeniaca* saec. 5. (*Arm.*)[3].

Praeter *Tischendorfii* editionem 8. maiorem etiam consuluimus editiones criticas *Car. Lachmann* (Berolini 1842-1850) et *Westcott Hort* (London 1881. 1882).

Inde a primis fidei temporibus multi Patres et theologi epistolas S. Pauli innumeris fere commentariis, homiliis, scholiis illustrare coeperunt, quorum ex numero, quum omnes recensere non possimus, eos enumerabimus solos, quibus in commentario exarando usi sumus. Satis magna iam est eorum copia; namque quoniam id maxime nobis erat propositum, ut non tam novam quam certam (quantum eius fieri potuit) epistolae explicationem daremus, omnium aetatum praecipuos interpretes, quos Ecclesia vel usus diuturnus approbavit, consulere voluimus. Hac nimirum ratione id nos obtenturos sperabamus, ut traditionali interpretatione accuratius cognita et perspecta non tantum cunctas illas explicationes efficacius tueremur, quae, quia consensu fere unanimi et continuo traditae sunt, genuinum apostolicorum verborum sensum exhibere recte dicuntur, sed inter dissentientes quoque opiniones eam facilius securiusque discerneremus et eligeremus, quae utpote verae proxima reliquis est anteponenda; ab uno enim auctore, qui interdum satis levis est auctoritatis, non paucas explicationes in recentioribus et modernis commentariis pervulgatas dependere inveniemus, si in historiam interpretationis difficiliorum sententiarum diligentius investigaverimus.

1. Cfr *Introduct. gener.* in U. T. p. 305 sqq. (*Compend. Introd.* p. 77).
2. De romanis Vulgatae correctionibus atque editionibus auctoritate Sixti V. (*Vulg. Sixt.*) Clementis VIII. (*Vulg. Clem.*) in lucem datis cfr *Introd. gener.* p. 460-479 (*Compend. Introd.* p. 115-118).
3. De versionibus antiquis fuse egimus in *Introd. gener.* p. 257 sqq. (*Comp. Introd.* p. 91 sqq.).

Haec igitur opera in hoc commentario adhibita sunt[1].

1. Ex PATRIBUS GRAECIS : S. IOANNIS CHRYSOSTOMI (*Chrys.*) homiliae quadraginta quatuor (Migne Patrol. graecae tom. 61) eiusdemque liber de Virginitate (M. 48); *S. Cyrilli Alex.* (*Cyr.*) fragmenta explanationis (M. 74); THEODORETI CYR. (*Theod.*) interpretatio (M. 82), quibus ex iunioribus Graecis addidimus *Oecumenii Tric.* (*Oec.*) commentarium (M. 118) et *Theophylacti Bulg.* (*Theoph.*) explanationem (M. 124); *S. Ioan. Damasceni* (*Dam.*) locos selectos (M. 95) quoque aliquoties consuluimus, plerumque tamen praetermisimus, quia solas *Chrys.* homilias excerpsit.

2. Ex PATRIBUS LATINIS : *Ambrosiastri* (*A[ter]*) commentarius inter S. Ambrosii opera receptus eiusque nomine frequenter ab antiquioribus allegatus (Migne Patrol. latinae tom. 17); *Pelagii* (*Pel.*) vel saltem Pelagiani alicuius commentarius, qui ab antiquioribus S. Hieronymo attribuebatur eiusque nomine allegabatur (M. 30), *Primasii Adrum.* (*Prim.*) commentaria (M. 68), *Sedulii Scoti* (*Sed.*) Collectanea (M. 103). Quibus *Walafr. Strabonis* Glossam ordinariam (*Gl. ord.*) et *Anselmi Laudens.* Glossam interlinearem (*Gl. int.*) utpote ex Patrum operibus excerptas, adiunximus.

Praeter hos tamen Patres graecos et latinos, qui soli nobis commentarios in hanc epistolam reliquerunt, alios non neglegimus, qui data occasione aliquas epistolae sententias explicarunt. Inter quos eminet S. AUGUSTINUS, qui omnes fere difficiliores textus in suis epistolis aut operibus dogmaticis et oratoriis tractat cuiusque explicationes multae in Glossam ordin. receptae non tantum mediae aetatis sed etiam recentioris et recentissimi temporis interpretationem quasi regunt; quapropter in eas maiore cum diligentia inquisivimus. Eadem ratione ex graecis *Origenem*, *S. Athanasium*, *S. Basilium* etc., ex latinis *Tertullianum*, *S. Hilarium Pictav.*, *S. Ambrosium*, *S. Hieronymum* haud raro consuluimus.

3. Ex INTERPRETIBUS SAEC. 9.-15. : *Haymonis Halberst.* (*Hay.*) expositio (M. 117); *Hugonis a S. Victore* (*H Vict.*) quaestiones et decisiones (M. 175); *Hervei Burdig.* (*Herv.*) commentarius, ab antiquioribus nomine *S. Anselmi Cantuar.* frequenter allegatus (M. 181); *Petri Lombardi* (*Lomb.*) collectanea (M. 192); *Hugonis a Caro* (*H Car.*) Postilla; S. THOMAE AQUIN. (*Thom.*) commentarius; *Nicolai Lyrani* (*Lyr.*) Postilla; *Dionysii Carthusiani* (*Dion.*) commentaria.

4. Ex INTREPRETIBUS SAEC. 16.-18., qui S. Pauli epistolis praecipuam curam impenderunt : *Cardin. Caietani* (*Cai.*) literalis expositio (Romae 1529); *Ioan. Gagnaei* (*Gagn.*) brevissima scholia (Parisiis 1543); *Alph. Salmeronis* (*Salm.*) commentarii in evangelicam historiam etc. (Matriti 1598-1602) vol. 14.; BENED. IUSTINIANI (*Iust.*) explanationes (Lugduni 1612); GUL. ESTII (*Est.*) commentarius (Duaci 1614); *Bern. a Piconio* (*Pic.*) triplex expositio (Parisiis 1703); *Natalis Alexandri* (*Nat.*) commentarius literalis (Neapoli 1741). Ex iis, qui integram Scripturam exposuerunt, frequentius con-

1. Cfr quae de Paulinarum interpretibus disseruimus quum in *Introd. gener.* p. 644 sqq., tum in *Introd. spec.* in N. T. p. 579 sqq. (*Compend. Introd.* p. 150 sqq.; 583 sq.).

suluimus *Emman. Sa* annotationes (Antw. 1598), CORN. A LAPIDE (*Lap.*) commentarios (Antwerpiae 1614), *Ioannis Marianae* (*Mar.*) scholia (Matriti 1624), *Steph. Menochii* (*Men.*) brevem explicationem (Coloniae 1630), *Iac. Tirini* (*Tir.*) commentarium (Antwerpiae 1632), *Iacobi Gordon* (*Gord.*) commentarium (Parisiis 1632), *Augustini Calmet* (*Calm.*) commentarium (Paris 1707 sqq.).

5. EX HUIUS SAECULI INTERPRETIBUS : *I. Mac Evilly* (*M Ev.*) An exposition of the epistles of S. Paul (Dublin 1856. Ed. 3. 1875); *Aug. Bisping* (*Bisp.*) Erklaerung des ersten Korintherbr. (Ed. 2. Münster 1863); *Adalb. Maier* (*Mai.*) Commentar über den ersten Korintherbr. (Freiburg 1857); *Val. Loch* et *W. Reischl* (*L R.*) Die h. Schriften des N. T. (Ed. 3. Regensburg 1885); *P. Drach* (*Dr.*) Épitres de S. Paul (Paris 1871); *P. Rambaud* (*Ramb.*) Les épitres de S. Paul analysées (Paris 1888).

ACATHOLICOS quoque interpretes aliquos saepius contulimus, ne quid neglexisse videremur. Adhibuimus autem duos antiquiores : *I. Chr. Wolfii* (Wolf.) curas philolog. et criticas in S. Pauli epistolas (Basileae 1741) et *A. Bengel* (*Beng.*) Gnomonem Novi Testam. (Ed. 3. Tubingae 1763); recentes vero quinque : *H. A. Meyer* Krit. exeget. Handbuch zum Neuen Test. V. Ed. 7. curavit G. Heinrici (*Mey.*, vel *Mey Heinr.*, vel *Heinr.* — Göttingen 1888), *Chr. F. Kling* Korintherbriefe. Ed. 3. curavit *C. Braune* (*Kl.* vel *Kl Br* — Bielefeld 1876), *F. Godet* (*God.*) Commentar. (Aus dem Französ. von Wunderlich. Hannover 1887), *G. Schnedermann* (*Schn.*) Kurzgefasster Commentar (Nördlingen 1887), *S. Goebel* (*Goeb.*) Neutestamentl. Schriften. III. (Gotha 1887). Ex iisdem aliorum acatholicorum, quorum nomina aliquoties allegamus, sententias opinionesque desumsimus.

COMMENTARIUS.

EXORDIUM EPISTOLAE (1,1-9).

Duabus sectionibus, uti in plerisque epistolis paulinis, exordium constat : inscriptione (1,1-3) et gratiarum actione de bonis ecclesiae corinthiae a Deo concessis (1,4-9).

I. — *Inscriptio* (1,1-3).

1,1. *Paulus vocatus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, et Sosthenes frater,* 2. *ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco, ipsorum et nostro.* 3. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.*

1,1. Παῦλος κλητὸς ἀπόστολος Χριστοῦ Ἰησοῦ διὰ θελήματος Θεοῦ, καὶ Σωσθένης ὁ ἀδελφός, 2. τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ, κλητοῖς ἁγίοις, σὺν πᾶσιν τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν παντὶ τόπῳ, αὐτῶν καὶ ἡμῶν. 3. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ [1].

Antiquam epistolarum inscriptionem (cfr *Act.* 23,26) Apostoli omnes, excepto S. Iacobo (*Iac.* 1,1; cfr *Act.* 15,23), ita mutarunt, ut bona, quae fidelibus precabantur, sententia completa exprimentes inscriptioni ipsi sola nomina eorum, qui epistolam dabant quibusque erat destinata, reservarent. Ceterum ex more antiquo (cfr 1 *Mach.* 12,6 etc.) nominibus titulos dignitatis suae addiderunt : 1. *Paulus vo-*

1. *VV. LL.* — 1. κλητός (*vocatus*) est communior lectio; vocabulum immerito omittunt A D E et aliqui *It.* codd. — ἀπόστολος Χριστοῦ Ἰησοῦ (i. e. Apostolus Messiae, qui est Iesus) B D E F G, pauci minusc., *Vulg.* (*Fuld.*, *Am.*, *Tol.*); sed reliqui testes cum *Vulg. Clem.* : ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ (*Apostolus Iesu Christi*). — 2. Ordinem verborum : τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ, κλητοῖς ἁγίοις (ecclesiae Dei, sanctificatis in Christo Iesu, quae est Corinthi, vocatis sanctis) cum B D E F G et nonnullis *Ital.* codd. ordini *textus recepti* et *Vulg.* praeferendum ducimus (cfr *Comment.*).

catus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, et Sosthenes frater. Quibus in verbis haud pauci interpretes polemicam quandam vel apologeticam rationem deprehendunt : « Apostolus omnia, quae haeresibus contraria sunt, ponit ac se verum praedicatorem per id, quod a Deo missus est, asseverat » (*A*[ter]; *cfr Chrys. Theod. Dam. Oec., Gl. ord. Rhab. H Car. Dion. Iust. Calm. Bisp. L R. Dr.* etc. — Acath. aliqui); alii tamen aut tacite (*Cyr. Pel. Thom. Cai.* etc.) aut diserte (*Est. Mai.* etc.) eiusmodi rationem adesse rectius negant. Apostolum enim Iesu Christi per voluntatem Dei Paulus in aliis quoque epistolis sese appellat, in quibus de polemico vel apologetico fine ne cogitari quidem potest (2 *Tim., Tit., Col., Eph.*); sin vero contra adversarios apostolicam suam dignitatem defendendam censuit, fortius eam asseruit (*Gal.* 1,1). Itaque *vocatum Apostolum* (cfr *Rom.* 1,1) sese vocat, non ut ad reliquos Apostolos velut adscititium se accessisse indicet (*Cai. Calm.* etc.), sed ut dignitatis suae originem explicet; immediate enim a Christo, uti reliqui, est ad apostolatum vocatus (*Act.* 26,16; 22,21; *Rom.* 1,4. 5; cfr *Ioan.* 6,70; 15,16, etc.) nec illis ullo modo hac ratione inferior. Addens autem, *per voluntatem Dei* se esse vocatum, non tantum ultimum fontem, ex quo ei gratia haec advenit (*Gal.* 1,15 sq.), indicare voluit [1], sed simul innuere, necessitatem praedicandi sibi esse impositam (*cfr* 9,16).

Porro nomini suo addit nomen *Sosthenis fratris* pro more, quem in multis epistolis tenuit (1, 2 *Thess.*, 2 Cor., *Phil., Col., Philem.*), ut unum ex discipulis velut alterum epistolae auctorem sibi associaret. Evidens autem est, non eadem ratione utrumque esse auctorem, sed Sosthenem, qui apostolus non fuit, sed frater appellatur utpote eadem fide iisdemque laboribus Paulo coniunctus (*cfr.* 2 *Cor.* 1,1 *Paulus Apostolus... et Timotheus frater*), ideo nominari, quia illa, quae Paulus scripsit et antea cum eo contulit, approbavit atque velut sua quoque Corinthiis scribi voluit. Additum igitur Sosthenis nomen non tam modestiae paulinae est documentum (*Chrys.*), quam magnae auctoritatis, qua vir ille inter fideles corinthios pollebat, argumentum (*Sed.*).

Quis vero Sosthenes fuerit, ignoramus. Corinthi Sosthenes quidam archisynagogus, uti ex Lucae narratione moderni interpretes recte colligunt, praecipuus fuit Pauli adversarius, qui coram Gallione proconsule Apostolum accusavit (*Act.* 18,17); iam vero fieri potuit, ut illa tribulatione ad

1. Optime *Cyr.* : « Missum se ait Paulus a Christo beneplacito (εὐδοκίᾳ) Dei Patris; id enim significari existimo verbis : *per voluntatem Dei.* Quia enim per Filium voluntas et operatio Patris est (δι' Υἱοῦ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ἐστὶν τοῦ Πατρός;), per eundem item sanctos apostolatui destinatos esse dicimus ».

fidem adductus Paulo sese adiunxerit discipulum. Alius Sosthenes in Scripturis non nominatur; *Eus.* (H. E. I. 12) vero, si Sosthenem aliquem inter septuaginta discipulos recenseri dicit, nomen illud ex nostra inscriptione desumtum esse clare indicat. Olim nonnulli Sosthenem Apostolo contentiones aliaque vitia Corinthiorum retulisse suspicati sunt (*Thom. Lyr. Dion.* etc.); quae suspicio fundamento caret, siquidem alii nominantur, per quos Paulus de ecclesiae corinthiae conditione certior est redditus (1,11; 16,15 sqq.). Eum in inscriptione nominari, quia utpote vir scribendi peritissimus has literas dictante Paulo exaraverit, alii coniecerunt (*Est. Bisp. Ramb.* etc. — *Reuss* etc.), sed erronee; interdum enim Apostolus in inscriptione duos discipulos (1, 2 Thess. 1,1) aut multos fratres (*Gal.* 1,2) sibi associat, sed discipuli, qui epistolam literis exaravit, nomen praetermittit (*Rom.* 16,22).

Suo sociique nominibus Apostolus ex antiquo more immediate nomen eius, cui destinata est epistola, subiungit : 2. *ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum et nostro.* Ἐκκλησία concionem populi ad res publicas tractandas convocati (ἐκκαλέω) proxime significat (*Act.* 19,32. 39. 40); ab alexandrinis interpretibus autem non tantum populi concio vocatur ἐκκλησία (קָהָל 2 *Par.* 7,8; 30,13, etc.), sed ἐκκλησία Κυρίου (ecclesia Domini) eis integer est populus speciali modo a Deo collectus eique proprius (קְהַל יְהוָֹה *Deut.* 23,1. 3 etc.). Simili sensu vocabulum a Novi Test. scriptoribus est transumtum ad Christianorum coetum designandum sive universum (15,9; *Eph.* 5,23 etc.) sive particularem aut in certo loco exsistentem (*ecclesia, quae est Corinthi*) aut ex certa hominum classe collectum (ecclesia gentium *Rom.* 16,4) aut certum in locum, ut divinum cultum celebret, sese congregantem (domestica ecclesia 16,19). Ecclesia Christi autem vocatur (*Rom.* 16,16), quia ab eo est fundata (cf. *Matth.* 16,18), aut Ecclesia in Christo (*Gal.* 1,22), quia in eius nomine et fide est unita unumque cum eo, tamquam capite suo, corpus constituit, aut *Ecclesia Dei*, uti hoc in loco, quia, quum sanguine Filii sit acquisita (*Act.* 20,28), Deo vere est propria ad eumque tota tendit. Sed vocatur etiam Ecclesia sanctorum (14,33) non tam, quia membra eius ad sanctitatem anhelare debent, quam quia sunt *sanctificati in Christo Iesu*, i. e. baptismo ab omni immunditie purgati, a mundo hoc segregati, divino servitio consecrati et tamquam Christi membra Deo sanctissimo intime coniuncti. Iam vero haec sanctificatio Christianis ea propter maxime competit, quia universalis Ecclesiae Dei sunt membra; atque hanc ob causam Apostolus hanc appositionem iuxta lectionem, quam praeferendam esse diximus (cfr

VV. LL.), indicationi loci (*quae est Corinthi*) praemittit; est enim vera universalis Ecclesiae definitio; quare etiam alias epistolas, vocabulis *ecclesiae Dei* praetermissis, inscribit « sanctis, qui sunt Ephesi » (i. e. ecclesiae Dei, quae est Ephesi. *Eph.* 1,1; *Phil.* 1,1 *Col.* 1,1 [1]). Neque vero fideles sibi suisve meritis sanctificationem istam debent, sed ad eam « per gratiam vocationis pervenerunt » (*Thom.*), ideoque Apostolus addidit : *vocatis sanctis,* ut Corinthiis primam illam gratiam in memoriam revocaret.

Porro non solis fidelibus in civitate Corinthi degentibus, sed omnibus totius Achaiae ecclesiis epistolam esse destinatam docet alterum membrum : *cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri I. Chr. in omni loco ipsorum et nostro.* Namque dubium non est, quin hac circumlocutione idem exprimatur, quod pressius et clarius in alterius epistolae inscriptione dicitur : « ecclesiae Dei, quae est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia » (2 *Cor.* 1,1). Revera sollemnem formulam, qua in Vetere Test. cultus Domino (Iahve) publice exhibitus designatur (קָרָא בְּשֵׁם יְהוָֹה *Alex :* ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου, *Vulg. :* invocare nomen Domini *Gen.* 4,26; 12,8; 13,4, etc.), primi Christiani ad se ipsos designandos ita usurpabant, ut nomini *Iahve* (Domini), quum Iesum esse Deum illis persuasum esset, nomen *Iesu* substituerent (*Act.* 9,14 etc.). Ne quis vero putaret, epistolam omnibus totius orbis Christianis (invocantibus nomen Iesu) destinatam esse, Apostolus expressionem limitavit descriptis locis, in quibus illi, quos prae oculis habet, degunt : *in omni loco ipsorum et nostro.* Quibus verbis « universas ecclesias provinciae Achaiae » designari, recte iam docuit *Pel.; ipsorum* enim vel *eorum* (αὐτῶν), i. e. Corinthiorum, vocantur ecclesiae Achaiae, quia Corinthus erat provinciae metropolis; *nostras* vero Paulus et Sosthenes eas appellant, quia ipsi eas fundaverant.

Cum hac *Pel.* explicatione consentiunt *Sed. H Car. Thom.* (« *in omni loco ipsorum*, i. e. eorum iurisdictioni subiecto, *et nostro*, quia per hoc, quod subiiciebantur episcopo civitatis, non eximebantur a potestate Apostoli »), *Lyr. Dion. Cai. Mai. L R*[2] *Dr. Ramb.* etc., quibus accedunt aliqui acatholici (*Mey. Raeb. Br.* etc.). Aliarum explicationum haud parva est varietas : *a.*) Sunt, qui totam phrasin (*cum omnibus... nostro*) vocabulis immediate praecedentibus (*vocatis sanctis*) adnectentes ultimoque

1. Consueta lectio (*ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis*), quum duas appositiones synonymas (sanctificatis in Chr. I., vocatis sanctis) eidem nomini (ecclesiae, quae est Corinthi) subiungat, tautologica esse videtur. Tautologia autem evitatur, si cum altera lectione prior appositio (sanctificatis in Chr. I.) priori nomini velut definitio vel explicatio subiungitur (Ecclesiae Dei i. e. sanctificatis in Chr. I.), altera vero (vocatis sanctis) toti phrasi (« ecclesiae Dei, sanctificatis in Chr. I., quae est Corinthi » i. e. ecclesiae corinthiae) adnectitur.

membro (*in omni loco ipsorum et nostro*) universalem sensum attribuentes Paulum dixisse censeant : « vos, Corinthii, non estis soli vocati, sed una cum omnibus totius orbis Christianis »; universalitate enim et unitate Ecclesiae asserta Apostolum studium partium in ecclesia corinthia reprimere voluisse arbitrantur (*Theod. L R*[1]. *Bisp.* etc. — *Grot.* aliique acath. non pauci). Cui explicationi non tantum usus praepositionis σύν in similibus inscriptionibus (2 *Cor.* 1,1; *Phil.* 1,1) et erronea ultimi membri expositio (de qua statim dicemus), obstant, sed etiam hypothesis parum probabilis, in inscriptione iam Apostolum finem suum polemicum expressisse. — *b.*) Alii integram phrasin cum sequente versu connectunt : « Non solis vobis Corinthiis, inquit, gratia et pax, sed una cum omnibus, qui invocant Christum, in quocumque loco aut illi sunt aut vos estis » (*Oec.* cfr *Chrys. Dam. Theoph. Est*[1]. etc.). Quae explicatio nec ad grammaticam constructionem nec ad Pauli verba et mentem satis attendit. — *c.*) Alii in tota sententia coniungenda nobiscum consentientes in ultimo membro universalem Ecclesiam describi putant, ut non tam solis fidelibus Achaiae, quam omnibus ubique terrarum Christianis epistola sit destinata. At Apostolum determinatas ecclesias prae oculis habuisse, tota epistola clamat. Itaque multi et egregii interpretes pronomina αὐτῶν καὶ ἡμῶν (*ipsorum et nostro* vel *nostri*) ad verba τοῦ Κυρίου ἡμῶν I. Χρ. trahunt, ac si Paulus se ipse corrigens dicere voluisset : « nomen Domini *nostri* Iesu Christi, neque tamen Iesus est *noster* (Pauli et Sosthenis) tantum Dominus, sed est Dominus *eorum* omnium, qui eum invocant in omni loco, et *noster* » (*Chrys. Theod. Oec.*[3]. *Theoph.*[1]. *Gagn. Iust. Lap. Calm. M Ev.* — Acathol. haud pauci). Quae explicatio et structuram phrasis negligit et sensum parum aptum praebet; neque enim quisquam suspicari potuit, Paulum Iesum velut suum ipsius solius Dominum designare voluisse. Alii explicant : « in omni loco *ipsorum*, i. e. ethnicorum conversorum, et *nostro*, i. e. Iudaeorum » (*Cyr. Alter Est*[2]. — Aliqui acath.). Sed in hoc contextu quid Ethnicochristianorum et Iudaeochristianorum distinctio sibi velit, equidem non video. Alii : « in omni loco, in quo et illi sunt, qui invocant Dominum N. I. Chr., et in quo nos (Paulus et Sosthenes) sumus (*Theoph.*[2] *Bisp.* etc. — Acath. pauci). Sed Ephesi, qua ex urbe Paulus scribit et in qua iam per triennium magno cum fructu laboraverat, vix pauciores, quam in Achaia, Christiani erant (16,19 sqq.). Alias nonnullas explicationes plane absurdas praetermittimus.

Inter apostolicarum epistolarum auctores solus S. Iacobus ex antiquo more fidelibus dicit χαίρειν, spirituale utique, id quod sequentia eius verba docent, gaudium illis exoptans (*Iac.* 1,1 sqq.; *Act.* 15,23); reliqui mutata antiqua formula dona supranaturalia, quae fidelibus precantur, disertius indicant phrasique completa exprimunt, quae cum inscriptione grammatice non est connexa. Pauli formula consueta, quam in solis pastoralibus epistolis aliquantum mutat est elliptica : 3. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.* Ellipsis facile suppletur addito aut : « augeatur » vel « abunde contingat » (πληθυνθείη 1, 2 *Petr.* 1,2; *Iud.* 2) aut : « erit » vel « sit » (ἔσται 2 *Ioan.* 2). *Gratia* (χάρις) divinum quidem favorem benevolentiamque singularem, qua Deus hominem iustum complectitur, interdum significat (*Luc.* 1,30 etc.), sed in nostra formula, qua gratia ἀπὸ τοῦ Θεοῦ esse

dicitur, hoc sensu non recte a nonnullis acath. (*Mey. Zoeckl.* etc.) sumitur; significat enim, uti plerumque, gratuitum Dei beneficium ad aeternam salutem conducens. Nec ulla est ratio, qua ambitum vocabuli hoc in loco restringere cogamur [1]; Apostolus enim fidelibus exoptat omnia beneficia supranaturalia, quibus ad vitam vere christianam agendam capaces redduntur quorumque fructus iam hac in terra est *pax* illa, quam mundus dare nequit, Dominus vero discipulis suis reliquit (*Ioan.* 14,27 *cfr* 20,21 etc.) eosque fidelibus precari iussit (*Matth.* 10,12). Quae dona, utpote supranaturalia, procedunt *a Deo Patre nostro,* cuius filii sumus per adoptionis gratiam, *et a Domino Iesu Christo,* qui secundum divinam suam naturam est una eademque cum Patre causa efficiens gratiae et pacis, secundum humanam autem naturam eorundem beneficiorum est causa instrumentalis et meritoria [2].

Iuxta *Thom.* verba : ***a Deo Patre nostro***, sumi possunt « essentialiter pro tota Trinitate, quae dicatur ***pater noster***, quia nomina importantia relationem ad creaturas communia sint toti Trinitati; addi autem monet verba : ***et Domino Iesu Chr.***, non quod sit alia persona a tribus, sed propter humanam naturam, per cuius mysterium ad nos dona gratiarum perveniant » (in *Rom.* 1,7). Quae licet verissima sint, altera tamen explicatio ***Thom.***, iuxta quam nomine Dei Patris nostri designetur « persona Patris, quae secundum proprietatem dicatur Pater Christi, sed secundum appropriationem pater noster », merito praefertur atque etiam scriptione ***Vulg. Clem.*** (Deo Patre) insinuatur. Revera graeci interpretes ex hac formula contra Arianos aequalitatem Patris et Filii demonstrare solent, quia eadem omnino ratione, quum Apostolus una eademque praepositione ἀπό de utraque persona utatur, gratia et pax a Patre et a Filio dari dicantur (***Chrys. Theod.*** etc.). Altera est verborum graecorum (ἀπὸ τοῦ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου 'Ι. Χρ.) interpretatio : « a Deo patre nostro et Domini Iesu Christi »; at vix ullum invenit laudatorem atque iure reiicitur; ad istum enim sensum exprimendum Paulus alium verborum ordinem elegisset neque nomen Domini secundo in loco posuisset; ceterum aliae exstant similes formulae, quibus haec explicatio prorsus excluditur (***Eph.*** 6,23; ***Tit.*** 1,4; 2 ***Thess.*** 1,1 etc.).

1. Id quod facere videtur ***Thom.*** : « *gratia* est primum inter Dei dona, quia per eam iustificatur impius; ***pax*** est ultimum, quod in beatitudine perficitur... et sic per haec duo alia bona media intelliguntur ». De prima iustificationis gratia in hac formula vix cogitari potest.

2. Bene ***Cyr.*** : « Fideles Apostolus coronat gratia, quae est a Deo Patre et a Domino I. Chr. Per ipsum enim et in ipso omnia dantur a Deo Patre, ipseque una cum Genitore suo collator est et communicator supernorum bonorum et cunctorum coelestium charismatum distributor; ipse pacem cunctis conciliat gratia sua illuminans Principatus et Thronos et Potestates, uno verbo omnes creaturas ratione praeditas ».

II. — *Gratiarum actio* (1,4-9).

1,4. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Iesu :* 5. *quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia;* 6. *sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis,* 7. *ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Iesu Christi,* 8. *qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Iesu Christi.* 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius, Iesu Christi Domini nostri.*

1,4. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν ἐπὶ τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ τῇ δοθείσῃ ὑμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, 5. ὅτι ἐν παντὶ ἐπλουτίσθητε ἐν αὐτῷ, ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει, 6. καθὼς τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ ἐβεβαιώθη ἐν ὑμῖν, 7. ὥστε ὑμᾶς μὴ ὑστερεῖσθαι ἐν μηδενὶ χαρίσματι, ἀπεκδεχομένους τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, 8. ὃς καὶ βεβαιώσει ὑμᾶς ἕως τέλους ἀνεγκλήτους ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ. 9. πιστὸς ὁ Θεὸς, δι' οὗ ἐκλήθητε εἰς κοινωνίαν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν [1].

In omnibus epistolis ad ecclesias datis, sola illa ad Gal. excepta, Paulus inscriptioni actionem gratiarum adiungit, qua non tantum gratum suum animum manifestat, sed simul fideles ad similes gratias agendas invitat : « nos, inquit *Chrys.*, ab huiusmodi verbis semper incipere docet et ante omnia Deo gratias agere; nihil enim tam amat Deus, quam ut grato animo simus et pro nobis et pro aliis »; ac profecto « is demum meretur accipere nova, quae petit, qui de acceptis largitori Deo gratias agit » (*Est.*). Attamen gratiarum haec actio interdum benevolentiae captatio quaedam videtur esse; in nostra saltem epistola Apostolum laudibus ecclesiae corinthiae, quas gratiarum actioni inseruit, viam sibi ad neophytos vituperandos praeparasse, censent plerique. (*Chrys. Theod.* : « accusaturus demulcet aures prius, ut medicina facilius suscipiatur », *Oec.* etc. *Thom. Lyr.* etc.).

De duobus autem gratias agit, quorum prius iam concessum esse scit, alterum concessum iri confidit : Deus enim Corinthios muneribus suis ita iam ditavit, ut aliis non sint inferiores (4-7) et pro fidelitate sua illos usque in finem in gratia conservabit (8.9).

A generali igitur gratiarum actione exorditur : 4. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Iesu.* Ardente caritatis affectu commotus Apostolus « quod commune

1. *VV. LL.* — 4. τῷ Θεῷ sine pronomine addito B ℵ et *Aeth.*; rectius reliqui testes : τῷ Θεῷ μου (*Deo meo*) cfr *Rom.* 1,8; *Phil.* 1,3; *Philem.* 4. — 8. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου (in die Domini) B ℵ A C L P, omnes fere minusc., *Syr. Copt.*, *Aeth.*, *Arm.*; sed ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Κυρίου (in adventu Domini) D E F G et *It.* (*A*ter, *Cass.* etc.) : *Vulgata* demum utramque lectionem quasi coniungit : *in die adventus Domini.* Ob testium auctoritatem prima lectio praeferatur oportet (*cfr* 3,13; 5,5; 2 *Cor.* 1,14; *Phil.* 1,6. 10 etc.), sed omnibus lectionibus idem dies designatur.

erat rapiens sibique proprium faciens » (*Chrys.*) Deum, quocum arctissimo et indissolubili caritatis vinculo coniunctus est (*Rom.* 8,38 sqq.), vocat Deum *suum* [1] eique gratias se agere dicit *semper* (πάντοτε), i. e. actu quidem, quotiescumque Deum precatur (*Rom.* 1,10 πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου, quo sensu recte *Lyr. Dion.* etc. : « omnibus horis ad orandum congruis et deputatis »), habitu autem sine ulla intermissione, quia beneficiorum divinorum semper memor semper quoque erat erga Deum animo gratissimo (cfr *Thom.*) ; verbum εὐχαριστεῖν vero utrumque complectitur : gratias agere et gratias habere. Porro gratias agit *pro* (περί i. e. *de*) Corinthiis et speciatim *in gratia Dei* (i. e. *propter* gratiam Dei [2]), *quae data est eis in Christo.* Graeci interpretes monent, *in Christo* hic idem esse quod *per* Christum, additque *Chrys.* in hac locutione praepositionem ἐν non esse minus quam διά. Immo vero locutio *in Christo* plus dicit, quam *per Christum;* palmes, quamdiu in vite manet, per vitem quidem, sed simul in vite succum suum vivificantem recipit; itaque expressio *in Christo* fidelium cum Christo unionem connotat atque ostendit, Paulum de illis gratiis loqui, quas Corinthii utpote iam cum Christo uniti acceperant.

Atque ita se rem habere, docent sequentia, quibus a generali sententia ad specialem transiens Apostolus mentem suam explicat : 5. *quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia.* Baptismate enim in Christum inserti cum illoque uniti *in illo* et per illum *in omnibus* (ita *Vulg.* recte reddit graecum : ἐν παντί, *cfr* 2 *Cor.* 6,4, ubi illud ἐν παντί etiam distributive exponitur) gratiis abundare coeperunt. Ex quibus duae singillatim nominantur, quia cum summo prioris sectionis argumento arctius cohaerent : ditati

1. Cfr *Chrys.*, ad cuius fere mentem *Dion.* : « Licet sit omnium Deus, tanto tamen specialius et singularius Deus est uniuscuiusque ipsum colentis, quanto ab eo devotius colitur ardentiusque amatur. Unde et princeps theologorum [Ps.] Dionysius in libris suis vix dicere audens : *Deus meus* sic dicit : *Deus, et si fas est dicere, meus.* Propterea non quorumlibet, sed perfectorum ferventer amantium est dicere *Deus meus.* Fortiter tamen proficientes ex quadam humili confidentia dicere possunt *Deus meus;* alii passim illud non dicant, nisi in persona Christi hominis, Ecclesiae seu perfectorum ». — Tripliciter tamen Deum, etsi omnium sit Deus per creationem et gubernationem, a iustis vocari Deum suum adnotat *Thom.* : « propter specialem curam, quam de eis gerit, propter specialem cultum, quem illi exhibent, propter speciale praemium, quod eis praeparavit ».

2. Pro *in gratia* A^{ter} aliique antiqui Latini accuratius : *super gratia;* graece enim est ἐπὶ τῇ χάριτι. Ceterum *Vulg.* sensum causalem, qui in eiusmodi locutionibus praepositioni ἐπί competit, plerumque latino *in* cum abl. reddit (cfr *Luc.* 5,5 ἐπὶ τῷ ῥήματί σου *in verbo tuo* [i. e. propter verbum tuum], *Act.* 3,16 ἐπὶ τῇ πίστει *in fide*, *Rom* 5,12 ἐφ' ᾧ *in quo* etc.); interdum eum accuratius exprimit : 2 *Cor.* 5,4 ἐφ' ᾧ *eo quod*, *Matth.* 19,9 ἐπὶ τῇ πορνείᾳ *ob fornicationem*, 1 *Cor.* 13,6 χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ *gaudet super iniquitate* sed 16,7 Χαίρω ἐπὶ τῇ παρουσίᾳ *gaudeo in praesentia* etc. Textus igitur *Vulg.* non est mutandus, sed iuxta eius loquendi modum recte explicandus, uti etiam *Rom.* 5,12. *Phil.* 3,12 etc.

enim erant neophyti *in omni verbo et in omni scientia*, i. e. « in verbo doctrinae et in intelligentia eorum, quae ad salutem pertinent » (*Thom.*); neque enim tantum omne verbum i. e. universam doctrinam evangelicam audierant et receperant, sed etiam tanta eius scientia erant ornati, ut eius rationem reddere possent. Quam cognitionis et scientiae abundantiam non temere asseri, ex modo, quo Evangelium Corinthi praedicatum est, demonstratur : 6. *sicut* (i. e. siquidem[1]) *testimonium Christi confirmatum est in vobis.* Nomine *testimonii Christi* intelligi praedicationem Apostolorum, qui Christi erant testes de eoque testimonium reddebant (*Act.* 1,8; 26,16; 2 *Tim.* 1,8 etc.), certum est; iam vero Paulus ad ipsorum Corinthiorum experientiam quodam modo provocat, quippe qui viderint, apostolicam praedicationem Corinthi non solis miraculis externis (*Theod.*) nec solis internis gratiis (*A^ter*) sed « signis et gratia ineffabili » (*Chrys.*) confirmatam esse, ita ut eorum fides et obiective et subiective profundas radices agere potuerit : « fidei in Christum igitur confirmatio eis argumentum erat sermonis et scientiae » (*Oec.*).

Quantae demum sint divitiae Corinthiis a Deo concessae, comparatione corinthiae ecclesiae cum aliis instituta Apostolus explicat : 7. *ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Iesu Christi.* Verba haec cum *v.* 5. intime cohaerent, ita ut *v.* 6. sit parenthesis quaedam : tam divites facti estis, ut nihil vobis desit etc. Latina sententia tam ampla est, ut haud pauci eam limitandam esse censuerint : alii itaque explicant, Corinthiis nihil defuisse in ulla gratia ad salutem necessaria (*Gl. ord. H Car. Dion.* etc.), alii de gratiis gratis datis, quas Corinthi abundasse constat (*cfr infra* 12,1-14,40), sermonem esse volunt (*Thom. Cai. Iust. Est.* etc.). At facilis est explicatio iuxta textum graec., quem minus accurate et clare *Vulg.* reddit : ὥστε ὑμᾶς μὴ ὑστερεῖσθαι ἐν μηδενὶ χαρίσματι, « ita ut vos (aliis ecclesiis vel fidelibus) inferiores non sitis in ulla gratia ». Etsi vocabulum χαρίσματος adhibetur, de solis gratiis gratis datis Apostolum non cogitasse, docent verba addita : *exspectantibus revelationem Domini N. I. Chr.* Tamquam tales enim, qui revelationem (ἀποκάλυψιν) i. e. secundum Domini iudicis adventum (2 *Thess.* 1,7; 1 *Petr.* 1. 7. 13 cfr *Rom.* 2,5) cum desiderio, quod ex firma fide et certa spe exoritur, exspectant[2], inferiores aliis non sunt in ulla gratia.

1. Graeca particula καθώς, quae hic legitur, sensum causalem vel potius explicativum interdum admittit, ut latino *quippe* vel *siquidem* respondeat; eundem sensum latinus interpres particulae *sicut* aliquoties attribuit; cfr *Rom.* 1,28; *Eph.* 1.4; *Phil.* 1,7 etc.

2. Graecum verbum ἀπεκδέχεσθαι, quod *Vulg.* latino *exspectare* reddere solet, a profanis

Verba *v.* 5 ; *in omni verbo et in omni scientia* de cognitione et intelligentia Evangelii cum *A*[tro] *Thom.*[2] *Mai. Bisp. L R.* etc. explicavimus. Nec dubium est, quin λόγος (verbum vel sermo) sive addito nomine Θεοῦ (14,36; *Luc.* 5,1; 8,11 etc.) aut Χριστοῦ (*Col.* 3,16) aut vocabulo τῆς ἀληθείας (*Eph.* 1,13) etc., sive sine ullo additamento (*Gal.* 6,6; 1 *Thess.* 1,6; 2 *Thess.* 4,2 etc.) evangelicam doctrinam haud raro significet, atque 2 *Cor.* 8,7 ita inter πίστις et γνῶσις media interponatur, ut de cognitione Evangelii intelligi debeat; apostolico igitur loquendi usui explicatio nostra consonat. — Iuxta plerosque tamen « significat Apostolus Corinthios donis cognoscendi divina et eadem *apte explicandi* esse ditatos » (*Est.*, cfr *Chrys. Oec. Theoph. H Car.*[2] *Lyr.*[2] *Dion.*[2] *Cai. Lap. M Ev. Dr.* etc. — Multi acath.). Sed si *verbi* nomine in hoc loco donum eloquentiae designatur, non intelligitur, quid expressio *in omni verbo* (ἐν παντὶ λόγῳ in *quovis* verbo) sibi velit, quum Apostolus de variis eloquentiae speciebus certe loqui nolit: neque apparet, cur Paulus ὑστεροπροτέρῳ usus eloquentiae donum dono scientiae praemiserit, quum eius interpretes logica duce ordinem quasi sua sponte invertant cognitionique primum locum attribuant. — Alii expressionem *in omni verbo* de dono linguarum intelligunt (*Theod. H Car*[1]. *Thom*[1]. *Lyr*[1]. *Dion.*[1] *Calm. Ramb.* etc.); contra quos optime monet *Est.*, nusquam λόγον pro dono linguarum in Scripturis accipi, nec donum linguarum a Paulo tanti aestimari, ut illud velut summum beneficium primo in loco ponere potuerit.

Interrogat *Chrys.*, quomodo Apostolus Corinthios, si in omnibus gratiis atque maxime in doctrinae evangelicae cognitione et intelligentia tam profecerint, ut aliis non sint inferiores, *carnales* vocaverit (3,1 sqq.); respondet autem : « haec dicit illis, qui adhuc erant probi; erant enim ibi multi sancti, qui ad ministerium pauperum se constituerant et fuerant primitiae Achaiae (16,15) ». Haec quidem satis recte; universae enim ecclesiae, in qua multi laude, alii vituperio erant digni, epistola scribitur. Neque tamen nobis probantur, quae *Chrys.* addit : « ceterum laudes, etsi non omnino veritati consonant, prudenter tamen adhibentur, ut viam praeparent ad ea quae dicenda sunt » (sc. ad vituperia); meris enim adulationibus viam ad Corinthios vituperandos sibi aperire Apostolo non licuit. Velut regulam statuit *S. Aug.* (ad Paulin. ep. 149,20) : « Scripturae mos est ita loqui de parte tamquam de toto; sicut Corinthios in primis epistolae suae partibus ita laudat Apostolus tamquam omnes laudabiles sint, quum essent laudabiles quidam eorum; et postea in nonnullis ipsius epistolae partibus ita reprehendit, tamquam omnes culpabiles essent, propter quosdam, qui tales erant. Istam Scripturarum consuetudinem per omne eius corpus frequenter sparsam quisquis diligenter adverterit, multa dissolvet, quae inter se videntur esse contraria ». Quem morem explicans scite *A*[tor] : « in una plebe duobus populis scribit, ut, quum arguit, mali sciant sibi haec esse scripta; similiter et quum laudat, sciant, qui in regula manent, ad se haec dici ».

Postquam de donis iam collatis gratias Deo egit, Apostolus etiam de illis, quae Deum Corinthiis collaturum esse confidit, gratias persolvere, vel iuxta alios ab actione gratiarum ad nova petenda dona transire voluit. Cui enim prima iam accepta debentur, idem ille est Deus,
8. *qui et confirmabit vos usque in finem, sine crimine in die* (*adventus*)

scriptoribus vix umquam, in N. T. haud infrequenter adhibetur. Fortius quam ἐκδέχεσθαι assiduam et patientem exspectationem exprimit, quae ad finem usque non cessat; firmam igitur fidem et certam spem supponit. Cfr *Rom.* 8,25 : si quod non videmus *speramus, per patientiam exspectamus* (ἀπεκδεχόμεθα).

Domini nostri Iesu Christi. Pronomen *qui*, etsi ad immediate praecedens nomen *Christi* quadrat et ab antiquioribus plerisque (*Thom.* etc.) nonnullisque modernis (*M Ev. Dr.* etc.) ad illud refertur, ad remotius tamen nomen *Dei* rectius referemus (cfr *Est. Mai. Bisp.* etc.). Etenim si Christus esset huius sententiae subiectum, dici non debuit : « in die adventus Domini I. Chr. », sed « in die adventus sui » ; porro sequens versus rationem affert, qua nixus Apostolus hanc confirmationem sperat; ratio autem est *Dei* fidelitas; quare hoc in loco, sicut in similibus (2 *Cor.* 1,21; 2 *Thess.* 3,3 etc.), confirmationem Deo appropriari melius dicemus. Itaque hic erit totius loci nexus : « Gratias ago Deo meo, *qui*, sicut vos in omnibus donis divites fecit, ita *etiam vos confirmabit*, auxilia eadem, quae vobis hucusque largitus est, continuo vobis tribuens *usque in finem* vitae vestrae (vel si mavis : huius saeculi), ut hac ratione inveniamini *sine crimine*, i. e. sine culpa, *in die* (*adventus*) *Domini N. I. Chr.* ». Rationem vero, propter quam haec fore confidit, statim subdit : fidelitatem Dei, qui bonum opus, quod vocatione ad fidem in neophytis inchoavit, etiam perficiet usque in diem Iesu Christi (*Phil.* 1,6). Nam 9. *fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius, Iesu Christi Domini nostri.* Ob fidelitatem enim suam Deus eis, quos vocavit, omnia illa tribuit, quibus indigent, ut vocatione sua digni viventes sine crimine (vel potius : sine reatu) ad diem iudicii pervenire possint, praesertim quum haec vocatio sit *ad societatem Filii eius.* « Societatem, inquit optime *Theod.*, adoptionem intelligit Apostolus »; in societate enim, vel rectius in consortio vel communione (κοινωνίᾳ), Filii Dei erimus, si eiusdem relationis, in qua Filius est ad Patrem per naturam, per adoptionem participes facti dignitatem et bona, quae Filio Dei competunt, pro modulo nostro obtinuerimus. Iam vero « quis ambigat, inquit *A^ter^*, de promissis et fide Dei, quia non erit aliter quam dixit filios nos sibi adoptans credentes in Christum? Hoc enim nobis donat, quod credimus : ut, quia credimus Christum esse Filium Dei, hoc nos esse incipiamus mansuri in eadem dignitate, sicut manet Christus, quem credimus Filium Dei. Societas enim fraternitas est, ut quomodo fidem Dei incolumem in hac causa nobis futuram ostendit, ita nos non diffitentes et perfidi inveniamur, sed perseverantes in adoptione ».

Sine crimine, ἀνέγκλητοι, si ad graeci vocabuli etymologiam (α priv. et ἐγκαλεῖν, in ius vocare) attenditur, intelligendi sunt ii, qui in ius vocari aut accusari nequeunt, quia omni culpa et reatu carent; *Vulg.* igitur alibi vocabulum graecum rectius reddidit : irreprehensibiles (*Col.* 1,22). Itaque immerito a Latinis antiquioribus (*Thom. Lyr. Dion.* etc.) nonnullisque

iunioribus (*Iust. Est. M Ev.* etc.) latina locutio ***sine crimine*** ita urgetur, ut Paulus insinuasse censeatur, hominem sine gravi quidem, sed non sine omni levi peccato vivere posse. Neque enim viderunt, illud ***sine crimine*** vel ***sine reatu*** cum verbis ***in die Domini*** (scriptum est : ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου, minime vero : εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ Κυρίου, in di*em* Domini) cohaerere atque totam phrasin (sine crimine in die Domini, ἀνεγκλήτους ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου) per ellipsin quandam, quam « prolepticum usum adiectivorum effectus » vocant grammatici [1], cum verbo *confirmabit* coniungi; suppleta igitur ellipsi sententia exponatur oportet : ὃς καὶ βεβαιώσει ὑμᾶς εἰς τὸ τέλος εἰς τὸ εἶναι ἀνεγκλήτους ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου, « qui et confirmabit vos usque in finem, ***ut sitis*** sine reatu in die Domini » (cfr *Cai. Lap. Mai. Bisp. L R. Ramb.* etc.). De quaestione ergo, num homo levia peccata omnia evitare possit, hic non agitur; in ultimo iudicio sine omni reatu, sive gravi sive levi, inveniamur oportet.

Ex vers. 8 graeci interpretes (*Chrys.*, *Theod.*, *Oec.* etc.) colligunt, Corinthios eo tempore, quo Paulus scripsit, « fluctuasse » et « culpis fuisse obnoxios », siquidem confirmatione indiguerint; ad totius vero loci contextum respiciens *A^ter^* ex eodem versu contrarium deducit : « alacri animo confisus de spe illorum securus est, quia inviolati usque ad futurum saeculum erunt. Qui enim inter tot discrimina sensuum et perturbationes diversitatum immutari minime potuerunt, procul dubio in eodem se mansuros ostendunt. Quum hos laudat, illos qui pseudapostolorum errore depravati erant, invitat; dum enim horum fidem praedicat, illos ad poenitentiam provocat ». Haec altera sententia priori recte praefertur; illud tamen semper prae oculis habere debemus, Paulum totam ecclesiam corinthiam alloqui, non singula eius membra distributive.

Quoniam Ariani ex eo, quod mundus *per* Filium (διὰ Υἱοῦ) creatus dicatur, Filii inferioritatem demonstrare conabantur, quippe qui non esset nisi causa instrumentalis, *Chrys.* aliique Graeci contra eos vers. 9. urgent, in quo Paulus nos dicit vocatos *per* Patrem (διὰ Πατρός). « Intellige, inquit *Oec.*, quomodo Paulus etiam de Patre posuerit δι' οὗ et pro quo (sc. pro ὑφ' οὗ) illud posuerit, ut quum idem de Filio audieris non essentiae diversitatem sed identitatem intelligas ».

1. Cfr *Beelen* Gramm. Graecitatis Novi Test. p. 541. — Ellipseos huius exempla in Novo Test. non admodum sunt rara. *Phil.* 3,21. « reformabit corpus humilitatis nostrae [ut sit] configuratum corpori claritatis suae ». 1 *Thess.* 3,13 « ad confirmanda corda vestra (ut sint) sine querela (ἀμέμπτους irreprehensibilia) in sanctitate ante Deum et Patrem nostrum in adventu Domini nostri » etc. Alter hic locus nostro parallelus est atque clare docet, illud *sine crimine* parum recte urgeri.

PRIOR PARS EPISTOLAE.

DE NONNULLIS CORINTHIORUM VITIIS (1,10-6,20).

§ 1. *De discordia vitanda* (1,10-4,21).

Ecclesia corinthia, etsi ab Apostolo ob spiritualem suum profectum magnis laudibus celebratur, suis tamen non carebat vitiis, quibus haud levi periculo obiiciebatur. Ad quae reprehendenda et corrigenda Paulus transiens primo in loco partium studium, quo fidelibus in varias factiones discerptis unitas ecclesiae periclitabatur, acriter impugnat. Quomodo factiones hae sint exortae, in Prolegomenis iam diximus (p. 4 sq.); de factionum autem numero et sententiis mox dicemus (*ad v.* 12); itaque restat, ut tractatus huius divisionem indicemus. 1. Generali exhortatione ad unitatem servandam praemissa rem ipsam, quam reprehensurus est, paucis exponit (1,10-12); 2. tribus deinde rationibus studia factiosorum gravi vituperio digna esse accurate ostendit (1,13-3,17); 3. ex doctrina proposita tria consectaria practica derivat (3,18-4,13), atque demum 4. reprehensionem suam tenerrima exhortatione concludit (4,14-21).

I. — *Expositio facti* (1,10-12).

1,10. *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.* 11. *Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.* 12. *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli : ego autem Apollo : ego vero Cephae : ego autem Christi.*

1,10. Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἵνα τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες καὶ μὴ ᾖ ἐν ὑμῖν σχίσματα, ἦτε δὲ κατηρτισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ. 11. ἐδηλώθη γάρ μοι περὶ ὑμῶν, ἀδελφοί μου, ὑπὸ τῶν Χλόης, ὅτι ἔριδες ἐν ὑμῖν εἰσίν. 12. λέγω δὲ τοῦτο, ὅτι ἕκαστος ὑμῶν λέγει· Ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ, ἐγὼ δὲ Χριστοῦ [1].

1. *VV. LL.* — 10. ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ (*in eadem sententia*). Lectio haec omnium est, ut videtur, graecorum codd. omniumque versionum. Inde tamen a saec. 4. in latina ecclesia lectio : *in eadem scientia* (ἐν τῇ αὐτῇ γνώσει) praevalere coepit, quam exhibent cum *A*[ter], *Pel.*, etiam codd. *Fuld.*, *Am.* etc. quamque explicarunt iuniores inter-

Ad intimam cum Iesu Christo unionem fideles esse vocatos, Apostolus monuerat (*v.* 9); quae unio, uti clarum est, adesse nequit, nisi inter se quoque sint uniti; itaque in oppositione quadam (attende ad particulam adversativam) ad laudes praemissas non sine animi commotione pergit : 10. *obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum* (τὸ αὐτό i. e. idem) *dicatis omnes et non sint in vobis schismata.* Verbum παρακαλεῖν exhortandi et obsecrandi significationes habet, quae ambae hic sunt aptae. *Nomen* autem Domini N., quod ab omnibus invocatum (*cfr v.* 2) omnes unire et quasi unitatis omnium tessera (*cfr v.* 12) esse debet, per obtestationem interponit, ut exhortationi obsecrationique suae maiorem vim et auctoritatem conciliet [1]. Neque enim unitatem qualemcumque commendat, sed perfectam quum externam tum internam; porro externa et positive, nimirum eorum quae dicuntur concentu (*ut idem dicatis omnes*), et negative, dissidiis scilicet omnibus evitatis (*ut non sint in vobis schismata*), sese manifestet oportet. Σχίσμα proprie est fissura vel ruptura (*Math.* 9,16 etc.), metaphorice dissidium; in reliquis Novi Test. locis, in quibus metaphorice usurpatur (11,18; 12,25; *Ioan.* 7,43; 9,16; 10,19) dissidium ex variis sententiis de aliqua re exortum designat, quod ad completam dissidentium separationem nondum pervenit; atque eodem sensu etiam hic usurpatur. Uni enim ecclesiae corinthiae Paulus scribit, necdum fideles, id quod nonnulli acath. (*Vitr. Mich. Eichh. Ew.* etc.) erronee censent, in varios coetus sese separaverant (*cfr ad* 11,19). Iam vero externa unitas, nisi adsit interna, non conservabitur; ideo Apostolus, ut ad hanc quoque fideles adducat, addit : *sitis autem perfecti* (κατηρτισμένοι) *in eodem sensu et in eadem sententia.* Quoniam graecum verbum καταρτίζειν significat aut reficere, quod corruptum est (*Matth.* 4,21; *Marc.* 1,19; metaphorice *Gal.* 6,1), aut parare vel perfectum reddere (*Luc.* 6,40; *Hebr.* 13,21), nonnulli moderni interpretes (*M Ev. Bisp. Dr.* — Aliqui acath.) priorem significationem praeferentes Corinthios admoneri censent, ut sublatis schismatis ad concordiam revertantur; rectius tamen non tantum

pretes (*Rhab. Gl. ord. Herv. H Car. Thom. Lyr. Dion.* etc.), usque dum correctores romani emendarent : *in eadem sententia.* Ceterum hanc genuinam esse lectionem latinam antiquiores Patres testantur : *S. Cypr.* (c. Iud. III. 86), *S. Hil. Pict.* (in Ps. 132.3), *S. Aug.* (c. Donat. de bapt. I. 10), *Prim.* etc., qui omnes cum graeco textu consentiunt.

1. *Chrys.* « Rem magnam aggressurus et periculis plenam obsecrat eos per Iesum et quasi non sufficeret solus ad hanc supplicationem (ἱκετηρίαν), Christum adhibet socium eiusque *nomen iniuria et contumelia affectum* in auxilium vocat ». « *Nomen* enim Christi erat, inquit *Theod.*, quod ab eis spernebatur : quum enim oporteret eos a Christo denominari, a praesidibus suis denominationes sumebant ».

cum *Vulg.* (*perfecti*) sed etiam cum Graecis (*Chrys. Theod.*, qui κατηρτισμένους dicit τελείους etc.) plerique omnimodam et perfectam concordiam commendari tenent. Quae habeatur oportet *in eodem sensu et in eadem sententia* (ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ). Iuxta *Chrys.* [1], quem cum aliis Graecis etiam multi iuniores (*Cai. Iust. Est. M Ev. Bisp.* etc.) sequuntur, νοῦς (*sensus* vel mens) et γνώμη (*sententia*) ita distinguuntur, ut prior circa cognoscenda, altera circa agenda versetur, prior ad fidem, altera ad caritatem referatur [2]. At γνώμη in Novo Test. sensu hoc arcto et definito non reperitur, sed sententiam vel opinionem significat, quae pro rei de qua agitur natura aut est theoretica aut practica. Itaque melius νοῦν et γνώμην ita distinguemus, ut prior sit mens vel intellectus, altera id quod a mente producitur : νοΐ (mente s. intellectu) perfecte sunt uniti, qui eadem principia tenent, sive illa modo naturali sive supranaturali cognoverunt; γνώμῃ (sententia) autem sunt uniti, qui ex iisdem principiis easdem conclusiones sive theoreticas sive practicas deducunt.

Qua generali exhortatione praemissa Apostolus rationem indicat, quae eum ad unitatem perfectam commendandam permoverit : **11.** *Significatum est* (ἐδηλώθη, quod accuratius antiqua versio latina reddidit : perlatum est) *enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.* Magna cum caritate, ut vituperium suum quodam modo leniat et mitiget, Corinthios, quos in praecedente versu iam fratres appellaverat, nunc vocat fratres *suos* eisque ostendit, se non incertis levibusque rumoribus fidem adhibuisse, sed per testes fide dignos de eorum contentionibus se certiorem esse redditum. Quinam testes illi essent, Corinthii sciverunt, Patres iam ignorarunt [3]; familiam autem christianam Corintho, ut videtur, oriun-

1. *Chrysostomi* interpretationem his verbis complectitur *Theoph.* : « Quoniam quidem multi intellectu (κατὰ τὰ νοήματα i. q. κατὰ τὸν νοῦν) uniti sunt, sententia (κατὰ τὴν γνώμην) autem dissident (nam quum eandem quidem fidem habemus, non copulamur autem caritate, eadem quidem intelligimus, dissentimus tamen sententia), ideo Apostolus, postquam dixit : *eadem mente*, apposuit : *et eadem sententia*, ut neque secundum fidem neque secundum caritatem dissideant ».

2. Ad eandem explicationem antiquiores quoque Latini, qui perversam lectionem (*eodem sensu et eadem scientia*) sequebantur, pervenerunt, ita tamen ut ordine inverso « *sensum* intelligerent, quo iudicatur de agendis, *scientiam*, qua iudicatur de cognoscendis » (*Thom.*) cfr *Dion.* : « *in eodem sensu* i. e. in cognitione practica, ut idem agatis, *et in eadem scientia* i. e. in cognitione speculativa, ut idem credatis et sapiatis. Duae enim sunt partes legis divinae, videlicet testimonia et praecepta : testimonia pertinent ad credenda, praecepta vero ad operanda; vult ergo Apostolus, ut in horum utroque conformes sint ».

3. Varias coniecturas, quas iuniores Latini multi repetierunt, *A*[tor] profert : « Quod autem dicit : *ab iis qui sunt Chloës*, aliquibus videntur esse homines manentes et fructificantes in fide Dei [Χλόη germen viride]; aliquibus videtur locus esse, ut puta si dicitur :

dam, quae Ephesum venerat, nomine τῶν Χλόης (*eorum qui sunt Chloes*) designari, hodie omnes tenent. Clarius vero contentiones, quibus externa et interna ecclesiae concordia turbetur, Apostolus explicat : 12. *Hoc autem dico*, *quod unusquisque* vestrum *dicit : Ego quidem sum Pauli : ego autem Apollo : ego vero Cephae : ego autem Christi*. Partium igitur studium intellexit, quod variis denominationibus sese iam manifestabat, quamquam fideles eo nondum adduxerat, ut varios coetus constituerent. Illud *unusquisque vestrum* (ἕκαστος ὑμῶν), eadem ratione, qua infra 14,26, distributivum quidem, sed non universalem sensum habet (cfr *Lap. M Ev. Bisp.* etc.) atque minus dicit quam ὑμεῖς οἱ καθ' ἕνα ἕκαστος (*Eph.* 5,33) vel εἷς ἕκαστος πάντων ὑμῶν (2 *Thess.* 1,3); neque enim magis, quam omnes et singuli fideles, qui ad cultum divinum celebrandum convenerunt, nullo excepto donum aliquod charismaticum secum attulerunt, hoc loco omnes et singuli propter partium studium vituperantur. Quemadmodum in praecedentibus laudibus, ita in his vituperiis totam ecclesiam alloquitur, in qua alii quidem se Pauli esse (i. e. velut ei addictos ex eius parte stare) asserebant, alii iuxta Apollo (de quo *cfr Act.* 18,24 sqq.) aut Cepham (i. e. Petrum cfr 9,5; 15,15, *Gal.* 2,9. 11. 14, *Ioan.* 1,42) sese denominabant, sed multi etiam ab omnibus partibus abhorrebant, quorum quasi nomine tribus prioribus tesseris factiosis Paulus illam opponit, quae sola est genuina : *Ego autem Christi* sum, qui ecclesiam suam iuxta doctores varios dividi non vult.

1. Graeci (*Chrys. Theod. Dam. Oec. Theoph.*) et multi Latini (*A[ter] Pel. Prim. Rhab. H Car. Cai.* etc.) nomina Pauli, Apollo, Cephae ab Apostolo exempli gratia tantum poni, factiones autem ab aliis capitibus nomina sua desumsisse putarunt; cui sententiae refutandae solus iam sufficit S. *Clemens Rom.*, qui testis aequalis et rerum corinthiarum gnarus iuxta Paulum, Apollo, Cepham factiones denominatas esse diserte tradit (1 *Cor.* 47). Quare cum S. *Aug.* (c. Petil. de un. bapt. 5.), S. *Hier.* (in Tit. 3,13.), *Thom.*, *Lyr.* etc. omnes moderni vera factionum nomina ab Apostolo posita esse tenent; quae vero Graeci ex 4,6 contra hanc sententiam obiiciunt, infra examinabimus.

2. Difficilior est quaestio de factionum numero, quum alii quatuor, alii tres, alii duas tantum distinguendas esse censeant. Plerique moderni interpretes (cath. et acath.) quatuor factiones iuxta tesserarum numerum fuisse tenent. Negari enim non potest, ultimam tesseram (*Ego sum Christi*) forma sua tribus prioribus prorsus consonare ac proin eadem ratione videri

ab iis qui sunt Antiochiae; aliquibus autem videtur femina fuisse Deo devota, cum qua multi essent colentes Deum, quibus fides non negaretur ». *Theod.* : « familia forte (ἴσως) erat hoc nomine appellata ».

explicandam esse; ac revera illi, qui se Christo addictos esse dicebant, propterea quod ei soli salutem suam recte attribuebant, nimio cum ardore tesseram suam defendentes atque ministrorum Christi auctoritatem deprimentes et despicientes ad schismata augenda conferre et novam factionem constituere potuerunt. Nihilominus tres tantum factiones corinthias fuisse atque quartam tesseram aut proprio nomine aut nomine eorum, qui a schismatis abhorrebant, a Paulo tribus prioribus opponi, verior est sententia.

Certum enim est, tres solas factiones agnosci a *Clemente Rom.*, qui hac in quaestione, utpote aequalis, testis est omni exceptione maior; tres solas agnoverunt etiam interpretes omnes antiqui ante saec. 16. (quo tempore *Cai.* primus quartam invexit) et plerique inde a saec. 16. usque ad haec ultima decennia. Neque sola auctoritate, sed internis quoque argumentis haec sententia sese commendat. Etenim Paulus tres priores tantum tesseras reprobat, quartam vero velut omnibus Christianis necessariam proponit (3,22 sq.) nec quidquam in toto suo tractatu de schismatis (1,10-4,21) aut in tota epistola affert, quo illam factioso et erroneo sensu intellectam et adhibitam esse insinuet. Quin etiam primo in loco velut fortissimum ponit argumentum, quo tres factiones, quae iuxta homines sese denominabant, efficacissime refelluntur, illi autem, qui se Christi esse dicunt, non tantum non laeduntur, sed in sua sententia confirmantur : « Numquid Paulus (Cephas, Apollo) pro vobis crucifixus est aut in nomine Pauli (Cephae, Apollo) baptizati estis? » Atqui inepte hoc argumentum attulisset, si factionem quandam a Christo denominatam simul impugnare voluisset. Arbitror quoque, Paulum, quum omnes Christianos *invocare nomen Domini I. Chr.* diceret atque Corinthios *per nomen Domini I. Chr.* ad unitatem servandam exhortaretur (*vv.* 2. 10.), iam satis praecavisse, ne idem augustissimum *nomen* velut unius factionis tessera intelligeretur. Nobis utique, quippe quibus primitivae ecclesiae corinthiae status minus sit cognitus, mirum videri potest, quod eodem modo tesseras erroneas et veram exprimat nec fortiore modo veram erroneis opponat; sed Corinthii ipsi, qui apud se tres priores solas adhiberi sciebant, quartam, quam Apostolus adiecit, solam adhibendam esse statim intellexerunt, etsi simili modo, quo reliquae, esset expressa.

Duas tantum factiones soli distinguunt Neotubingiani (et cum iis ex cath. *Dr.!*); scilicet ut solos suos Paulinos et Petrinos etiam Corinthi inveniant, duas priores et duas posteriores in singulas contrahunt; sed id temere fieri, etsi quis quatuor tesseras erroneas distinguere velit, evidens est; quare illam sententiam praetermittimus.

3. *Tres* igitur factiones distinguimus, quarum prima a Paulo, ecclesiae corinthiae fundatore, nomen desumebat, altera Apollo praeferebat, qui brevi post Pauli discessum in Achaiam venerat et « multum his, qui crediderant, contulerat » (*Act.* 18,27), tertia se Cephae addictam esse asserebat, qui ipse quidem eousque Corinthum nondum venerat, sed cuius nomen iudaizantes quidam doctores nomini Pauli videntur opposuisse. Quibus internis notis tres factiones dissederint, difficile est dictu.

Praeprimis tenendum est, illa sola ad eas describendas cum certitudine

adhiberi, quae in hac prima sectione (1,10-4,21) leguntur, reliqua tantum non omnia arbitrario huc trahi. Porro certum est, primam a secunda diversis doctrinis non distingui; a Pauli enim discipulis, Aquila et Priscilla, Apollo de via Domini diligentius erat edoctus (*Act.* 18,26), a Paulo ipso velut genuinus laborum suorum adiutor agnitus (3,6) ideoque multum, ut Corinthum reverteretur, rogatus (16,12) ac postea ad alia ministeria apostolica adhibitus (*Tit.* 3,13); unde iure colligimus, nec eum nec eius asseclas a Pauli doctrinis discessisse. At Apollo « Alexandrinus genere, vir eloquens, potens in Scripturis » aliam docendi methodum probabiliter tenuit. Illo tempore inter Iudaeos alexandrinos allegorica et typologica Scripturarum explicatio floruit, qua Iudaei ethnicos allicere doctrinasque revelatas cum placitis philosophorum graecorum conciliare conabantur. Atqui veri simillimum est, eum non tantum utpote virum eloquentem sese graecae eloquentiae magis accommodasse, sed etiam utpote virum alexandrinum in Scripturis potentem abstrusiore illa Scripturarum interpretatione, quam Paulus ipse vix apud perfectos Christianos adhibere voluit (cfr *Hebr.* 5,11 sqq.), Corinthi esse usum; neque improbabile est, eum nonnulla doctrinae capita, quae velut sublimiora et difficiliora Paulus praetermittenda duxerat, neophytis proposuisse. Itaque fieri potuit, ut aliqui ex nobilioribus et eruditioribus Corinthiis simplicem Pauli catechesin despicere novumque magistrum velut doctiorem primo suo Apostolo praeferre coepissent. Revera in magna huius tractatus parte (1,17-3,4) Paulus simplicem suam praedicationem vindicat simul rationes explicans, quibus permotus ab altioribus doctrinis abstinuerit.

Tertiam factionem a iudaizantibus quibusdam doctoribus initium sumsisse, ipsa tertia tessera innuit. Pseudapostoli enim illi iudaizantes, qui omnes ecclesias a Paulo fundatas pro viribus perturbabant, Petrum, quem pristino eius nomine hebraico Cepham appellare malebant, aliosque Apostolos a Domino ante passionem electos Paulo opponere solebant, ut eius auctoritate destructa neophytos ad ritus iudaicos adducerent. Corinthi quidem eo usque perversam suam doctrinam de continua legis iudaicae obligatione proponere nondum erant ausi, sed eos apostolicam Pauli dignitatem et auctoritatem iam impugnasse, satis docet altera epistola, quae paucis mensibus post hanc priorem scripta est (2 *Cor.* 10 12.). Quin etiam, nisi omnia nos fallunt, iam antequam nostra scripta est, aliquas doctrinas sparserant, quae, quamvis aperte erroneae non essent, laude tamen non erant dignae erroribusque viam praeparabant. In tertio enim suo argumento Paulus de doctoribus loquitur, qui Corinthi supra fundamentum a se positum, quod est Christus Iesus, non aurum et lapides pretiosos. i. e. sanas et utiles doctrinas, sed ligna et stipulam, i. e. futiles inutilesque doctrinas, superaedificent (3,10 sqq.); quibus verbis iudaizantes doctores innui recte dicuntur (*cfr ad* 3,12 sq.); eosdem autem inter illos neophytos, qui ex circumcisione venerant, asseclas invenisse, praesertim si iudaica privilegia in ore gerebant, facile intelligitur.

Haec de factionibus corinthiis magna cum veri similitudine statui viden-

tur; rectae autem interpretationis limites transgredi arbitramur illos modernos interpretes, qui omnia, quaecumque in duabus ad Cor. epistolis leguntur aut legi putantur, inter tres quatuorve factiones distribuunt atque integra systemata doctrinarum Paulinorum, Apollonianorum etc. construunt. Nonne arbitrarium est, si ex. gr. inter catholicos *Mai.* Apollonianos velut rationalistarum modernorum praecursores traducit, qui in Christo, licet eius divinitatem forte non repudiaverint, sapientem dumtaxat doctorem venerati sint, futuram mortuorum resurrectionem negaverint aut spirituali quodam modo (sicut haeretici in 2 *Tim.* 1,18) explicaverint, ethnicos mores sint imitati, tota vivendi ratione ad mundum inclinaverint etc.? Aut si quartam suam Christinorum factionem inculpat, quod visionibus et ecstasibus immediate se a Christo edoceri et regi praetenderint, novas doctrinas de futuro regni messianici statu et de rebus coelestibus velut revelatas sparserint etc.? Aut si alter cath. interpres (*Bisp.*) in Apollonianis falsum dumtaxat spiritualismum aliquem vituperat, quo dogmata christiana destrui potuerint, sed Christinos suos velut praecursores rationalismi describit, quibus Christus doctor tantum sapiens fuerit, qui liberalismum ecclesiasticum foverint etc.? Prorsus absurda autem commenta haud pauci protestantici et rationalistici interpretes tradunt, qui magnum studium in describendis factionibus ponunt sed nihil hucusque, quod probari possit, se invenisse continuis suis litibus et controversiis docent. Profecto si factiones corinthiae illas omnes haereses docuissent, quas moderni interpretes illis attribuere non verentur, Paulus alio modo eas impugnasset prorsusque aliam epistolam Corinthiis scripsisset.

II. — *Factionum reprobatio* (1,18-3,17).

Tribus potissimum argumentis Apostolus partium studium reprimit. Praeprimis enim ob solam iam omnium Christianorum ad Christum relationem unitatem Ecclesiae esse necessariam ostendit (1,13-17). Quo primario argumento, quod omnes factiones convellit, proposito secundam factionem aggressus demonstrat, ob humilem suam et simplicem docendi rationem neophytis ab ipso recedere et schisma introducere non licuisse (1,18-3,4); demum fidelium schismata absurda esse docet, quia eorum magistri omnes, utpote unius Dei ministri, uniti inter se sint et esse debeant, ut supra unum idemque fundamentum aedificium unum solum exstruant (3,5-17). In primo argumento, quamvis omnes feriat, illos potissimum prae oculis habuisse videtur, qui suo nomine abutebantur; in altero Apollonianos reprimit, qui doctam et eloquentem Apollonii praedicationem simplici verbo crucis praeferebant; in tertio tertiae factionis doctores admonet, ne futilibus doctrinis infirmum reddant aedificium doctrinae christianae.

1. *Factiones relationi Christianorum ad Christum repugnant* (1,13-17).

1,13. ***Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? 14. Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium: 15. Ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis. 16. Baptizavi autem et Stephanae domum; ceterum nescio, si quem alium baptizaverim. 17. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare: non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.***

1,13. Μεμέρισται ὁ Χριστός; μὴ Παῦλος ἐσταυρώθη περὶ ὑμῶν, ἢ εἰς τὸ ὄνομα Παύλου ἐβαπτίσθητε; 14. εὐχαριστῶ, ὅτι οὐδένα ὑμῶν ἐβάπτισα, εἰ μὴ Κρίσπον καὶ Γάϊον. 15. ἵνα μή τις εἴπῃ, ὅτι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβαπτίσθητε. 16. ἐβάπτισα δὲ καὶ τὸν Στεφανᾶ οἶκον. λοιπὸν οὐκ οἶδα εἴ τινα ἄλλον ἐβάπτισα. 17. οὐ γὰρ ἀπέστειλέν με ὁ Χριστὸς βαπτίζειν, ἀλλὰ εὐαγγελίσασθαι οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ [1].

Tribus erroneis tesseris Paulus genuinam opposuerat : *Ego autem Christi;* attamen illi quoque, qui iuxta homines sese denominabant, Christo addicti manere volebant; itaque id fieri non posse, si in varios coetus inter se dissidentes et litigantes divisi sint, ostensurus eorum exceptionem quasi praeoccupans mirabundus interrogat : 13. *Divisus* (igitur) *est Christus?* aut queribundus exclamat : « Divisus igitur est Christus! » Unam Ecclesiam, cuius universae ipse esset caput, fundavit Christus; at si Ecclesia in varios coetus, qui inter se pugnant, dirimitur, ipsum eius caput quoque dividitur, quum secum ipsum dissideat [2]; Christus tamquam unius factionis caput impugnat se ipsum tamquam caput alterius factionis; itaque non amplius est unus Christus, cuius corpus est tota Ecclesia et cuius ministri sunt et Paulus et Apollo et Cephas, sed varii exoriuntur Christi, quorum unus pro ministro solum Paulum et pro corpore solos Pauli asseclas habet, alter ad solum Apollo eiusque asseclas pertinet etc.

1. *VV. LL.* — 13. μεμέρισται ὁ Χριστός; (*divisus est Christus?*) Utrum hoc membrum interrogative an enuntiative legi oporteat, PP. iam interrogant. Pauci tantum minusc. cum *Arm.* particulam interrogativam (μή num) praemittunt; sensus alterutra interpunctione vix mutatur. — 14. εὐχαριστῶ (gratias ago) sine additamento B ℵ; sed εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ (*gratias ago Deo*) C D E F G L P, plerique minusc., *It.*, *Vulg.* (*Clem.* cum *Am.*, *Tol.* et plerisque), *Goth.*, *Aeth.*; demum εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου (gratias ago Deo *meo*) A, pauci minusc., *Vulg.* (*Sixt.* cum *Fuld.*, *Dem.* et haud paucis), *Syr.*, *Copt.*, *Arm.* Secunda lectio videtur praeferenda. — 15. ἐβαπτίσθητε) *baptizati estis*) B ℵ A C, aliqui minusc., *Vulg.*, *Copt.*, *Arm*; sed ἐβάπτισα (baptizavi) D E F G L P, plerique minusc., *It.* (*Tert.*, *A*ter etc.), *Syr.*, *Goth.* Testium auctoritate fere aequales sunt; secunda vero apostolicae argumentationi magis congruere videtur.

2. Genuinum sensum verbi μεμέρισται haurimus ex *Marc.* 3,26 (εἰ ὁ σατανᾶς ἀνίστη ἐφ' ἑαυτόν, ἐμερίσθη « si satanas consurrexerit in semet ipsum, dispertitus est »): in loco parallelo *Matth.* 12,26 habet : ἐφ' ἑαυτὸν ἐμερίσθη « adversus se divisus est »; *Luc.* eodem sensu verbum διαμερίζεσθαι usurpat.

Nullum igitur ius competit factiosis, ut se Christi esse dicant, qui est unus et indivisus; neque Pauli se dicere illis licet. Ob duas enim rationes Christiani omnes Christo sunt addicti et ab eo nomen sortiuntur; eius enim passione et cruce redemti facti sunt eius proprietas (6,19; 7,24; *Tit.* 2,14 etc.), atque in eius nomen baptizati ei sunt consecrati, immo eius corpori inserti eiusque membra facti (6,15; 12,13.27; *Eph.* 4,16; 5,30 etc.); quapropter Corinthii illi, qui se Pauli esse profitebantur, in duplici hac aut saltem in alterutra relatione ad Paulum esse debebant; at in neutra eos esse docet duplex interrogatio : *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine* (nomen) *Pauli baptizati estis?* Prior interrogatio ampliore explanatione non indigebat; licet enim Apostoli postea etiam pro fidelibus animas suas posuerint, « tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius martyris sanguis funditur, quod fecit Christus pro nobis » (*S. Aug.* in Joan. 15,13. Tract. 84,2) : nec quisquam praeter Christum sanguine suo nos emit. Altera vero interrogatio difficultatem quandam creare videbatur, quatenus aliqui neophyti forsitan putaverint, baptizatos in baptizantis quasi clientelam transire ac velut eius clientes ab eo dependere. Quem errorem ut praecaveat, Paulus ostendit, quam parum sibi curae fuerit, ut multos baptizaret, quamvis id curae ei esse debuisset, si baptizati in eius clientelam intrassent. Hinc ait : 14. *Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum* (archisynagogum corinthium. *Act.* 18,18) *et Caium* (hospitem Pauli corinthium. *Rom.* 16,23), i. e. gratias ago, quod providentia sua Deus res ita disposuit, ut paucissimos baptizans ansam non darem errori, scilicet 15. *ne quis dicat, quod in nomine meo estis baptizati,* vel secundum alteram (meliorem) lectionem « quod in nomine meo (in nomen meum) baptizavi », ut mihi clientes acquirerem. Ne quis tamen putet, ab Apostolo numerum eorum, quos baptizaverit, consulto diminui, addit alios, quorum memoria ei occurrit : 16 *Baptizavi autem et Stephanae domum* (unius ex legatis corinthiis, qui fuit ex primitiis Achaiae. 16,15), et ut magis videant, quam parum illi, quos baptizavit, ad eum speciali modo pertineant, persequitur : *ceterum nescio, si quem alium* (utique Corinthiorum) *baptizaverim.* Demum rationem reddit, cur tam parum hoc ei curae sit : 17. *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* « Sed contra est, inquit *Thom.*, quod dicitur *Matth.* 28 : Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc. Dicendum autem est, quod Christus Apostolos misit ad utrumque, ita tamen ut per se ipsos praedicarent, baptizarent autem per inferiores ministros », vel rectius, ut praedicatio praecipuum eorum munus esset. Haud raro enim in illis construc-

tionibus, in quibus priori membro neganti alterum affirmans opponitur (οὐ..., ἀλλά), prior negatio non est absoluta, sed relativa ad membrum oppositum, quod ita magis effertur et fortius affirmatur [1]. Nullibi quidem Paulus diserte iussus est baptizare (*Act.* 9,15; 22,15; 26,16 sqq.), sed quum eadem ratione, qua reliqui, esset Apostolus (9,1 sqq.), praceptum reliquis datum etiam eum ligavit (*Theod.* etc.); quare immerito aliqui interpretes cum *Chrys.* (cfr *Oec. Theoph.* etc.) negationem illam velut absolutam urgent Pauloque solam permissionem baptizandi concedunt (cfr *Cyr.*). Ceterum eodem modo, quo Paulum, reliquos Apostolos egisse, docet exemplum Petri (*Act.* 10,48), qui postquam ipse per se coram primis ethnicis Evangelium annuntiavit, « iussit baptizari credentem Cornelium cum suis nec dignatus est ministris adstantibus hoc opus facere; si enim defuissent, ipse hoc egisset necessitate compulsus » (A^{ter}) [2]. Ultima verba, quibus se dicit missum *evangelizare non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi,* transitum faciunt ad alterum argumentum eiusque fundamentum constituunt; quare cum eo simul sunt explicanda.

In primis argumenti verbis (***Divisus est Christus?***) intelligendam esse personam Christi, cui addictum se profitetur Paulus, qui pro nobis crucifixus est, in cuius nomine baptizamur, contextus clare docet et interpretes moderni tantum non omnes admittunt, uti iam *Thom.* [3] (« sed adhuc melius intelligitur, quod Apostolus dicit : ex hoc quod ea, quae sunt propria Christi, aliis attribuitis, quodammodo Christum dividitis plures Christos facientes »), ***Men.*** (« num plures sunt Christi ? alius quidem Pauli, alius Cephae, alius Apollo? »), *Tir.* etc. Parum recte igitur plerique antiquiores et nonnulli moderni aut Christum mysticum i. e. Ecclesiam divisam dici putarunt (***Chrys. Dam. Oec.*** [1] ***Theoph.*** [1] ***Pel. Prim. Rhab. Dion. Cai.*** etc.), aut Christi dominium et potestatem (***Theod.***), aut eius gloriam (A^{ter}), aut eius virtutem operativam in baptismo (***H Car. Thom.*** [2] ***Lyr.*** etc.), aut

1. Formula οὐ... ἀλλά hac ratione fere respondet latinae *non tam... quam : Matth.* 10,20 « non (tam) vos estis, qui loquimini, sed (i. e. quam) Spiritus Patris qui loquitur in vobis »; 1 *Cor.* 15,10 « abundantius illis omnibus laboravi, non (tam) ego, sed (i. e. (quam) gratia Dei mecum »; cfr *Marc.* 9,39, *Luc.* 10,20, *Ioan.* 6,26, *Act.* 5,4; *Eph.* 6,12 etc. Aliis tamen in locis prior negatio est absoluta cfr 1 *Cor.* 7,10, *Ioan.* 6,27; 7,16 etc.

2. Cur evangelizare potius quam baptizare debuerint Apostoli, paucis ita explicat *Thom.* Patrum (*Chrys.*, *Theod.* etc.) hac de re sententias secutus : « In baptismo nihil operatur industria vel virtus baptizantis; nam indifferens est, utrum per maiorem vel minorem ministrum detur baptismus; sed in praedicatione Evangelii multum operatur sapientia et virtus praedicantis, et ideo praedicationis officium per se ipsos Apostoli tamquam maiores ministri exercebant, sicut et de ipso Christo dictum est (*Ioan.* 4), quod ipse non baptizabat, sed discipuli eius ». Addit *Chrys.* : « facile est eum baptizare, qui ad fidem iam adductus est, sed quum infideles ad fidem sunt attrahendi et instituendi, multus requiritur labor, multa sapientia, praesertim quia illo tempore etiam magnis periculis expositi erant praedicatores » etc.

eius religionem (*Iust.*) vel doctrinam (ex acath. *Grot. Ros.* etc.), aut eius munus tamquam fundatoris ecclesiae (ex acath. *God.* etc.). Ad quam ultimam sententiam alia via prope accedunt *Oec.*[2] et *Theoph*[2]., qui formam μεμέρισται pro perf. med. sumentes explicant : « numquid Christus cum hominibus ecclesiam partitus est, ut unam partem sibi acceperit, alias aliis dederit? » Quae omnia erronea esse patet.

Graecum βαπτίζεσθαι εἰς τὸ ὄνομά τινος (pro quo semel ἐπὶ τῷ ὀνόματι *Act.* 2,38 et semel ἐν τῷ ὀνόματι *Act.* 10,48) a *Vulg.* semper redditur « baptizari in nomine alicuius », sensu tamen non mutato, quia in infima latinitate praepositio *in* c. abl. saepissime pro *in* c. acc. adhibetur. Itaque « baptizari in nomine (nomen) Pauli » non significat « invocato nomine Pauli baptizari », uti intelligere videntur interpretes scholastici, qui ab Apostolis interdum ex speciali privilegio, « ut nomen Christi redderetur venerabile », solo nomine Christi invocato baptismum collatum esse coniecerunt idque ex nostro loco confirmare voluerunt (cfr *Thom. Lyr. Cai.*). Baptismus semper collatus est illa formula, quam docuit Dominus ipse (*Math.* 28,19)[1]; « in nomine (nomen) Christi » autem baptismus conferri dicitur, non tam ut a Christi auctoritate et dignitate efficaciam baptismi dependere doceatur, quam ut fideles per baptismum Christo consecrari ac devoveri atque eius corpori mystico inseri insinuetur. « In nomine Pauli baptizari » idem igitur est, quod per baptismum Paulo consecrari.

2. *Factionum creandarum ratio sufficiens non est simplex Pauli praedicatio* (1,17-3,4).

Secundum argumentum, quo illi factiosi (apolloniani) confunduntur, qui ob humilis praedicationis apostolicae contemtum ad schisma inclinabant, duabus partibus ita exponitur, ut quae sit Evangelii ad sapientiam mundanam relatio simul explicetur (cfr *Thom.*). In priore enim parte (1,17-2,5) Paulus rationem reddens, cur Corinthi humili docendi ratione usus sit, Evangelium humanae sapientiae opponi docet, in altera vero (2,6-3,5) explicans, cur ab altioribus doctrinis tradendis sese abstinuerit, in Evangelio supranaturalem sapientiam contineri ostendit, quae humano intellectui impervia inter perfectos annuntietur.

1. In priore argumenti parte igitur praeprimis thesin statuit, sapientia mundana, ne Christi crux virtute sua salvifica privetur, Evangelium non esse propagandum, id quod iam prophetica praedictione constet (1,17-19); experientiam quoque docere ostendit, nec ad pro-

1. Egregie id demonstratur antiquissimo documento christiano, quod aetati apostolicae originem suam debet. Etenim *Doctrina Apost.* 7. hanc formulam diserte praescribit, sed paullo postea (c. 12.) eos, qui in nomine Patris et Filii et Spiritus S. baptizati sunt, appellat « baptizatos in nomine Domini » (οἱ βαπτισθέντες εἰς ὄνομα Κυρίου).

pagandum Evangelium sapientes huius mundi vocatos esse et vocari potuisse (1,20-25), neque illud inter sapientes invenisse multos asseclas (1,26-31); unde facile apparet, cur Corinthi simplicem praedicandi methodum tenuerit (2,1-5).

a). *Sapientia humana Evangelium propagari noluit* Deus (1,18-20).

1,17. *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare : non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* 18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est : iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est.* 19. *Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.*

1,17. οὐ γὰρ ἀπέστειλέν με ὁ Χριστὸς βαπτίζειν, ἀλλὰ εὐαγγελίσασθαι οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ. 18. ὁ λόγος γὰρ τοῦ σταυροῦ τοῖς μὲν ἀπολλυμένοις μωρία ἐστίν, τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν δύναμις Θεοῦ ἐστίν. 19. γέγραπται γάρ· Ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν ἀθετήσω [1].

Simili fere modo, quo *Rom.* 1,16 Paulus ab epistolae exordio ad commentationem suam transiturus eius thema interiecta quadam sententia proponit, hoc in loco ultimis primi argumenti verbis thesin et fundamentum secundi quasi praeteriens innuit negans se esse missum *evangelizare in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* In verbo, i. e. verbo (nam praep. *in* per hebraism. est posita) vel potius sermone, Evangelium procul dubio propagare debuit, nam « fides ex auditu », at non sapiente sermone; quod ut clarius indicaret, non adiectivum (ἐν σοφῷ λόγῳ) sed substantivum (ἐν σοφίᾳ λόγου) adhibuit. Cuius expressionis significatio arctioribus limitibus circumscribitur, si elegantem sermonis dictionisque formam seu artem eloquentiae (τὴν σοφίαν τοῦ λέγειν) solam excludere dicitur (*Theod. Theoph. A*ler. *Cai. Lap. Nat. M Ev. Bisp. L R. Ramb.* etc.; — multi acath.); « et apparatum sermonis et sapientiae saecularis ostensionem » a Paulo excludi, rectius tenent alii (*Chrys. Occ. Prim. H Vict. Thom. Dion. Calm. Mai.* etc.; — alii acath.)[2]. Ex tota enim Apostoli argumentatione, cuius thesis et fundamentum hac sententia proponuntur, clare

1. *VV. LL.* — 18. τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν est communis codd. gr. et verss. lectio; sed ἡμῖν om. F G et octo lection., *It.* (*Iren.* interpr., *Cypr.*, *Hil.*, *A*ler quem sequitur *Rhab.*); *Vulg.* exhibet *id est nobis*, quae verba in Fuld. lineae superscripta, in Amiat. deleta sunt; ceterum de Vulg. lectione recte *Est.* : « In Graeco non interponitur *id est*, sed ea addidit interpres vel alius quispiam explicandae sententiae causa ». Retinenda est communis lectio codd. graec.

2. *Thom.* « Sed contra hoc videtur esse, quod multi doctores Ecclesiae in doctrina fidei sapientia et rationibus humanis et ornatu verborum sunt usi... Dicendum est ergo, quod aliud est *docere in sapientia verbi* quocumque modo intelligatur, et aliud *uti sapientia verbi in docendo.* Ille in sapientia verbi docet, qui sapientiam verbi accipit pro principali radice suae doctrinae, ita sc. quod ea sola approbet, quae sapientiam verbi continent, reprobet autem ea, quae sapientiam verbi non habent; et hoc fidei est corruptivum. Utitur

elucet, sapientiam illam intelligi, quae a Deo per prophetam est reprobata (*v.* 19.), a Paulo ipso sapientia huius mundi appellatur (*v.* 20), atque secundum eius descriptionem (*v.* 20 sqq.) non tantum graecorum philosophorum, qui solas veritates naturales cognoverunt, sed etiam incredulorum Iudaeorum, qui veritates supranaturales carnaliter explicarunt, ratiocinandi loquendique rationem totamque eorum eruditionem complectitur. Tota igitur naturalis et carnalis eruditio et eloquentia, qua homines utuntur, ut alios ad suas sententias studiose pertrahant, ab apostolica praedicatione excluditur, *ut non evacuetur* (κενωθῇ i. e. interna sua virtute salvifica privetur) *crux Christi.* Quodsi enim philosophicis ratiociniis, eruditis sermonibus, artificiis rhetoricis Apostoli essent usi, non tantum Graeci crucem solam ad mundum convertendum non sufficere credidissent totumque praedicationis effectum istis naturalibus adiumentis adscripsissent[1], sed ipsa quoque virtus crucis, i. e. divina potentia, quae per crucifixi merita operatur, sese exserere non potuisset.

Quomodo autem de evacuatione crucis loqui possit, Apostolus explicat docens praedicationem evangelicam intrinseca virtute pollere, quae non in omnibus quidem, sed in credentibus sese manifestet : 18 *verbum enim crucis,* i. e. praedicatio de cruce, *pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salvi fiunt,* (*id est*) *nobis, Dei virtus est.* Uti alibi (cfr 2 *Cor.* 2,15), Paulus etiam hic duas hominum classes distinguit, τοὺς ἀπολλυμένους *pereuntes,* i. e. eos, qui in via sunt ad interitum, et τοὺς σωζομένους « ad salutem venientes », *qui salvi fiunt,* i. e. in via sunt ad salutem, « denominationes ab exitu desumens » (*Theod*). Pereuntium nomine ab Apostolo intelligi infideles, docent loci paralleli (cfr 2 *Thess.* 2,10 » pereuntes eo, quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent »; 2 *Cor.* 4,4); ad salutem igitur venientes sunt fideles (*v.* 21). Iamvero sicut « aegrotantibus ipsi etiam salubres cibi sunt insuaves non propter suam naturam, sed propter eorum morbum » (*Chrys.*), ita etiam infidelibus praedicatio crucis est stultitia, quia non intelligunt ea doctrinae capita, quae secundum humanam sapientiam sunt impossibilia aut humanae prudentiae contraria (cfr

autem sapientia verbi, qui suppositis verae fidei fundamentis si qua vera in doctrinis philosophorum inveniat, in obsequium fidei assumit ». De usu eloquentiae cfr *S. Aug.* Doctr. christ. IV. 2 sqq.

1. Fuse et pro more suo eloquentissime hoc de argumento disserit *Chrys.* hom. 3, 3.4.5; bene etiam, nisi de sola eloquentia sermonem esse putaret, *Theod.* : « Si enim Paulus eloquentia et dicendi arte usus esset, non ostensa fuisset potentia crucifixi; omnes enim existimassent, eos qui crediderant facundia et rhetoricis artificiis captos esse. Praedicatorum autem imperitia, quum eos, qui de sua eloquentia gloriabantur, vinceret, virtutem crucis aperte manifestavit ». Eadem ratione reliqui.

Thom.). Attamen licet ab infidelibus stultitia habeatur, Evangelium tamen est Dei virtus ad salutem et tamquam Dei virtus agnoscitur ab iis, in quibus conditio ad illud intelligendum requisita, i. e. fides, reperitur (cfr *Rom.* 1,16); *iis, qui salvi fiunt,* qui accepta fide in via ad salutem sunt, *nobis, Dei virtus est.* Non dixit Apostolus, Evangelium nobis credentibus esse *Dei sapientiam,* id quod forte in oppositione ad praecedens *stultitia est* exspectaverimus, sed *Dei virtutem;* quamvis enim etiam Dei sapientia sit (*cfr v.* 24), non est tamen mortua quaedam et inefficax doctrina, uti systemata philosophica, quae homines, qui ea recipiunt, in praecedente eorum statu relinquunt, sed doctrina viva et efficax, quae virtutem suam divinam in credentibus manifestat, quippe quos fortiores reddat diabolo et mundo atque ad omnes virtutes instituat (cfr *Thom.*).

Thesin suam (praedicationem evangelicam non debere esse in sapientia verbi, ne crux Christi evacuetur), quam *v.* 17. proposuerat et *v.* 18. explicaverat, Apostolus nunc demonstrare aggreditur ad propheticum praeprimis verbum provocans, quo Deus se destructurum esse humanam sapientiam annuntiavit : 19. *Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobabo.*

Verba haec ex *Is.* 29,14 desumta sunt secundum versionem alex., quae in eo solo a textu massor. discedit, quod ea, quae hebr. passive sunt dicta (peribit sapientia sapientium eius et prudentia prudentium eius abscondetur, vel sese abscondet) sensu non mutato active tamquam ab ipso Deo prolata exprimat (ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν αὐτοῦ καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν αὐτοῦ κρύψω); ultimum verbum κρύψω (occultabo) Paulus, ut textum clariorem redderet, recte mutavit in ἀθετήσω (ἀθετεῖν cum contemtu seponere, reprobare); etenim hebr. וּבִינַת נְבֹנָיו תִּסְתַּתָּר idem est, quod : prudentia prudentium abscondet se seu evanescet, ut nihil iam valeat. Porro pronomina αὐτοῦ, quae ad populum israeliticum referuntur, praetermisit, quoniam sententia, qua Deus sapientiam populi sui carnalem reprobavit, a fortiore valebat de sapientia ethnica; namque velut causam, cur Deus reprobaturus sit sapientiam sapientium populi sui, indicat propheta defectum verae pietatis et neglectum cultum Dei (*Is.* 29,13); in eodem autem cultu Dei neglecto Paulus (*Rom.* 1,21. 24. 26. 28) ultimam cernit rationem, qua gentes ad enormem morum corruptionem descenderint et mentis in rebus religionis stupiditatem (cfr *Knabenbauer* Comm. in Isaiam I. p. 524).

Ceterum in isto vaticinio (*Is.* 29,1-14) Deus promittit, se populum suum maximo miraculo ab invasione regis assyriaci Sennacherib esse liberaturum; at videns, magnam populi partem ob cordis duritiem prudentiae suae humanisque, quae ab Aegyptiis petierant, auxiliis magis quam divinae promissioni confidere, annuntiat se vanam et inanem eorum sapientiam demonstraturum. Iam vero illa, quae propheta proxime de populo suae aetatis

dixit, Paulus divino Spiritu illustratus typice dicta esse videt etiam de tempore messianico[1]. Miraculo longe maiore, quam quo olim urbem Ierusalem ab invasione Sennacherib liberavit, et a longe maiore periculo Deus totum mundum servavit, morte nimirum et cruce Filii fideles eripiens ab aeterno interitu; frustra autem carnales Iudaei et infideles philosophi in sua sapientia aliam viam salutis quaerunt; sicut olim Deus irritam et vanam demonstravit sapientiam consiliariorum Ezechiae, qui humanis auxiliis sese salvare voluerunt, ita nunc et semper confundet omnem sapientiam humanam, quae proinde idonea non est ad Evangelium propagandum. Apte igitur verbum propheticum ab Apostolo velut probatio theseos *v.* 17. enuntiatae assumitur; quem nexum indicarunt *Theod. Oec. H Car. Lyr. Cai. Est. M. Ev. Bisp.* etc. et aliqui acath. Minus recte alii verba prophetica velut probationem *v.* 18. sumunt, ita ut ostendatur, aut incredulos sapientes esse perituros (*Oec.*), aut verbum crucis hominibus esse stultitiam (*Thom. Dion.* etc.), aut verbum crucis velut sapientiam in V. T. iam esse annuntiatam (*Mai.* — *Mey. God.* etc.); neque enim haec omnia verbis propheticis, sicut hic leguntur, satis conveniunt, neque proximo eorum sensui adaptari possunt.

b.) Neque ad Evangelii propagationem Deus sapientes huius mundi elegit aut eligere potuit, quia muneris huius implendi erant incapaces (1,20-25).

1,20. *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* 21. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* 22. *Quoniam et Iudaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt:* 23. *nos autem praedicamus Christum crucifixum: Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam;* 24. *ipsis autem vocatis Iudaeis, atque Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam;* 25. *quia quod stultum est Dei: sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

1,20. ποῦ σοφός; ποῦ γραμματεύς; ποῦ συνζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου; οὐχὶ ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου; 21. ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔγνω ὁ κόσμος διὰ τῆς σοφίας τὸν Θεόν, εὐδόκησεν ὁ Θεὸς διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας. 22. ἐπειδὴ καὶ Ἰουδαῖοι σημεῖα αἰτοῦσιν καὶ Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσιν, 23. ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, ἔθνεσιν δὲ μωρίαν, 24. αὐτοῖς δὲ τοῖς κλητοῖς, Ἰουδαίοις τε καί Ἕλλησιν, Χριστὸν Θεοῦ δύναμιν καὶ Θεοῦ σοφίαν· 25. ὅτι τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστίν, καὶ τὸ ἀσθενὲς τοῦ Θεοῦ ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων[2].

1. Dominus ipse (*Matth.* 15,7. 8) verba prophetae (*Is.* 29,13), quae nostro textui immediate praecedunt, typice de suae aetatis Iudaeis iam interpretatus erat : « Hypocritae, bene *prophetavit de vobis* Isaias dicens : Populus hic labiis me honorat » etc. Dubium igitur esse nequit, quin etiam verba a Paulo allegata, quae intimo nexu cum praecedentibus cohaerent, typicum sensum habeant. Quapropter eorum explicatione non indigemus, qui in sententia allegata generale quoddam divinae providentiae decretum vident, quod uti in aliis omnibus similibus eventibus, ita etiam in praedicatione crucis impleatur; verba prophetae determinatos sapientes et determinatum eventum respiciunt.

2. *VV. LL.* — 20. τοῦ κόσμου (mundi) sine addito B ℵ A D P, pauci minusc.; sed τοῦ

Se non esse missum, ut in sapientia verbi evangelizaret, Paulus verbo prophetico demonstravit; iam ulterius progressus vaticinium illud revera impletum esse atque quotidie confirmari ostendit, quum nec ad propagandum (20-25) nec ad recipiendum (26-31) Evangelium sapientiam ullum ius tribuere experientia doceat. Praeprimis Apostolorum collegium circumspiciens quasi gloriabundus exclamat : 20. *Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor huius saeculi?* Sapientis nomen est generale omnesque complectitur, qui « sapientia verbi » excellere creduntur; duae autem eorum classes distinguuntur, scribae et conquisitores; prius nomen in toto Novo Test. (si singularem textum *Act.* 19,35 excipis, in quo est titulus magistratus ephesii) solos legis iudaicae doctores designat; altero, quod proprie disputatorem (συνζητητής) designat, Graecorum sophistae et philosophi apte intelliguntur. Inter Apostolos Evangeliique praedicatores igitur nullus reperitur sapiens, sive iudaicus sive ethnicus, qui ad *hoc saeculum* pertinens (genitivus enim *huius saeculi* ad omnia tria nomina a plerisque interpretibus recte trahitur, ita ut tres interrogationes commate melius quam signo interrogationis separentur) sapientia *huius saeculi* sit instructus. Unde clare elucet, Deum *sapientiam sapientium* reprobasse, atque Paulus merito concludit : *Nonne stultam fecit*, i. e. stultam esse et stultam a se reputari ostendit (*Chrys.* etc.), *Deus sapientiam huius mundi*, quia illam in Evangelio propagando nullam omnino partem habere voluit?

Quomodo *sapiens, scriba, conquisitor* sint distinguendi, dissentiunt interpretes. Graeci plerique (*Chrys. Theod. Oec. Theoph.*) sapientem intelligunt ethnicum philosophum, scribam Iudaeum legis peritum, conquisitorem eum, « qui ex his et ex illis disserendi artem exerceat »; *Cyr.* solos ethnicos indicatos putat, rhetorem, grammaticum, sophistam; *A^ter* duo priora nomina cum Chrys. et Theod. explicat, sed in conquisitore huius saeculi videt astrologum, « qui constellationibus regi mundum et duodecim signis ortus et occasus fieri decernit calculis, nihil omnino sine horum motu putans posse fieri ». Varias quoque explicationes attulerunt iuniores et moderni in eo tamen fere consentientes, non solos ethnicos, sed etiam iudaicos sapientes a Paulo designari; quoniam vero in tota hac sectione

κόσμου τούτου (*huius mundi*) E F G L, plerique minusc., *It.* (*Tert.*, *Cypr.*, *A^ter* etc.), *Vulg.*, *Syr.*, *Copt.*, *Goth.*, *Arm.*; PP. graeci pronomen τούτου in eodem contextu aliquoties addunt, aliquoties omittunt; ob omnium versionum consensum rectius retinetur. — 22. σημεῖα (*signa*) B ℵ A C D E E P cum paucissimis minusc., *It.*, *Vulg.* *Syr.*, *Copt.*, *Goth.*; male *textus rec.* : σημεῖον cum L, plerisque minusc., *Arm.* — 23. ἔθνεσιν (*gentibus*) B ℵ A C D E F G L P cum paucis minusc. et *omnibus* verss.; male *textus rec.* : Ἕλλησιν cum plerisque minusc.

sapientia lato sensu sumitur, ut praeter philosophiam ethnicam etiam carnalem Scripturarum intelligentiam Iudaeorum includat, etiam nomen *sapientis* generali sensu videtur explicandum.

Interpretes aliqui (*Cai. Lap. Calm. Ramb.* etc.) Paulum verba *Is.* 33,18 allegare aut saltem ad illa alludere (*Iust. Nat. L R. Dr.* etc.) arbitrantur; attamen parum recte, quum nec verba consonent et sensus in utroque loco prorsus differat; quare etiam inter patristicos paulinarum epistolarum interpretes nemo de hac allegatione aut allusione loquitur. Iuxta textum hebr. Isaias interrogat : « Ubi est scriba (sc. qui tributa imponit)? ubi ponderans (sc. tributa i. e. exactor)? ubi numerans turres? » Iuxta textum alex. : « Ubi sunt literati? ubi consiliarii? ubi ille, qui numerat eos qui nutriuntur? » Quibus cumulatis interrogationibus propheta gaudium exprimit, quo populus calamitatis assyriacae subito miraculo ablatae recordaturus sit (cfr *Knabenb.* Comm. in Isaiam I. p. 576).

Hoc saeculum (οὗτος ὁ αἰών, הָעוֹלָם הַזֶּה, pro quo etiam *hoc tempus*, οὗτος ὁ καιρός, ὁ νῦν καιρός etc.) rabbinis quidem est tempus antemessianicum in oppositione ad messianicum, quod illis est *futurum saeculum* (ὁ αἰὼν ὁ μέλλων, vel ὁ ἐρχόμενος vel ἐκεῖνος הָעוֹלָם הַבָּא); duobus autem sensibus diversis a Novi Test. scriptoribus adhibetur. Etenim hoc saeculum interdum illis est totum tempus usque ad secundum Christi adventum ultimumque iudicium (*Math.* 12,32; *Marc.* 10,30; *Tit.* 2,12 etc.), et futurum saeculum est ipsum gloriosum Christi regnum (*Luc.* 20,35); interdum ad rabbinicum vocabulorum usum propius accedentes nomine *huius* saeculi continuationem temporis antemessianici ita designant, ut eos omnes, qui in Christum credere nolunt, illi accenseant; idque rectissime, siquidem istis infidelibus Christus nondum advenit et tempus antemessianicum perdurat. Hoc sensu οὗτος ὁ αἰών atque etiam similes appellationes, quas pro synonymis fere adhibet (οὗτος ὁ κόσμος vel ὁ κόσμος hic mundus) aut cum priore coniungit (ὁ αἰὼν τοῦ κόσμου τούτου saeculum huius mundi *Eph.* 2,2), apud Paulum frequenter inveniuntur (*Rom.* 13,2; 1 *Cor.* 1,20; 2,6. 8; 2 *Cor.* 4,4; *Gal.* 1,4 etc.; — 1 *Cor.* 1,20; 2,12; 3,19; 5,10 etc.) eique sunt tempus vel mundus, in quibus, quia gratiam Christi recipere nolunt, etiam nunc post Domini adventum diabolus (*deus huius saeculi* 2 *Cor.* 4,4) dominium suum retinet. Simili deinde modo οἱ αἰῶνες οἱ ἐπερχόμενοι (saecula supervenientia *Eph.* 2,7), ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα (orbis terrae futurus *Hebr.* 2,5 cfr 9,11) intelliguntur ab eo regnum messianicum, quod nunc quidem iam exsistit, sed progrediente tempore semper magis sese extendet atque tandem in gloriosum Christi regnum transmutabitur.

At Paulo non sufficit, ut Deum ad propagationem Evangelii sapientes huius saeculi non elegisse ostenderit; intimam quoque rationem indicare vult, cur ad hoc munus minime sint idonei et cur Deus eorum sapientiam confuderit. Itaque pergit : 21. *nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per*

stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Quae sententia obscurior est, quia idem sapientiae vocabulum diversis sensibus adhibetur[1]. *Dei sapientia, in qua* mundus Deum non cognovit, a plerisque interpretibus intelligitur illa, quae in ipsa creatione universa sese manifestat et in ea quasi conspicitur (*Rom.* 1,20). « Quid sibi vult : in sapientia Dei? In ea, quae apparuit per opera, per quae cognosci voluit » (*Chrys.* cfr *Theod. Dam. Oec. Theoph. A^ter Pel. Sed. H Car. Thom. Lyr. Dion. Cai. Est. Lap. M Ev. Bisp.* etc. — Multi acath.) Attamen haec explicatio arctior esse videtur, siquidem et in praecedente versu et in sequentibus Apostolus non de solis ethnicis, sed etiam de iudaicis sapientibus loquitur; quare rectius cum *Tert.* Dei sapientiam intelligimus quum eam, quae in mundi opificio sese manifestat, tum eam, quae in Scripturis Veteris Tert. continetur sed a carnalibus Iudaeis non intelligebatur[2]. Porro *sapientia, per quam* (διὰ τῆς σοφίας) mundus Deum non cognovisse dicitur, non potest esse eadem, *in qua* Deum non cognovit (id quod volunt *Chrys. Dam. Theoph. H Car. Thom. L. R. Dr.* etc.); velut instrumentum enim (διὰ *per*) a fonte obiectivo cognitionis (ἐν *in*) differt; neque potest esse vera philosophia (*Cai.*), qua mundus, i. e. homo huius saeculi, est destitutus; sed aut est ipsa intelligendi facultas (*Theod. Oec. Sed. Iust.*), aut rectius ipsa mundi sapientia naturalis et carnalis (*A^ter Lyr. Dion. Est. Nat. M Ev. Mai. Bisp. Ramb.*), quae complectitur tum ethnicorum philosophorum systemata tum incredulorum Iudaeorum doctrinas. Sensus igitur difficilis huius sententiae hic esse videtur : *Quia in sapientia Dei*, quae et ex operibus creatis et ex Veteris Test. revelatione

1. *Theod.* « Duas vel potius tres dicit sapientias; etenim eam, quae stultitia aestimatur, sapientiam esse ostendit eamque aliis praestantiorem. Dicit autem unam quidem sapientiam, quae hominibus data est, per quam et ratione praediti sumus et ea, quae sunt agenda discernimus et artes disciplinasque invenimus et Deum cognoscere possumus; alteram autem, quae in rerum creatarum contemplatione versatur; videmus enim coeli magnitudinem, solis pulchritudinem, astrorum choream, terrae et maris latitudinem, plantarum et animalium differentiam et cetera, ne singula proferam; tertiam autem eam, quae per Salvatorem nostrum ostenditur, quam qui non admittunt appellant stultitiam. Hoc autem dicit, quod oportebat quidem homines, qui naturalem cognitionem a Deo acceperunt, per creaturas quasi manu duci et earum opificem adorare; sed quia nullam ex his utilitatem accipere voluerunt, benignus ac clemens Deus alia ratione eis salutem persuasit et per eam quam stulti vocant stultitiam illos ab errore liberavit ».

2. *Tert.* c. Marc. V. 5 : « Quia homo in sapientia non cognoverat Deum, quem cognoscere debuit et Iudaeus in sapientia Scripturarum et omnis gens in sapientia operum, ideo Deus idem, qui in sua sapientia non erat agnitus, statuit sapientiam hominum stultitia repercutere salvos faciendo credentes quosque in stultam crucis praedicationem ». Erronee *Clemens Alex.* (Strom. I. 18.) solam Scripturarum sapientiam indicari vidit : « Quoniam in sapientia Dei, ea nimirum, quae per prophetas est annuntiata, non cognovit mundus per sapientiam, quae nempe loquitur per prophetas, Deum ipsum, Deo visum est, per praedicationem stultitiae, quae Graecis scilicet videtur esse stultitia, salvos facere credentes ».

apertissime elucet, *mundus*, i. e. homo huius saeculi sive Graecus sive Iudaeus, *per sapientiam* suam, qua ethnici philosophi et carnales Iudaei gloriabantur, *Deum non cognovit*, i. e. ad genuinam veri Dei cognitionem, qua vitam suam instrueret et ad salutem adipiscendam aliqua saltem ratione sese disponeret, nec pervenit nec pervenire potuit, ideo *placuit Deo* (εὐδόκησεν ὁ θεός, *Tert.* : boni duxit Deus, *Hil.* : decrevit Deus) *per stultitiam praedicationis*, i. e. stultitiam, quae evangelicae praedicationis summa est, sc. per Christi crucem praedicatam, *salvos facere* non quoscumque, sed eos, in quibus conditio a Deo requisita, fides, reperitur, nimirum *credentes*, idque eum in finem, ut confunderet vanam hominum sapientiam illisque ea eriperet, quibus in conspectu eius gloriarentur (*cfr v.* 29).

Attendas velim, qua pulcherrima ratione in hac sententia membra singula inter se opponantur : mundus infidelis credentibus; sapientia, qua mundus cognoscere Deum non potest, stultitiae praedicationis, qua credentes eum cognoscunt; τὸ *non cognoscere* mundi τῷ *salvum fieri* credentium. Ex ultima oppositione simul elucet, non qualemcumque Dei cognitionem mundo abiudicari, sed practicam illam, qua vita regi possit; hinc nulla est contradictio inter *Rom.* 1,21 et nostrum textum, neque cum *Cai.*, *Est.* aliisque dicere licet, Paulum in ep. ad Rom. paucis philosophis cognitionem Dei attribuere, et in nostro loco *mundo*, i. e. hominibus in genere, eam abiudicare; de iisdem enim personis in utroque loco loquitur, sed alia est cognitio, quam eas habuisse in ep. ad Rom. affirmat, alia, qua eas caruisse in nostro loco asserit.

Alteram quaestionem movet *Iust.* interrogans, utrum gentilium ignorantia, qui ex operibus Deum non cognoverunt, ab Apostolo velut vera et unica ratio et causa proferatur, cur Deus fidem evangelicam concesserit, an rerum potius series tantum et nexus temporalis, iuxta quem ignorantiae successerit revelatio, indicetur; atque merum nexum temporalem admittit, quia ex priore hypothesi sequi videatur, fidem et rerum divinarum supranaturalem scientiam non esse suapte natura necessariam (necessitate quam vocant medii) ad salutem. Eodem scrupulo, ut videtur, permotus unus alterve interpres modernus particulam ἐπειδή (*quia*), quae semper est causalis, velut temporalem vertit (Car, après que le monde etc. *Ramb.*). At difficultas nulla est, dummodo Apostolum sapientiae mundanae *stultitiam* praedicationis opponere attendatur; hanc scilicet eligendam Deus duxit, ut sapientes huius saeculi confunderet. Id utique ex verbis apostolicis omnino sequi videtur, Deum, si humanum genus post protoparentum lapsum in veri Dei cognitione cultuque permansurum atque populum electum Legem sibi datam fideliter observaturum nec acceptam revelationem carnali suo sensu corrupturum esse praevidisset, aliam redemtionis viam eligere potuisse et electurum fuisse, qua infinitam suam iustitiam, misericordiam, sapientiam non minus clare manifestasset, quam eam nunc in

hoc rerum statu manifestavit *stultitia praedicationis* de cruce Christi; haec enim in illa hypothesi ad sapientiam sapientium confundendam non fuisset necessaria.

Revera porro Deo placuisse per stultitiam praedicationis salvos facere credentes, Apostolus non tam demonstrat quam explicat (ἐπειδή i. q. quandoquidem, da ja) praedicationem evangelicam describens eiusque effectus indicans quum in infidelibus tum in fidelibus; priores enim id, quod petunt et quaerunt, in illa non inveniunt ideoque illam pro stulta habent; alteri in illa id, quod revera adest, cognoscunt ideoque salvi fiunt. Itaque ut praecedentem sententiam explicet, primum indicat quamnam praedicationem infideles exspectent : 22. *quoniam* (ἐπειδή quandoquidem) *et Iudaei signa petunt et Graeci sapientiam quaerunt*, et quidnam in apostolica praedicatione inveniant : 23. *nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Iudaei, qui in patribus suis doctrinam multis maximisque miraculis confirmatam acceperant, etiam nunc *signa* (σημεῖα, non σημεῖον, quae erronea lectio originem suam ex *Matth.* 12,38; 16,1 *signum de coelo* traxisse videtur), integram seriem manifestationum divinae virtutis non quaerunt, sed *petunt*, αἰτοῦσιν i. e. velut rem sibi debitam postulant; eadem ratione, qua olim panibus divinitus multiplicatis satiati insequente iam die iterum a Domino signum petunt, « ut videant et credant ei » (*Ioan.* 6,30). *Graeci* vero, i. e. gentiles [1], qui supranaturali revelatione miraculis confirmata carentes solam rationem ducem sequuntur, non a Deo sibi dari petunt sed propriis viribus confisi sibi *quaerunt* (ζητοῦσιν) *sapientiam*, i. e. doctrinam quandam iuxta rerum mundanarum rationes docte et erudite elaborare student, quae altiora eorum desideria expleat. Hinc neutri apostolica praedicatione erant contenti; nam quid illis pro longa illa miraculorum serie et pro docto illo systemate philosophico offerebatur? *Nos autem*, inquit Apostolus, *praedicamus Christum* tamquam *crucifixum* (Χριστὸν ἐσταυρωμένον sine articulo; eodem igitur sensu quo 2,2 « Iesum Christum et hunc crucifixum »; *cfr Gal.* 3,1), qui utique carnalibus *Iudaeis scandalum* erat, i. e. « lapis offensionis » (1 *Petr.* 2,8), « quia desiderabant virtutem miracula facientem et videbant infirmitatem

1. Ἕλληνες nusquam in Novo Test. est nomen gentilicium, quo gens seu natio Graecorum designetur; sed plerumque est nomen religiosum, quo omnes illi, qui supranaturalem revelationem non acceperunt, designantur; hinc Ἕλληνες tamquam gentiles frequentissime opponuntur Iudaeis (*Act.* 14,1; 18,4; 19,10 etc.) et nomen Ἑλλήνων a *Vulg.* saepe vertitur *gentiles* (*Ioan.* 7,35; 12,20; *Act.* 16,1. 3 etc.). Neque *Rom.* 1,14, ubi Ἕλλησιν βάρβαροι opponuntur, nomen est gentilicium, quia Apostolus Romanis scribens eos barbaris adnumerare non potuit, sed latiore sensu populos cultos designat in oppositione ad incultos.

crucem patientem », *gentibus autem stultitia* « quia contra rationem humanae sapientiae videtur, quod Deus moriatur et quod homo iustus et sapiens se voluntarie turpissimae morti exponat » (*Thom.*).

At infidelium ipsorum culpa est, si in praedicatione evangelica id, quod petunt et quaerunt, non inveniant; revera enim in illa adest et in illa reperitur, dummodo in petente et quaerente ea conditio impleatur, quam Apostolus iam indicaverat (*v.* 21 credentes); quodsi praedicatio fide recipitur, stultitia et scandalum disparent atque in sua vera luce splendet crux Christi. Haec docet Apostolus eandem sententiam continuans : « nos praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis scandalum, gentibus stultitiam », 24. *ipsis autem vocatis Iudaeis atque Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Quin *vocati* in hoc versu iidem intelligantur, qui *v.* 21 credentes et *v.* 18 sese salvantes appellantur, non est dubium, siquidem vocabulum *vocatus* (κλητός) ab Apostolo non adhibetur, nisi de iis qui divinam vocationem audiunt et sequuntur[1]. Illis igitur Iudaeis, qui divinae vocationi, a qua est fidei initium, obsecuti ad fidem pervenerunt, Christus crucifixus, turpissima eius morte non obstante, non amplius est scandalum, sed verus *Christus*, quem exspectabant, *Dei virtus*, quae non tantum tota serie miraculorum ab eo patratorum et ab Apostolis in eorum praedicatione narratorum sese manifestaverat, sed continuo per apostolicam praedicationem operabatur, nova faciens omnia. Atque Graeci quoque illi, qui vocati luci fidei oculos suos aperuerunt, in cruce Christi sapientiam, quam quaesiverunt, detexerunt, divinum redemtionis consilium intelligentes, quod sola Dei sapientia excogitavit et exsecuta est.

Ne quis vero dubitet, quin res ita se habeat atque in cruce Christus Dei sapientiam et Dei virtutem manifestaverit, oxymoro quodam hanc argumentationis suae particulam Apostolus confirmat : 25. *Quia quod stultum est Dei*, i. e. stultitia, quam in divinis consiliis et operibus naturalis homo detegere sibi videtur, *sapientius est hominibus*, i. e. non tantum sapientissima consilia et opera sed ipsum hominem cum tota sapientia, quam sibi attribuit, superat, *et quod infirmum est Dei*, i. e. imbecillitas, quae in consiliis et operibus divinis videtur esse, *fortius est hominibus* cum tota eorum fortitudine et potestate[2]. Stulta prae-

1. Cfr supra 1,2; *Rom.* 1,6. 7; 8,28 etc.; *Clem. Alex.* (Strom. I. 18) : « Quum igitur omnes homines sint vocati (κεκλημένοι), illi qui audire voluerunt appellantur κλητοί. Neque enim est apud Deum iniustitia; iam vero qui ex utroque populo crediderunt, hi sunt populus (Deo) peculiaris » (λαὸς περιούσιος, עַם סְגֻלָּה *populus peculiaris Deut.* 7,6 etc.; at Vulgata locum, ad quem *Clem. Alex.* alludit [*Tit.* 2,14 λαὸς περιούσιος], minus accurate reddidit : populus *acceptabilis*).

2. Verba : *quod stultum est Dei* (τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ), *quod infirmum est Dei* (τὸ ἀσθενὲς τοῦ Θεοῦ) apte reddi possunt *stultitia Dei* atque *infirmitas Dei*. Apostolus enim

dicatio de cruce omnem doctissimorum philosophorum sapientiam confudit, atque infirma crux Christi principem huius saeculi devicit genusque humanum ab eius servitute liberavit.

In *vv.* 22. et 23. coniungendis et explicandis haud pauci moderni a vero aberrant. Alii enim eos ita coniungunt, ut *v.* 22. velut protasis rationem det sequentis apodoseos hoc modo : « Quoniam Iudaei signa petunt,... ideo nos praedicamus » etc. (*Mey.*); cui explicationi non sola obstat particula adversativa (*v.* 23 nos *autem*), a qua apodosis inchoari nequit, sed ipse quoque nexus absurdus. Neque rectius alii *v.* 22 putant esse parallelum protasi *v.* 21, ut duabus rationibus illud *placuit Deo* demonstretur hoc modo : « Quia mundus non cognovit... *et* quia Iudaei signa petunt..., ideo placuit Deo » etc. (*Mai.* — *Kl. Br. Schn.* etc.); nam hic quoque nexus non est aptus, siquidem stulta Iudaeorum petitio etc. non recte dicitur ratio, cur Deus, per stultitiam praedicationis credentes salvare velit. Porro nonnulli in *v.* 24. verbum *praedicamus* repetere volunt (*Mai.* — *Mey.* etc.); parum recte autem id fit, nisi duas praedicationes apostolicas distinguere velimus : « Iudaeis infidelibus praedicamus Christum scandalum..., Iudaeis credentibus autem praedicamus Christum Dei virtutem ». Unam potius et continuam habemus sententiam, in qua verba *Dei virtutem* etc. eadem ratione se habent ad verba : *praedicamus Christum crucifixum*, qua ad eadem se habent priora verba : *Iudaeis scandalum et gentibus stultitiam*; Apostolus autem in altero membro vocabulum *Christum* repetiit, quia ob interposita vocabula quasi disparuerat. Alii tamen nomen Christi in secundo membro pro appositione habent, ut hic sit sensus : « nos praedicamus Christum crucifixum, qui Iudaeis quidem scandalum et gentibus stultitia, vocatis autem Iudaeis et gentibus (verus) Christus, Dei virtus, est ». Cui explicationi non obstat omissio vocabuli *verus* (ἀληθῶς Χριστόν), siquidem ipsa duorum membrorum oppositione satis exprimitur. Neque dici potest, gentilibus credentibus Christum crucifixum non potuisse esse verum Christum, quia de Christo nihil sciverint; licet enim hoc Christi (Messiae) nomen eis esset ignotum, inter eos tamen exspectatio alicuius redemtoris illo tempore satis erat propagata. Sed priorem explicationem, utpote faciliorem, praeferendam ducimus.

c.) *Neque illos, quos primos ad Evangelium accipiendum vocavit, Deus ex sapientibus aut alio dono naturali ornatis elegit,* ne crux Christi suae virtutis laude privaretur (1,26-31).

1,26. *Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles :* 27. *sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia :* 28.

1,26. βλέπετε γὰρ τὴν κλῆσιν ὑμῶν, ἀδελφοί, ὅτι οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ δυνατοί, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς· 27. ἀλλὰ τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεός, ἵνα καταισχύνῃ τοὺς σοφούς, καὶ τὰ ἀσθενῆ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεός, ἵνα καταισχύνῃ τὰ

adiectiva neutr. pro substantivis adhibere amat atque *Vulg.* haud raro illa substantivis expressit : *Rom.* 2,4 τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ quod benignum est Dei, *Vulg.* « benignitas Dei »; *Rom.* 9,22 τὸ δυνατὸν τοῦ Θεοῦ quod potens est Dei, *Vulg.* « potentia Dei »; *Phil.* 4,5 τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν *Vulg.* « modestia vestra »; *Hebr.* 7,18 διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές *Vulg.* « propter infirmitatem eius et inutilitatem » etc. Ceterum clarum est, « stultitiam et infirmitatem Dei vocari mysterium crucis iuxta stolidorum opinionem » (*Theod.*).

et ignobilia mundi et contemtibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret : 29. ut non glorietur omnis caro in conspectu eius. 30. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemtio, 31. ut quemadmodum scriptum est : Qui gloriatur, in Domino glorietur.

ἰσχυρά, 28. καὶ τὰ ἀγενῆ τοῦ κόσμου καὶ τὰ ἐξουθενημένα ἐξελέξατο ὁ Θεὸς καὶ τὰ μὴ ὄντα, ἵνα τὰ ὄντα καταργήσῃ, 29. ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. 30. ἐξ αὐτοῦ δὲ ὑμεῖς ἐστὲ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὃς ἐγενήθη σοφία ἡμῶν ἀπὸ Θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις, 31. ἵνα καθὼς γέγραπται Ὁ καυχώμενος ἐν Κυρίῳ καυχάσθω [1].

Vias hominum non esse vias Dei etiam in hac particula docet Apostolus; Deus enim ad propagandum Evangelium non elegerat sapientes huius saeculi, sed sapientiam mundanam reprobaverat, ut divinam crucis sapientiam, quae ab hominibus stultitia et infirmitas habetur, stabiliret; eadem autem ratione egit in electione eorum, quos primos ad Evangelium accipiendum vocavit, atque ita stultitiam et infirmitatem Dei sapientiorem et fortiorem esse hominibus « non tantum per doctores ostendit, sed etiam per discipulos; neque enim doctores tantum illiteratos, sed etiam discipulos tales elegit » (*Chrys.*). Itaque praecedentem sententiam confirmans (videte *enim*) atque simplicem praedicationem Evangelio convenire novo argumento demonstrans Paulus Corinthios exhortatur, ut se ipsos, qui primi ad Evangelium sint vocati, considerent[2] : 26. *Videte enim vocationem vestram, fratres, quia*, si ad personas vocatas animos attenderitis, *non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles* in vestro numero inveniuntur. Tribus expressionibus quidquid homines mundani magni facere solent, Apostolus excludit, sapientiam

1. *VV. LL.* — 26. βλέπετε γάρ (*videte enim*) est communis lectio codd. et verss.; male vero : βλέπετε οὖν vel γοῦν (videte igitur) D E F G cum *Aeth.* — 28. καὶ τὰ μὴ ὄντα (*et ea quae non sunt*) B E L P, plerique minusc., *Vulg.*, *Syr.*, *Copt.*, *Arm.*; at apte quoque particula καί omittitur ab ℵ A C D F G, *It.* (*Tert.*. *A*ter, *Pel.*), *Aeth.* ita ut expressio τὰ μὴ ὄντα sit quasi appositio ad praecedentia membra. — 29. ἐνώπιον Θεοῦ (in conspectu Dei) B ℵ A D E F G L P, multi minusc., *It.*, *Copt.*, *Arm.*; *textus rec.* tamen ἐνώπιον αὐτοῦ (*in conspectu eius*) cum C, plerisque minusc., *Vulg.*, *Syr.* et aliquibus PP. gr. et lat.; utraque lectio est apta, sed prior auctoritate testium commendatur. — 30. σοφία ἡμῶν ἀπὸ Θεοῦ (sapientia nostra a Deo) B contra reliquos omnes testes, qui dativum ἡμῖν exhibent.

2. Βλέπετε a paucis tantum iunioribus interpretibus (*Val. Erasm. Cat. Hent. Men.* etc.) pro indicativo (videtis) sumitur; omnes antiquae verss. et longe plerique interpretes tam antiqui quam moderni imperativum (*videte*) recte agnoverunt. — *Vocatio* (κλῆσις) *a Theoph. Est. Calm.* etc. pro *vocati* poni putatur, sicut « circumcisio » pro « circumcisi ». At ex eo, quod *circumcisio* definitum hunc sensum usu accepit et Paulus semel eadem ratione Iudaeos per contemtum vocat *concisionem* (i. e. concisos *Phil.* 3,2), non sequitur, reliqua substantiva abstracta eodem modo usurpari. Sensus potius est : considerate vocationem vestram attendentes ad personas, quae vocatae sunt.

mere humanam (*secundum carnem*), potentiam, nobilitatem, quacum opes coniunctae esse solent; et quamquam aliquos, qui donis istis sint ornati, inter eos esse concedit, tam paucos tamen esse innuit, ut prae reliquis fere dispareant. Neque id mirum est; velut notam enim, qua suae missionis divinitas cognosceretur, Dominus iam statuerat : « Pauperes evangelizantur » (*Matth.* 11,5), et verba prophetica « Evangelizare pauperibus misit me » (*Is.* 61,1) de se dicta esse asseruerat (*Luc.* 4,17 sqq.), nec magnates populi sui sed despectos et derelictos ad se vocaverat[1]. Cur vero Deus pro sua sapientia hunc rerum ordinem elegerit, Apostolus explicat. Superbia primos nostros parentes ex pristina eorum dignitate deiecerat; quo exemplo non edocti eorum posteri eadem via progredientes externis quibusdam bonis alios superare conabantur atque de bonis illis, quae soli divinae benignitati debebant, velut de propriis gloriantes alios despiciebant, quia illis carerent. At bona illa omnia, quamvis magni ea faciant homines, ad verum finem hominis nihil iuvant ideoque in oeconomia salutis locum non occupant. Quod ut clarius ostenderet, Deus primitias fidei non inter eos elegit, qui dotibus illis mundanis instructi sibi ipsis bonisque suis naturalibus vocationem suam adscribere potuerunt, 27. *sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*. Neutrum adiect. (sing. et plur.) a profanis et sacris scriptoribus graecis interdum de personis adhibetur, si sensu generali loqui aut totam aliquam classem ad singula eius membra non attendentes designare volunt (cfr *Ioan.* 6,37; *Hebr.* 7,7; *Gal.* 3,22 etc.); stulta igitur i. q. stulti etc.[2]. « Stultos mundi » vero Apostolus hoc loco non eos appellat, qui a mundo stulti reputantur, licet stulti non sint (*II Cor. Thom.* etc.), sed in oppositione ad « sapientes » eos, qui scientia carent, i. e. rudes et simplices. Hos ergo et infirmos mundi, qui auctoritate sunt destituti, eligens Deus sapientes et fortes confudit pudoreque affecit, siquidem rudibus et infirmis postponi sese videbant. Tertiae nobilium classi Apostolus non, sicut duabus prioribus, unam sed tres classes opponit, ut magis eos deprimat : 28. *et ignobilia mundi* (τὰ ἀγενῆ τοῦ κόσμου, qui γένος non habent nec magno numero maiores suos nominare possunt) *et contemtibilia*

1. Cfr *S. Iren.* c. haer. II. 19,7 : « Nec Herodes rex, nec summi sacerdotes, nec qui praeerant, neque clari de populo accurrerunt ei (Christo), sed e contrario, qui erant in viis mendici sedentes, surdi et caeci, et a reliquis conculcabantur et contemnebantur, quemadmodum et Paulus ait : Videte vocationem vestram » etc.

2. Male A^{tor}, quem sequitur *Rhab* : « *Stulta mundi* sunt, Virginem peperisse et Dei Filium esse crucifixum »; « *infirma* autem sunt mundo iniuriae et passio Salvatoris nescienti haec ad virtutem proficere » etc.

(τὰ ἐξουθενημένα, qui nihili habentur atque abiecti sunt) *elegit Deus et ea quae non sunt* (τὰ μὴ ὄντα qui considerantur ac si non essent[1] nec in numero computantur sed velut antiquorum servi non tamquam personae, sed velut res, aestimantur), *ut ea quae sunt* (i. e. eos, qui se aliquid esse gloriantur) *destrueret*. Fortiore vocabulo in hac tertia classe Paulus utitur (καταργεῖν inanem reddere, alicui vim adimere *cfr Rom.* 3,31); non tantum confundendi, sed ex alto suo loco deiiciendi (*Luc.* 1,52) et quasi delendi sunt nobiles. Neque tamen ut miraculum ederet potentiamque suam ostenderet, Deus per rudes et infirmos confudit sapientes et fortes et per ea quae non sunt destruxit ea quae sunt (cfr *Chrys.*), sed ultimus eius finis est, 29. *ut non glorietur omnis caro in conspectu eius*. Primo enim in loco ad fidem rudes et infirmos et pauperes eligens Deus clare docuit, bona illa mundana, quae tanti facit homo naturalis, ad salutem adipiscendam non tantum non iuvare sed eam potius impedire aut retardare; itaque nihil habet homo quicumque (*omnis caro*), quo coram Deo gloriari possit, siquidem ipsi quoque sapientes et potentes et nobiles fateri coguntur, se suis bonis naturalibus salutem non debere.

Apostolum in hac particula de fidelibus vocatis (non de vocatoribus Apostolis) loqui, communis fere est interpretum patristicorum sententia (cfr. *S. Iren.* l. c. *Chrys. Theod. Dam. Oec. Theoph. Pel. Prim. Sed.* etc.), quam hodie quoque tantum non omnes recte tenent. *Glossae ord.* autem et *interl.*, quae forte ex *S. Augustino* derivata est (cfr. Enarr. in Ps. 65,4., quamvis in Conf. VIII. 4, traditam explicationem teneat), auctoritas effecit, ut mediae aetatis interpretes (*Herv. H Car. Thom. Lyr. Dion.* etc.) locum de Apostolis vocantibus explicarent, multi autem recentiores (*Est. Lap. Tir. Cord. Nat.* etiam *M Ec.*) utramque expositionem coniungerent. Itaque *Thom.* inter *v.* 26. et pericopam praecedentem hunc nexum statuit : « Supra ostendit Apostolus, quod modus docendi, qui est in sapientia verbi, non convenit doctrinae christianae *ratione materiae*, quae est ipsa crux Christi; hic ostendit, quod praedictus modus non convenit doctrinae christianae *ratione doctorum*. Quia primi doctores fidei non fuerunt sapientes sapientia carnali, non erat eis conveniens, ut in sapientia verbi docerent ». Verbis deinde : « Videte vocationem vestram » Corinthios induci censet, « ut considerent modum vocationis suae quantum ad eos per quos vocati sint », « inter quos non multi (sc. soli Paulus et Apollo) sapientia mundana instructi fuerint »; in singulis demum fere versibus nonnulla supplet : 27. « stulta mundi elegit Deus ad praedicationis munus » etc. At haec supplementa nescio an non sint plane arbitraria; porro argumentum hoc *Corinthiis*, qui solos Paulum et Apollo doctores habuerant, parum fuisset adaptatum; nexus quoque a

1. Attende ad accuratum negationis usum : « οὐ negat rem ipsam, μή cogitationem rei » (*Herm.* ad *Viger.* De graecae dictionis idiotismis p. 804); μή igitur usurpatur, ubi cogitatione aliquid non esse fingimus aut supponimus. Τὰ οὐκ ὄντα sunt ea, quae revera non exsistunt (ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησε τὰ πάντα ὁ Θεός 2 *Mach.* 7,28 : ex « non entibus » i. e. ex nihilo, « quum non essent, fecit omnia Deus »); τὰ μὴ ὄντα sunt ea, quae non esse finguntur, quia attentionem non merentur.

Thom. indicatus non videtur aptus, siquidem in praecedente particula (*v.* 20 sqq.) Apostolus semper de doctoribus locutus erat; minime enim *v.* 20. cum Thom. de vocatis intelligere licet, si ad eius nexum cum *vv.* 17. 19. attenditur. Quapropter de solis vocatis hunc locum cum Patribus intelligendum esse arbitramur.

Gloriari tamen homo potest, licet non *coram* Deo in se ipso, sese quasi cum Deo comparans sibique sua bona attribuens, sed *in* Deo, ad eum omnia referens, a quo solo cuncta accepit. Itaque Apostolus, postquam Corinthios nec suae ipsorum sapientiae, quae nulla erat, nec potentiae aut nobilitati, quippe qua carebant, salutem debere ac proin nihil habere ostendit, quo coram Deo gloriarentur, verum et unicum fontem salutis eis in memoriam revocat genuinumque gloriandi modum eos docet : 30. *ex ipso* (Deo) *autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo et sanctificatio et redemtio.* Tres praecipuae sunt priorum verborum expositiones : Graeci enim verba *ex Deo estis* arctius coniungentes divinam adoptionem indicatam vident, quam Christiani obtinent in Iesu Christo[1] (*Chrys. Theod. Dam. Oec. Theoph.*, etiam ut videtur *Pel. Prim. Rhab. Est.*[2]). Quae explicatio parum videtur apta, quia verbis *ex Deo esse* S. Ioannes quidem (1 *Ioan.* 3,10; 4,2 sqq. etc.), sed non S. Paulus adoptionem nostram designare solet, atque tota quoque emphasis, qua Apostolus illud *ex ipso* in principio posuit, ut soli Deo nos omnia debere ostenderet, penitus perit, si tam arcte cum verbo *estis* coniungitur. Multo minus placet altera explicatio, quae apud recentiores tantum paucos interpretes invenitur (*Est.* [1]. *Bisp.* — ex acath. *Hofm. Schn.* etc.); verbo *estis* scilicet censent ab Apostolo novam illam exsistentiam exprimi, quam tamquam Christiani a Deo accepimus; sed nullibi in Scriptura, opinor, tam definito et significante sensu verbum *esse* adhibetur. Restat igitur, ut cum longe plerisque interpretibus (*A*[ler] *Thom. Lyr. Dion. Cai. Est* [3]. *Lap. Calm. Nat. M Ev. Mai. L H. Dr.* etc.; — plerique acath.) verba *estis in Christo* arctius coniungamus; « esse in Christo » enim est sollemnis formula, qua Paulus intimam Christum inter et fideles relationem designat, quatenus baptizati mystico corpori Domini velut membra sunt inserti[2].

1. *Theod.* : « *Ex ipso* dixit non ratione creationis sed ratione salutis datae. Quicumque enim eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius; qui non ex sanguinibus nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Quia enim dixit, quod quae stulta sunt mundi Deus elegerit, apte subiunxit : *ex ipso autem vos estis* docens collatam nobilitatem. Generationis autem modum etiam ostendit, quum dixit : *in Christo Iesu.* Neque enim ab hoc vel illo denominati estis, sed per Christum regeneratione dignati estis ».

2. Cfr infra 9,1; *Rom.* 16,7 « qui ante me fuerunt (γεγόνασιν) in Christo »; 16,11 « qui sunt in Domino » (οἱ ὄντες ἐν Χριστῷ); *Gal.* 1.22 « ecclesiae, quae sunt in Christo » etc. Aut etiam verbo omisso οἱ ἐν Χριστῷ *Rom.* 8,1 etc.

Utpote membris suis Christus iam nobiscum omnia communicat, quae possidet, *factus nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemtio.* Iterum Apostolus inculcat *a Deo* haec quoque esse beneficia, quae cum nostra insertione in Christum sunt coniuncta, neque recte aliqui (*Mai.*) verba « a Deo » velut appositionem ad « sapientiam » explicant, ac si divina sapientia humanae opponeretur; huic enim explicationi genuinus iam obstat verborum ordo (σοφία ἡμῖν ἀπὸ Θεοῦ). Christo, in quo sunt omnes thesauri scientiae et sapientiae (*Col.* 2,3), insertis ipsa eius sapientia facta est nostra; neque enim, uti monet *Chrys.*, Christus nos sapientes fecisse sed *nobis sapientia* factus esse dicitur, ut doni abundantia ostendatur. Velut membris suis nobis etiam factus est *iustitia et sanctificatio* suam iustitiam et sanctitatem nobiscum communicans, ita ut in nobis, tamquam membris eius, nihil inveniatur, quod Deo displiceat, omnia autem reperiantur, quae Deo placeant; atque demum nobis factus est *redemtio*, quatenus in ipsum inserti non amplius sumus servi peccati et diaboli. « Vide, inquit *Chrys.*, quomodo procedat; prius enim nos sapientes fecit ab errore nos liberans, deinde iustos et sanctos Spiritum largitus, et sic nos ab omnibus malis redemit, ita ut ipsius simus ». Apostolum non de imputativa iustitia sensu protestantico loqui evidens est; eadem enim ratione, qua Christi sapientia nobis non imputatur, sed vere nobiscum communicatur, etiam eius iustitia et sanctitas nobis non imputatur, sed revera nobiscum communicatur, ut vere iusti et sancti simus. Porro attende, Apostolum duo haec membra *iustitia et sanctificatio* arctius inter se coniunxisse (δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμός), ut quasi unum constituant; neque enim prius homo iustificatur et deinde sanctificatur, sed haec duo uno eodemque actu fiunt gratia sanctificante infusa; quare alibi etiam inverso ordine sanctificationem iustificationi praemittit (6,11). A Deo porro omnia haec accepimus ac proin nihil habemus, quo coram Deo gloriemur, sed requiritur, 31. *ut* (fiat) *quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Verba haec diserte quidem in Scriptura non leguntur, sed sunt consectarium necessarium ex *Ier.* 9,23. 24 : « Haec dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus ». Iuxta prophetam igitur « omnis hominum aufertur superbia, dum sapientia et fortitudo et opes eorum reputantur in nihilum, et ista est sola gloriatio, ut sciat et intelligat, quod ipse sit Dominus, qui fecit misericordiam et iudicium et iustitiam super terram » (*Hier.*). Itaque homo nihil ex se habet, quo Deo placere ac proin vere gloriari possit; eo tantum potest gloriari, quod *Dominum* (יהוה), qui su-

pranaturali modo misericordiam et iustitiam manifestavit, cognoscat; at hanc scientiam non hausit nec haurire potuit ex sua naturali sapientia, sed a solo Deo accepit. Unde consequitur, cum in solo Deo gloriari posse. — Ad constructionem quod attinet, attendas velim, coniunctivum *glorietur* a praecedente coniunctione *ut* non dependere, sed esse pro imperativo : ἵνα καθὼς γέγραπται Ὁ καυχώμενος ἐν Κυρίῳ καυχάσθω.

Quatuor dona, quae Christus cum suis membris communicat, *Thom.* ita distribuit, ut stultitiae (stulta mundi elegit Deus) sapientia, infirmitati iustitia, quae thoraci comparetur (*Sap.* 5,19), ignobilitati sanctitas, qua cum Deo coniungamur, et redemtio, qua a servitute liberemur peccati, opponantur. *S. Bern.* (in Cant. hom. 22,10 sq.) illa quatuor virtutibus cardinalibus accommodat : « factus est nobis sapientia docens *prudentiam*, *iustitia* delicta condonans, sanctificatio in exemplum *temperantiae* continenter vivens, redemtio in exemplum *patientiae* fortiter moriens ». *Cai.* ita explicat : « Christus factus est nobis sapientia perficiens *intellectum*, et iustitia in *voluntate*, et sanctificatio in *opere*, et redemtio in *statu* ». Quae et alia similia subtilius quam verius excogitata esse videntur, uti ea quoque, quae a modernis catholicis (ex. gr. *Bisp.* sapientiam respondere fidei, iustitiam et sanctificationem caritati, redemtionem spei) et acatholicis (ex gr. *God.* : verba « Dei virtutem et Dei sapientiam » quodammodo explicari, siquidem tria ultima dona exponant virtutem Dei) proferuntur.

d.) Iure merito igitur Apostolus Corinthi simplicem docendi methodum tenuit (2,1-5).

2,1. ***Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiae annuntians vobis testimonium Christi. 2. Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum. 3. Et ego in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos : 4. et sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis : 5. ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.***

2,1. Κἀγὼ ἐλθὼν πρὸς ὑμᾶς, ἀδελφοί, ἦλθον οὐ καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας καταγγέλλων ὑμῖν τὸ μαρτύριον τοῦ Θεοῦ. 2. οὐ γὰρ ἔκρινά τι εἰδέναι ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστόν, καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον. 3. κἀγὼ ἐν ἀσθενείᾳ καὶ ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ πολλῷ ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς, 4. καὶ ὁ λόγος μου καὶ τὸ κήρυγμά μου οὐκ ἐν πειθοῖς σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, 5. ἵνα ἡ πίστις ὑμῶν μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐν δυνάμει Θεοῦ [1].

Missionis apostolicae rationem hucusque Apostolus explicavit; iam

1. *VV. LL.* — 1. τὸ μαρτύριον τοῦ Θεοῦ (testimonium *Dei*) est lectio communis codd. et verss.; pauci tantum τὸ μυστήριον τοῦ Θεοῦ (mysterium Dei) ℵ A C, *It.* (*A*ter), *Syr* (codd.), *Copt.*; sola *Vulg.* legit : *testimonium Christi.* — 4. ἐν πειθοῖς σοφίας λόγοις (in persuasibilibus sapientiae verbis) B ℵ D E F G, pauci minusc., *Vulg.* (*Fuld.*, *Tol.*), *Aeth.*; sed ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις (*in persuasibilibus humanae sapientiae verbis*) A C L P, plerique minusc., *Vulg.* (Clem.), *Memph.*, *Syr.*; demum ἐν πειθοῖ (ἀνθρωπίνης) σοφίας (λόγων) legitur in paucis minusc. gr., *Sah.*, *Arm.*; similiter *A*ter : in persuasione humanae sapientiae, *Am.* : in persuasione sapientiae verbi, *S. Ambr.* : in persuasione sapientiae sermonum. Secunda lectio videtur praeferenda.

eidem methodum docendi, quam Corinthi tenuerat, conformem fuisse, in hac particula ita ostendit, ut simplicis suae praedicationis summam utilitatem simul vindicet. 1. *Et ego* (κἀγώ ego quoque, quemadmodum missionis apostolicae ratio id postulavit) *cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiae annuntians vobis testimonium Christi.* Testimonium Christi (*cfr* 1,6) aut hoc in loco melius : testimonium Dei seu de Deo, qui in Christo sese revelaverat, vel testimonium, quod Deus per Apostolos de Christo reddebat, intelligitur, ut patet, Evangelium, quod in sapientia verbi annuntiari non debet; annuntiatur autem in sapientia verbi, si καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας « iuxta eminentiam sermonis aut sapientiae » (*A*ler), i. e. eloquente et docta oratione proponitur. Ideo Corinthum veniens Paulus « nec facundiam ostentare nec extraneis argumentis uti » (*Chrys.*) voluit : 2. *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum.* Utrum negationem cum verbo proximo coniungamus (non iudicavi i. e. dissimulavi quidquam scire), id quod modernis nonnullis praeplacet, an cum altero verbo (decrevi nescire), an etiam cum pronomine (decrevi non aliquid, nihil aliud scire), nullius est momenti, quum idem semper maneat sensus. Quamvis alibi altiores doctrinas altiore modo proposuisset atque Athenis cum Stoicis et Epicuraeis disputasset et coram Areopago se in profana scientia non rudem ostendisset (*Act.* 18,17 sqq.), Corinthum tamen veniens inter Corinthios (*inter vos*) noluit ostendere, se aliquid scire praeter Iesum Christum et hunc crucifixum. Quo lato sensu verba haec intelligantur oporteat, docent 11,23 sqq. et 15,3 sqq., quibus in locis nonnulla a se Corinthi tradita fidelibus in mentem revocat; sed simplices doctrinas proposuit : Iesu vitam narravit, eum Christum esse ostendit (*Act.* 18,4. 5), in eius passione, qua nos redemit, exponenda eiusque resurrectione demonstranda praecipue moratus, « sola ea annuntians, quae erant manifestiora et inferiora in Christo, non profundas incarnationis rationes » (*Thom.*). Cui simplici doctrinae « sublimitas sermonis aut sapientiae » non respondet, quare ab ea abstinere debuit.

At etsi simpliciora tantum profert orator, si fidenter et asseveranter loquitur, fiducia sua vel confidentia debiliores auditores secum abripere potest; Paulus vero etiam ab hoc docendi modo Corinthi abstinuit : 3. *Et ego in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos.* Quis Paulo fuerit animi habitus illo tempore, verbis discimus, quibus Deus eum confortare debuerit : « Noli timere, sed loquere et ne taceas, propterea quod ego tecum sum et nemo apponetur tibi, ut noceat te, quoniam populus mihi est multus in hac civitate » (*Act.* 18,9). Ante-

quam Corinthum venerat, Athenis per aliquas hebdomades versatus in synagoga cum Iudaeis, cum philosophis in foro disputaverat et in Areopago disseruerat; at tantorum laborum fructus non fuerat magnus (*Act.* 17,33); quid ergo mirum, quod tristis et afflictus Corinthum advenerit? Ibi autem statim novas invenit difficultates continuasque Iudaeorum contradictiones persecutionesque, quas suis solis viribus sese superare non posse optime cognovit. Una igitur ex parte magnum laborem, quem subeundum habuit, altera ex parte debilitatem suam, quam brevi antea expertus erat, considerans infirmum se esse sensit magnoque suo muneri imparem; unde exorta est timiditas illa, quam hoc versu exprimit. Quid enim nomine *infirmitatis* intelligat Paulus, clare elucet ex 2 *Cor.* (10,10; 11,6; 12,10); *timor et tremor* autem animi illam sollicitudinem significat, quam magni laboris impositi aut etiam periculi imminentis aspectus in viro humili vel debili provocat (cfr 2 *Cor.* 7,15; *Eph.* 6,5; *Phil.* 2,12). Quare haud immerito plerique interpretes persecutiones, quas Paulus Corinthi sustinuit, in hoc versu explicando afferunt (*Chrys. Theod.* etc.; *A^ter Herv. Thom* .etc; *Iust. Lap.* etc.; *M Ev. Ramb.* etc.; — acath. multi); minus recte vero alii solam Apostoli humilitatem hoc versu exprimi censent[1], atque plane erronee pauci acath. haec verba de morbo quodam aut corporis infirmitate exponunt.

Hac igitur timiditate affectus Apostolus auditores suos secum abripere non potuit, idque eo minus, quoniam oratoriis artibus non est usus : 4. *Et sermo meus,* « quo privatim et singulariter aliquos instruebam », *et praedicatio mea,* « qua publice docebam » (*Thom.*), *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* fuit. Persuasibilibus (πειθοῖς) humanae sapientiae verbis, quibus rhetores et sophistae non tam sententias suas demonstrare quam ad eas auditores attrahere student, aut etiam secundum aliam lectionem « persuasioni (πειθοῖ suasioni) humanae sapientiae » (*A^ter*) pulchre opponitur ostensio (vel potius : demonstratio) spiritus et virtutis; ἀπόδειξις (ἅ.λ.) enim est certa rei demonstratio, quae fit argumentis allatis (cfr ἀποδεικνύναι *Act.* 25,7; 2,22; 1 *Cor.* 4,9); demonstratio autem haec pro auctore habet spiritum et virtutem, i. e. virtutem Spiritus S., qui « inexplicabili modo fidem ingerebat auditoribus » (*Chrys.*), qui igitur virtute sua

1. Cfr *Est.* « Humiliter admodum ipse me gessi, manibus laborans nec utens potestate, quam Dominus mihi dedit (9,1 sqq.), et inter haec sollicitus, ne quid committerem verbo aut facto, quo vos offensi resiliretis a fide suscepta. Summa est, ut doceat, se versatum esse apud Corinthios, non ut sermone tantum, sed et persona humilem » (cfr *Bisp. Mai. Dr.*; — multi acath.); similia iam tradit *Sed.*

Paulum illustravit, ut ea diceret, quibus auditores suos convinceret, atque simul gratia sua auditorum animos ita disposuit, ut verbis Apostoli fidem haberent. Quod ideo factum est, 5. *ut fides vestra non sit* (non innitatur) *in sapientia hominum*, quae quum falli et fallere possit debile est fundamentum, *sed in virtute Dei*, i. e. in gratia divina, quae, quum a virtute Dei procedat, virtus Dei apte appellatur.

Verba *spiritus et virtus* cum *Chrys.* multisque aliis hendiadyn esse arbitramur; nomine spiritus designari Spiritum S. omnes consentiunt, quomodo autem intelligenda sit expressio *Spiritus et virtus* aut virtus Spiritus S. controvertitur. Aliqui nomine Spiritus intelligunt vaticiniorum V. T. explicationem (*Orig.* c. Cels. I. 2. *Iust.*[2] *Calm.*[2] etc.); alii spiritualia dona (charismata), quae manuum impositione Paulus contulerit (*Herv. Thom.*[1] *Lyr. Dion.*[1] *Cai. Calm.*[1]), alii « sublimitatem et affluentiam doctrinae » aut « vim et efficacitatem » Paulo loquenti a Spiritu S. concessam[1] (*Thom.*[2] *Lap. Iust.*[1] *M Er.* etc.). Nomine *virtutis* autem vel virtutis Spiritus S. plerique miracula designata vident, quibus Paulus praedicationem confirmaverit (*Chrys. Theod.* etc. *A*[tor] *Gl. ord. Thom.*[1] *Lyr.*[1] *Dion. Cai. Est. Calm. Nat. M Ev. Ramb.*); latino vocabulo in errorem inducti pauci virtuosa opera intelligunt (*Thom.*[2] *Lyr.*[2] etc.). Paulum miraculis saepe praedicationem suam confirmasse atque fideles ab eo conversos charismata saepe recepisse, certum est; at cum hoc loco de his signis velut praecipuis praedicationis suae characteribus loqui, postquam immediate antea Iudaeos signa petentes ethnicis sapientiam quaerentibus aequiparavit, parum est probabile. Si quis hendiadyn nobiscum admittere noluerit, vocabulum *Spiritus* cum tertia sententia de gratia divina Paulum adiuvante, ut auditores convinceret, et *virtutem* de interna gratia apto explicabit, qua auditores ad doctrinam propositam fide recipiendam sunt permoti. Ceterum explicationem nostram ex *S. Chrys.* iam innuit *Theoph.* « demonstrationem habebam Spiritum S., qui inexplicabili quodam modo fidem ingerebat auditoribus per gratum verbi ministerium »; eandem ex modernis catholicis haud pauci tenent (*Bisp. Mai. L R. Dr.* etc.); multi acath. eidem adstipulantur, dum alii unam ex sententiis supra recensitis praeferunt.

« Quaeres, inquit *Est.*, si recte neglexit Apostolus verba suasoria, cur illum in eo non imitentur omnes verbi Dei praedicatores » atque respondet, « ordinariam hanc esse viam ad suadendum et movendos animos, ut verba adhibeantur ad eum finem studio composita; quae proinde negligi non debeant, nisi constet, alia ratione Deum homines velle movere ad id, quod eis est salutare, quemadmodum ei placuit in principio per Apostolos simplici et incomposito sermone Evangelium praedicari et gentes converti ». Quae quidem vera sunt, sed explicationi huius loci parum inserviunt, quia supponunt, Apostolum semper et ubique eandem docendi methodum tenuisse; sed Athenis etiam verbis persuasibilibus coram Areopago usus est atque cum Stoicis Epicuraeisque disputans etiam ab argumentis humanae sapientiae probabiliter non abstinuit. Cum magna emphasi continuo repetit paucis his versibus : « quum venissem *ad vos*... non iudicavi me aliquid scire *inter vos*..., in infirmitate... fui *apud vos* »; singulari igitur providentia Deus ita res disposuerat, ut Corinthi,

1. Cfr *Orig.* (c. Cels. VI. 2. M. 11,1289), qui verba haec ita explicat : « Secundum divinam Scripturam ea, quae dicuntur, etsi in se vera et probabilissima (πιστικώτατα) sunt, ad hominum animos percellendos non sufficiunt, nisi virtus quaedam loquenti *divinitus* detur et verba gratiam prae se ferant, quae *non sine Deo* inest efficaciter loquentibus ».

in urbe, quae uti divitiis ita sapientia sua gloriabatur, clarius et evidentius demonstraretur, Evangelium mediis humanis ad suam propagationem non indigere.

2.) In secunda parte argumenti rationem explicat, *qua permotus Corinthi ab altioribus doctrinis tradendis sese abstinuerit* nec quidquam praeter Iesum et hunc crucifixum Corinthiis praedicare voluerit. Quemadmodum supra (*ad* 1,12) iam innuimus, Apollo non tantum ob doctiorem et eloquentiorem praedicandi modum, sed etiam ob altiores quasdam doctrinas, quas Paulus nondum docuerat, nonnullis neophytis ita videtur placuisse, ut Paulum velut magistrum indoctum despicerent. Itaque Paulus, postquam simplicem suam praedicationem Evangelio, quod sapientiae mundanae sit oppositum, plane convenire ostendit, ulterius progrediens docet, in Evangelio tam altam tamen contineri sapientiam, ut humano ingenio impervia a solo Spiritu S. revelari potuerit (2,6-12); at hanc sapientiam Apostolis per Spiritum S. revelatam non omnibus, sed solis perfectis debere annuntiari (2,13-16), ideoque se eam Corinthiis nondum annuntiasse (3,1-4).

a.) *In Evangelio alta continetur sapientia, quae humano intellectui impervia per Spiritum S. revelata est Apostolis* (2,6-12).

2,6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi, qui destruuntur :* 7. *sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram,* 8. *quam nemo principum huius saeculi cognovit : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* 9. *Sed sicut scriptum est : Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae Deus praeparavit illis, qui diligunt illum :* 10. *nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum : Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* 11. *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* 13. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis.*

2,6. Σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, σοφίαν δὲ οὐ τοῦ αἰῶνος τούτου οὐδὲ τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου τῶν καταργουμένων, 7. ἀλλὰ λαλοῦμεν Θεοῦ σοφίαν ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην, ἣν προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων εἰς δόξαν ἡμῶν, 8. ἣν οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου ἔγνωκεν, εἰ γὰρ ἔγνωσαν, οὐκ ἂν τὸν κύριον τῆς δόξης ἐσταύρωσαν, 9. ἀλλὰ καθὼς γέγραπται· Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ὅσα ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. 10. ἡμῖν γὰρ ἀπεκάλυψεν ὁ Θεὸς διὰ τοῦ πνεύματος. τὸ γὰρ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ. 11. τίς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ; οὕτως καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς ἔγνωκεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. 12. ἡμεῖς δὲ οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῶμεν τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν[1].

1. *VV. LL.* — 9. ἀλλά (*sed*) male omittitur ab A et inter Latinos a *Pel.* multisque codd. iunioribus. — ὅσα ἡτοίμασεν (quanta praeparavit) B A C et pauci PP. graeci; rectius ἃ ἡτοίμασεν (*quae praeparavit*) ℵ D E F G L P, omnes minusc., plerique PP., *It.*, *Vulg.* etc. — 10. ἡμῖν γάρ (nobis enim) B, nonnulli minusc., aliqui PP.,

Se inter Corinthios (*inter vos*) aliquid praeter Christum crucifixum scire voluisse negans Apostolus clare iam innuerat, se alibi etiam alias easque altiores doctrinas tradere; idque in hac argumenti parte accuratius explicat, cuius nexus cum praecedente est clarus (cfr *Thom.*) : inter vos quidquam praeter Christum crucifixum scire nolui, 6. *sapientiam autem loquimur inter perfectos*. Qua ex oppositione iam elucet, parum recte Graecos[1] (*Chrys. Theod. Dam. Oec. Theoph.*[1]) nomine *sapientiae* eandem doctrinam, quam Paulus antea per antiphrasin *stultitiam* appellavit, et nomine *perfectorum* omnes fideles intelligere. Cum latinis potius interpretibus (*Pel. Prim. Herv. Thom.* etc.) omnino tenendum est, ab Apostolo duas distingui fidelium classes, incipientium rudiumque, quos animales vel carnales (2,14; 3,1) parvulosque appellat, qui lacte indigeant (3,2; *Hebr.* 5,12), et perfectorum, quos spirituales appellat, qui cibi solidi sint capaces (2,13; 3,2); itaque duas quoque sapientias christianas distingui, illam sc., quam supra appellavit *stultitiam* sapientiaeque mundanae opposuit, atque alteram, quam hoc in loco simplici doctrinae christianae opponit ciboque solido comparat, qui non parvulis in Christo sed adultis conveniat. Cum *Thom.* igitur aliisque longe plurimis interpretibus *sapientiam* hoc in loco intelligamus oportet « profundam doctrinam, quae sese extendit ad occulta mysteria divinorum » (Sum. II. 2 qu. 45 a. 5 ad 1.), *perfectos* autem « eos, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali » (*Hebr.* 5,14), quae verba explicans *Chrys.* recte monet, Apostolum non tam loqui de bono et malo morali discernendo, quam « de dogmatis sanis et altis aut corruptis et vilibus diiudicandis »; quapropter *Thom.* perfectos recte dicit eos, « quorum mens elevata est super omnia carnalia et sensibilia, ita ut spiritalia et intelligibilia capere possint, et quorum voluntas supra

Copt.; sed rectius : ἡμῖν δέ (*nobis autem*) ℵ A C D E F G L P. plerique minusc. et PP., *It.*, *Vulg.*, *Syr.*, *Arm.*, *Aeth.* — διὰ τοῦ πνεύματος (per spiritum) sine addito B ℵ A C, paucissimi minusc. et PP., *Memph.*; rectius : διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ (*per spiritum suum*) D E F G L, fere omnes minusc. et multi PP., *It.*, *Vulg.*, *Syr.*, *Sah.*, *Arm.*, *Aeth.* — 11. οὐδεὶς ἔγνωκεν (*nemo cognovit*) B ℵ A C D E P, aliqui minusc., multi PP., *It.*, *Vulg.*; minus apte *textus rec.* : οὐδεὶς οἶδεν (nemo scit) cum L et plerisque minusc.; *S. Aug.* quoque : nemo scit. — 12. τοῦ κόσμου (mundi) sine addito B ℵ A C L P, omnes minusc., et plerique PP., *Vulg* (*Fuld.*, *Tol.*, *Harl.*), *Syr.*, *Aeth.*, sed τοῦ κόσμου τούτου (*huius mundi*) D E F G, *It.*, *Vulg.* (*Clem.* cum *Am.*, *Dem.*), *Copt.*, *Arm.* — εἰδῶμεν (*sciamus*) B ℵ A C et minusc. fere omnes. *It.*, *Vulg.* etc.; male ἴδωμεν (videamus) D E F G L P et aliqui PP. gr.

1. Quos ex modernis interpretibus cathol. nemo opinor, unus tamen alterve theologus schol. (cfr ex. gr. *Kleutgen* Theol. der Vorzeit. Th. I. Abh. 6. II. 3.) sequitur; Lutherum autem Calvinumque secuti nonnulli acath. interpretes eandem sententiam tenent (*Grot. Olsh. Heinr.* etc.

omnia temporalia elevata soli Deo eiusque praeceptis inhaeret ». Etenim voluntatis quoque perfectio requiritur, non tantum quia eius corruptio rectum intellectus usum impedit, sed etiam quia sapientia, de qua agit Apostolus, ad intimam totius hominis cum Deo coniunctionem dirigitur. « Necesse est, inquit *Thom.*, eum qui in doctrina fidei instruitur, non solum secundum intellectum bene disponi ad capiendum et credendum, sed etiam secundum voluntatem et affectum ad diligendum et operandum ».

Olim Gnostici (cfr *S. Iren.* c. haer. III. 2,1.) et Manichaei (cfr *S. Aug.* c. advers. leg. et proph. II. 2.) ex hoc textu collegerunt, aliam doctrinam exotericam omnibus fidelibus esse ab Apostolis palam propositam, aliam absconditam paucis electis, a quibus ad se pervenisset. Quae refutare opus non est, quum de una eademque doctrina Apostolum loqui pateat, quae simpliciore modo catechumenis, copiosiore et altiore modo initiatis proponebatur : Deum universorum creatorem esse, in infantium catechesibus et in theologorum scholis docetur; pueris simplex dogma simplici ratione traditur, theologis idem dogma cum omnibus suis relationibus, argumentis, difficultatibus explicatur, prioribus lac, alteris cibus solidus praebetur. Quod si quis interrogat, quaenam maxime doctrinae ad sapientiam perfectis praedicatam pertineant et quaenam parvulis in Christo sint traditae, fatendum est, nos id ignorare. Apostolus enim, quamvis se Corinthiis « sapientiam » praedicasse aut etiam tunc praedicare posse neget (3,2), in hac ipsa tamen epistola quam plurimas doctrinas cognitas supponit, quas nos hodie sine ullo scrupulo profundis adnumeramus. Ceterum de eadem doctrinarum distinctione agit ad *Hebr.* 5,11-6,3, atque ex illo loco nonnulla cognoscimus, quae incipientibus tradebantur, atque unam saltem doctrinam, quae solis perfectis proponebatur. Etenim ad melchisedechianum sacerdotium Christi transiturus monet, illud ab incipientibus intelligi non posse; simplicioris vero doctrinae capita enumerat poenitentiam et fidem, baptisma et manuum impositionem, resurrectionem et iudicium. Iamvero in illo tractatu de Christi sacerdotio Apostolus typicam Scripturarum interpretationem maxime adhibet, atque in nostra quoque epistola argumentum typicum afferens lectores exhortatur, ut non velut pueri sed velut perfecti illud recipiant (14,20); itaque abstrusiorem hanc per typos docendi rationem haud immerito apud « perfectos » adhibitam esse atque ad « sapientiam » pertinere asserimus. Ab aliis variae doctrinae huc trahuntur, ex. gr. ab *Est.* (quem ex acath. fere sequitur *God.*) « de electione et reprobatione divina deque vocatione gentium et abiectione Iudaeorum, de Antichristo, de statu ac modo resurrectionis »; at nescio cui fundamento hae et similes multae modernorum acatholicorum enumerationes innitantur.

Thesin suam : *sapientiam loquimur inter perfectos*, Apostolus explicaturus ante omnia sapientiae huius excellentiam ex eius omnimoda

supranaturalitate demonstrat; huius sc. saeculi non est, sed solius Dei (6. 7), neque principibus huius saeculi erat cognita, sed soli Deo (8. 9), qui per Spiritum suum eam cum Apostolis communicavit (10-12).

Itaque sapientiam quidem Apostoli annuntiant, 6[b] *sapientiam vero non huius saeculi neque principum huius saeculi, qui destruuntur.* Philosophia ethnica atque carnalis Scripturarum expositio Iudaeorum ad hoc saeculum (*cfr ad* 1,20) pertinent, siquidem ab hominibus huius saeculi sunt inventae, de huius saeculi rebus agunt, per rationes mere humanas procedunt; ab iis vero longissime altior Apostolorum doctrina distat, ad quam ne ipsi quidem huius saeculi principes contulerunt, sive hoc nomine philosophi ethnici et scribae Iudaeorum, sive reges ethnici et iudaici sacerdotes, sive daemones designantur. Ab illis huius quidem mundi sapientia dependet; sed quod a re peritura originem trahit et dependet, ipsum quoque pereat necesse est; sicut igitur principes huius mundi destruentur, sapientia huius mundi peribit. At sapientia apostolica, quae ab iis non dependet, est aeterna, id quod clarius patet, si ad eius indolem et naturam attenditur, quam Apostolus describit : 7. *sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram.* In oppositione ad huius saeculi sapientiam *sapientia Dei* a Deo originem suam trahit, de rebus divinis agit, per rationes divinitus revelatas procedit. *In mysterio* esse dicitur, quia mysterio constat, i. e. tam occulta est, ut viribus naturalibus non attingatur, sed divina revelatione innotescat. Quod ut clarius manifestet, Apostolus eam vocat τὴν ἀποκεκρυμμένην « absconditam » (*quae abscondita est*), i. e. talem, ut, non tantum antiquis temporibus abscondita fuerit (*Bisp.*), sed etiam his et futuris temporibus abscondita foret, nisi Deus eam patefaceret; ea enim est vis participii perf. pass., ut actionem quidem praeteritam esse, effectum autem perdurare innuat. Hanc porro absconditam sapientiam *Deus ante saecula*, i.e. ab aeterno, *praedestinavit in gloriam nostram*, i. e. omnium fidelium, non solorum Apostolorum, qui eam praedicaverunt (uti explicant *H Car. Thom.* etc.). In eo enim est futura gloria, quae nobis praeparata est, ut non amplius in aenigmate per speculum sed facie ad faciem Deum videntes totam sapientiam, quae abscondita est, possideamus; atqui gloria haec in hac vita iam est inchoata, siquidem post Christi adventum iam « revelata facie gloriam Dei speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini Spiritu » (2 *Cor.* 3, 18). Unde etiam apparet, apostolicam hanc sapientiam non esse perituram ad instar sapientiae principum huius saeculi, qui destruentur.

De grammatica huius sententiae constructione non constat : λαλοῦμεν θεοῦ σοφίαν ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην. Aliqui coniungunt : λαλοῦμεν ἐν μυστηρίῳ, ita ut sensus sit aut : Dei sapientiam loquimur in secreto et apud pauciores (*Est. Lap. Men. Tir.*), aut eam loquimur per mysterium, i. e. velut mysterium eam proferentes (*Mai.* — *Mey.* etc.). Sed prior explicatio excluditur, quia apud quos eam loquatur Paulus iam dixit et de doctrina arcana non est sermo; alteri autem usus praepositionis ἐν non convenit. *Theod.* iam monuit : « Sensus non est : in mysterio loquimur; sed sapientiam, quae est in mysterio abscondita, loquimur »; coniungit igitur ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην, quasi scriptum esset τὴν ἐν μυστηρίῳ ἀποκεκρυμμένην, sed haec traiectio admodum est dura, quum nulla appareat ratio, cur consuetum verborum ordinem Apostolus mutaverit. Itaque cum plerisque modernis verba ἐν μυστηρίῳ velut adiectivam dictionem cum subst. σοφίαν coniungimus (σοφίαν ἐν μυστηρίῳ sc. οὖσαν) et sequentia verba τὴν ἀποκεκρυμμένην pro appositione habemus. Verum quidem est, Paulum adiectivis illis dictionibus plerumque dare articulum, at non desunt exempla, in quibus articulum omittit (*Rom.* 6,4 διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον, 2 *Cor.* 10,13 τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα, *Eph.* 3,4 τὴν σύνεσίν μου ἐν τῷ μυστηρίῳ etc.), cumque hoc in loco facilius omittere potuit, quia subst. σοφίαν etiam articulo caret.

Quinam sint *principes huius saeculi*, qui etiam Christum crucifixisse dicuntur (*v.* 8), antiqua est controversia. *Orig.* (de princ. III. 3.) solos daemones intelligit, eique consentiunt *Est.* et *M Ev.*, atque saltem in *v.* 8. intelligendos esse praeprimis daemones, tradunt aut supponunt *S. Cyr. Alex.* (i. h. l.), *S. Cyr. Ier.* (Cat. 12,15.), *S. Hier.* (in Dan. 10,13), *S. Aug.* (Serm. 26 3,1), *S. Leo M.* (Serm. 60,3; 62,3 etc.)[1], *S. Gregor. M.* (Moral. 33,7; in Evang. hom. 25,8 etc.), *S. Thom.* (Sum. I. qu. 64. a. 1. ad 4 *sed cfr* III. qu. 47. a. 5.) etc. At daemones intelligi negat *Chrys.* priorem locum explicans de oratoribus et philosophis, qui in dignitatibus sunt constituti, alterum de Pilato, Herode, sacerdotibus scribisque Iudaeorum (cfr *Act.* 13,27); eique consentiunt et Graeci (*Theod. Dam. Oec. Theoph.*) et Latini antiquiores multi (*Pel. Prim. Lyr. Iust. Lap. Tir. Nat.*) modernique plerique (*Mai. Bisp. L R. Dr. Ramb.*) uti etiam plerique acath. Alii demum, etsi philosophos et scribas et reges non excludant, daemones tamen maxime esse intelligendos arbitrantur (*A^ter Rhab. Sed. H Vict. Herv. Thom. Dion. Calm. Pic.* etc.); quibus ita assentior, ut daemones excludi non posse censeam. Etenim alibi quoque daemones principes huius saeculi appellantur (2 *Cor.* 4,4; *Eph.* 2,2; *Ioan.* 12,31; 14,30), destructioni destinati dicuntur *Hebr.* 2,14), quatenus dominium suum amittent; eos Christum crucifixisse, *Cyr. Alex.* iam ex *Luc.* 22,3. 53 et *Ioan.* 13,2. 27 demonstravit; et licet forte non ignorarent, Iesum esse Messiam aut etiam Filium Dei, ignoraverunt tamen eius mortem finem esse suo imperio allaturam atque genus

1. *S. Leo* l. c. : « Christus, ut humanum genus vinculis mortiferae praevaricationis absolveret, saevienti diabolo et potentiam suae maiestatis occuluit et infirmitatem nostrae humilitatis obiecit. Si enim crudelis et superbus inimicus consilium misericordiae Dei nosse potuisset, Iudaeorum animos mansuetudine potius temperare, quam iniustis odiis studuisset accendere. Fefellit ergo illum malignitas sua; intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur » etc.

humanum ad summam gloriam perducturam. Itaque nihil obstat, quominus nomine principum huius saeculi Apostolus daemones comprehendisse dicatur. Ac profecto si attendimus, eum sapientiam illam, quam verae sapientiae opponit, a « spiritu (huius) mundi », i. e. a diabolo, derivare (*cfr ad v.* 12), fatendum est, eum daemones revera illo nomine comprehendisse. Quae quum ita sint, illud nomen generali sensu est explicandum, ut omnes designet, qui quocumque modo huius mundi principatum tenentes ad falsam sapientiam promovendam et Christo mortem inferendam contulerunt. Nullo autem modo cum *Cai.* paucisque aliis *v.* 6. de solis philosophis et scribis, *v.* 8. de solis daemonibus explicare licet; ut eosdem enim principes utroque in loco intelligamus, contextus postulat.

A Deo igitur haec sapientia originem trahit, sed eidem soli eandem etiam cognitam fuisse, antequam ab eo revelabatur, docet Apostolus pergens: 8. *quam nemo principum huius saeculi cognovit; si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.* Relativum *quam* ad immediate praecedens nomen « gloriam nostram » aliqui referunt (*Tert.* c. Marc. V. 6.; *Lap. Men. Tir. Gord. Mai. L R.;* — pauci acath.), quia etiam *v.* 9. de hac gloria sit sermo. Quae explicatio, quamvis omni probabilitate non careat, a longe plurimis tamen interpretibus, qui pronomen *quam* ad « sapientiam Dei » ita referunt, ut haec propositio relativa praecedenti (quam praedestinavit Deus etc.) sit parallela, merito respuitur (*Chrys.* etc., *A*[ter] etc., *Thom.* etc., *Est.* etc., *M Ev. Bisp.* etc.; — multi acath.), quia de hac sapientia in toto hoc loco Apostolus agit. Sapientiam ergo ab Apostolis inter perfectos annuntiatam ulli ex principibus huius saeculi cognitam fuisse negat, ut eam plane fuisse incognitam clarius doceat; quod enim illi ignorant, qui principatum tenent, id a plebe ignorari supponit. Principum vero ignorantiam crucifixione *Domini gloriae* demonstrat; neque enim daemones Iudaeos ad Dominum crucifigendum instigassent, si « Christum cruce sua de perversis adversariisque potentiis triumphare, chirographum contra nos scriptum ligno suffigere (*Col.* 2,14), satanae tyrannidem a nobis depellere, mundi peccatum exstinguere, immundis spiritibus portas inferni reserare, mortis imperium destruere » scivissent (*Cyr.*); neque iudaici et ethnici principes ad Christum crucifigendum operam suam umquam praestitissent, si hac sapientia instructi illum tamquam Verbum incarnatum, Patris ipsius Sapientiam, ac proin auctorem gloriae per eam communicandae cognovissent; « quum enim creaturae rationali naturaliter appetibilis est gloria, non potest in humanam cadere voluntatem, quod auctorem gloriae interimat » (*Thom.*). *Dominus gloriae* demum vocatur Christus, non tam, ut eius gloria ignominiae crucis opponatur (*Chrys.* etc.), quam ut glo-

riam, quae nobis destinata est, ab eo solo dependere cognoscamus (*cfr* 2 *Thess.* 3,16 Dominus pacis); ipse enim hanc gloriam non tantum velut sibi propriam ab aeterno possidet (*Ioan.* 17,5; *Luc.* 24,26 in gloriam *suam*), sed etiam eam nobis largitur (*Col.* 3,4; *Hebr.* 2,10 etc.).

Iam principibus huius saeculi hanc sapientiam revera incognitam fuisse, Paulus testimonio scripturistico confirmat, quo omnibus omnino haec sapientia negatur : « Nemo principum huius saeculi eam cognovit, 9. *sed* ita se res habet, *sicut scriptum est : Quod* (lege : *quae*[1]) *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (ascenderunt, sunt ea) *quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum,* i. e. nemo principum eam cognovit, sed secundum Scripturae testimonium sapientia, quam in gloriam nostram praedestinavit Deus, a nullo est cognita.

De difficili hoc textu 1.) quaeritur, quomodo praecedentibus verbis sit adnectendus. Nexum, quem verbis insertis indicavimus (cfr ***Theoph. Iust. Pic. Mai. L R.*** etc. — ***God.*** etc.), praeferimus, quia alibi quoque Paulus interdum verba scripturistica, prout ea in memoria habet, elliptico vel anacoluthico modo ita affert, ut ea constructioni suae non adaptet (***cfr*** 1,31; ***Rom.*** 15,3. 21). Alii ex praecedentibus verbum ***loquimur*** supplere malunt : « Sed loquimur, sicut scriptum est, ea, quae oculus non vidit..., (nimirum ea) quae Deus praeparavit » (***Est. Nat. Bisp.*** etc.; — ***Mey.*** etc.), at non de argumento, sed de incognoscibilitate suae sapientiae Apostolus agit, atque prophetica verba, quae prae oculis habuit, prohibent, quominus ultimum membrum (quae Deus praeparavit) pro appositione ad priora (quae oculus non vidit etc.) sumamus. Alii verba cum sequentibus hac ratione connectere volunt : « Sed, sicut scriptum est : quae oculus non vidit..., quae Deus praeparavit..., (ea) nobis revelavit Deus per Spiritum suum »; in hanc explicationem inclinat ***Vulg. Clem.***, quum versum 9. puncto a praecedentibus separet, duo puncta autem, quibus protasin ab apodosi distinguere solet, inter ***vv.*** 9. et 10. ponat. At parum aptus est hic nexus, quoniam verba ***sicut scriptum est*** nullo modo ad ***v.*** 10. pertinent, ad quem tamen, si ***vv.*** 9. et 10. ea ratione coniunguntur, necessario trahenda sunt; neque enim scripsit Paulus : « sed ea, quae iuxta Scripturam oculus non vidit..., nobis revelavit Deus ». Obstat quoque constructio ***v.*** 9., de qua iam diximus, neque particula adversativa (nobis ***autem***) in apodosi satis explicatur.

Quaeritur 2.), ubi haec verba sint scripta. Antiquitus *Orig.* (in Matth. 27,9), *A^ter* etc., et cum eis aliqui moderni acath. (*Mey.* etc.) ex apocrypha

1. **Graece habetur : ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, atque etiam *Tert.* (de resur. carn. 26), *S. Hier.* (Praef. in Pentat.; ad Marc. ep. 59,1) aliique antiqui Latini legerunt : « *quae* oculus non vidit »; antiquiores quoque nonnullae editiones Vulg. in margine adscribunt : *quae*. Quare merito censet *Est.*, interpretem latinum pluralem *quae* posuisse, per commentatores autem lectionem esse corruptam.**

Apocalypsi Eliae, *Chrys.* vero, *Theod.* etc. ex deperdito libro prophetico ea desumta esse coniecerunt; sed *S. Hier.* (ad Pamm. ep. 57,9; in Is. 64,3 etc.) reiectis his effugiis Paulum illa ex *Is.* 64,3 desumsisse recte monuit, « non verbum ex verbo reddentem, quod facere omnino contemnat, sed exprimentem sensuum veritatem, quibus utatur ad id quod voluit roborandum ». Pericope, ad quam versus a S. Paulo allegatus pertinet, est precatio (*Is.* 63,7-64,12), in qua propheta gratiis actis de praeteritis beneficiis (63,7-14) tristi populi conditione permotus (63,15-18) ardentissime Deum implorat, ut denuo auxilium afferat (64,1-3), « quippe ab antiquissimo tempore non audiit quisquam, non auribus percepit, oculus non vidit, o Deus, praeter te, quid faciat (Deus) ei confidenti » (vel secundum lectionem, quam LXX, Chald., Syr., Vulg. prae oculis habuerunt : « quid facias tibi confidentibus »)[1]. Pro more suo Apostolus haec verba, sensu accurate retento, libere sed clarius reddidit; tria priora membra prophetae, quum duo sint synonyma, in duo contraxit (*oculus non vidit nec auris audivit*), tertium adiecit (*nec in cor hominis ascendit*), quia in verbis ab eo omissis (Deus, praeter te) latuit; si enim nemo praeter Deum haec cognovit, ea in nullius hominis cor ascendisse, i. e. nullius mentem subiisse[2], manifestum est. Quin etiam verba prophetae aliquid plus dicunt, quod Paulus in sequentibus versibus etiam explicabit, nimirum nullam omnino *creaturam* haec suis viribus cogitasse aut cognovisse. Ultimis demum prophetae verbis (te exspectantibus *vel* tibi confidentibus) synonymam expressionem (*iis, qui diligunt ipsum*) substituit; de iis enim, qui Dominum velut salvatorem cum amore exspectant, propheta loquitur.

Sunt qui, ut verba « in cor hominis non ascendit » explicent, Paulum *Is.* 64,4 et 65,17 coniunxisse dicant (*Bisp. L R. Dr.*; — acath. multi); at non tantum nulla est ratio, cur haec textuum confusio et commixtio statuatur, sed ad 65,17 Apostolus vel ideo respicere non potuit, quia eo in loco expressio *ascendit in cor* sensu *recordandi* usurpatur. Neque demum eum ad *Is.* 52,17 respexisse (*Theoph.* etc.), luce clarius est. Solum textum 64,4 in mente habuit eiusque sensum libere quidem, sed fideliter reddidit.

Quaeritur 3) quaenam sint illa, quae a Deo diligentibus ipsum praeparata nullus homo cognovit. De illis bonis, quibus beati in coelo fruentur, verba haec inde a primis fidei temporibus sunt explicata (cfr *S. Clem.*

1. Ita textum vertunt *Ros.*, *Stier* etc., atque haec versio, quae cum *Vulg.* consentit, omnino textui hebr. congruit. Alii tamen vertere malunt : « a saeculo non audierunt neque perceperunt neque oculus vidit Deum praeter te, qui faciat pro sperante in ipsum » i. e. solus Iahve se Deum vivum et verum praestitit. Cfr *Knabenbauer* Comm. in Is. II. p. 472 sq., qui versionem a *Ros.* datam ab obiectionibus per *Del. Naeg.* etc. motis vindicat.

2. לֵב (*cor*) Hebraeis non tantum est affectuum sedes, sed etiam idem fere, quod cogitandi facultas seu mens; atque eodem modo in Novo Test. adhibetur *καρδία* (*Marc.* 2,6; *Luc.* 2,19; 3,15 et saepissime). עָלָה עַל לֵב (*ascendit in cor*) aliquoties significat *recordatus est* (*Is.* 65,17; *Ier.* 3,16), saepius latino *animum* vel *mentem subiit* respondet (*Ier.* 7,31; 19,5; 32,35 etc.), atque haec altera sola est significatio phraseos ἀναβαίνειν ἐπὶ τὴν καρδίαν (*Act.* 7,27; *Luc.* 24,38 et nostro in loco; saepius in Novo Test. non reperitur).

Rom. 1 Cor. 34; 2 Cor. 11 et 14; *Martyr. Polyc.* 2 etc.) et hodie saepe explicantur; neque dubium est, quin de his apte intelligantur. Nullo tamen modo de illis solis ea explicare licet, si ad contextum attenditur, in quo apud prophetam et apud Apostolum leguntur. Etenim propheta, quemadmodum ex precationis eius nexu cum praecedente operis messianici descriptione (63,1-6; attende ad *v.* 4) clare elucet, de salute messianica loquitur, quae beatorum quidem gaudia procul dubio complectitur, sed simul ea comprehendit, quae Deus, ut ad illa perveniamus, nobis praeparavit; Paulus vero de sapientia loquens, quae in nostram gloriam est praedestinata, eadem ratione totam salutis oeconomiam intelligit, quatenus specialis illius sapientiae, quam inter solos perfectos annuntiat, est argumentum. Recte igitur interpretes tantum non omnes verba haec latiore sensu explicant; pro omnibus audiantur *Theoph*., qui Graecorum explicationes paucis complectitur : « Quid praeparavit Deus diligentibus se? Christi cognitionem ac salutem per incarnationem », et *Lyr.*, qui Latinorum sensum exprimit : « Diligentibus praeparavit Deus Filium suum habendum in via per fidem et caritatem, et in patria per claram visionem et perfectam fruitionem ».

Quam sapientiam, etsi principibus huius saeculi et omnibus hominibus plane est incognita, Apostoli tamen annuntiare possunt, quia a Deo per Spiritum eius illis est manifestata : **10.** *nobis autem* (eam) *revelavit Deus per Spiritum suum.* Cum emphasi pronomen *nobis* in principio phraseos est positum; neque enim omnibus fidelibus nec ipsis perfectis, sed Apostolis solis, qui eam annuntiare debent, a Deo est manifestata. Quod assertum syllogismo quodam Apostolus demonstrat : Spiritus Dei sapientiam illam possidet (10^b. 11), atqui Spiritus Apostolis a Deo ideo est datus, ut dona divina cognoscant (*v.* 12); ergo.

Praeprimis igitur Maiorem argumenti proponit et probat : *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Meritissimo Patres iam monent, verbum *scrutatur* (ἐρευνᾷ) « non ignorantiam, sed completam scientiam indicare » (*Chrys.*), neque enim Spiritus scrutari dicitur, « tamquam qui curiose indagat, sed sicut ille qui in contemplatione delectatur » (*S. Greg. Naz.*), neque « ut quod nesciat, inveniat, sed quia nihil relinquit omnino, quod nesciat » (*Gl. ord.* ex *Aug.*); uno verbo omnia eodem modo scrutatur, quo Deus corda scrutari dicitur (*Rom.* 8,27), « quod si illud est ignorationis, hoc etiam similiter; sin autem hoc perfectae cognitionis, etiam illud itidem » (*Theod.*). Immerito igitur *Gl. ord.* aliam explicationem simul proponit, quam *Est.* non improbat, aliqui moderni acath. (*de W.* etc.) praeferunt, ut « Spiritus Dei in nobis scrutetur, i. e. scrutari nos faciat, quemadmodum in nobis gemere, clamare, postulare dicitur »; a nostro enim contextu plane aliena est haec explanatio. Spiritus Dei ipse scrutatur, i. e. pene-

trat et intime novit *omnia*; quam late autem illud *omnia* pateat, docent verba addita : *etiam profunda Dei* (τὰ βάθη τοῦ θεοῦ « profunditates » vel ut habet *S. Iren. interpr.* c. haer. II. 28,7 : « altitudines Dei »). Non illa tantum, quae quasi in superficie sita « a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur » (*Rom.* 1.20), sed intima quaeque divinitatis mysteria et consilia, « omnem eius virtutem et praescientiam » (*A^ter^*), Spiritus perspicit.

Vere divina igitur scientia Spiritui S. velut personae a Patre distinctae attribuitur; quare iure ex his verbis divinitas Spiritus S. demonstratur, idque eo magis, quia Spiritus profunda Dei non velut extrinsecus sibi manifestata sed velut sua propria cognita habet. Id enim docet similitudo ab Apostolo addita : sicut solus hominis spiritus intima hominis sensa (profunda, ut ita dicamus, hominis) novit, ita Spiritus Dei solus profunda Dei penetrat : 11. *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit* (cognita habet ἔγνωκε), *nisi Spiritus Dei*. Ne ipsum quoque Deum cor hominis nosse neget, Apostolus significanter interrogat : Quis *hominum* scit? Qua quidem interrogatione angelos quoque et daemones ab hac cognitione non excludi recte monet *Iust.*, at non satis attendit, eos ratione illa excludi, qua iuxta Apostolum spiritus hominis ea quae sunt hominis scit; ideo enim haec scit, quia *in ipso est;* atqui « angelus neque bonus neque malus illabitur ita menti humanae, ut in ipso corde hominis sit et intrinsecus operetur; sed hoc solius Dei proprium est » (*Thom.*), qui « homini est intimior quam spiritus proprius » (*Lyr.*). Iam vero non eadem, sed simili, ratione, qua spiritus hominis ad hominem, Spiritus Dei sese habet ad Deum[1]. Similitudo autem iuxta Apostolum in eo est, quod spiritus hominis, quia homini substantialiter est unitus (vel ut habet *Lyr.* « ei est consubstantialis »), solus ea quae sunt hominis cognoscit, et quod Spiritus Dei, quia Patri et Filio consubstantialis unus cum eis est Deus, solus profunda Dei cognita habet. Sed soli Spiritui hanc cognitionem attribuens Paulus eandem duabus aliis personis non magis abiudicat, quam Dominus ipse Spiritui cognitionem Patris et Filii negat (*Matth.* 11,27; *Luc.* 10,22); Patrem enim per Spiritum sapientiam revelare iam dixerat (*v.* 10), Patrem igitur eandem possidere iam innuerat; unde satis intelligitur, quomodo verba eius sint intelligenda. Illud tamen procul dubio ex

1. Ex omnibus fere similitudinibus, si nimis urgentur, deduci possunt absurda, quare ultra intentionem scriptoris eas urgere non licet. Ad quam regulam si attendissent, aliqui acath. ex his verbis paulinis non deduxissent Spiritum S. esse animam divinitatis (*Hallet*), aut principium conscientiae divinae « das Princip des goettlichen Selbstbewusstseins (*Mey.*), quam explicationem transumere catholicus interpres (*Bisp.*) non est veritus.

his verbis sequitur, sapientiam, de qua Apostolus loquitur, omnes vires creatas superare. In praecedentibus id semper asseruerat, *de facto* principes huius saeculi hominesque omnes illam ignorasse; hoc autem loco ignorantiae illius rationem explicat. Etenim docens, solum Spiritum S. sapientiam illam possidere, quia solus utpote Dei Spiritus (« qui in Deo est » legerunt *Tert.* c. Prax. 8. 19. etc. aliique antiqui) profunda Dei scrutatur et scrutari potest, omnibus aliis, etiam perfectissimis, creaturis ipsam huius cognitionis possibilitatem negat. De sapientia igitur et de rerum ordine loquitur, cuius cognitio tam alta est, ut nulla omnino creatura nisi per supranaturalem revelationem ad eam pertingat.

Argumenti sui Maiore posita et demonstrata Apostolus ad Minorem transit : 12. *nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis.* Spiritus huius mundi, quocumque sensu intelligitur, mysteria divina ipse, quum sit creatura, non cognoscit; qui igitur hunc acceperunt, illa ignorent necesse est. *Nos autem*, inquit Paulus, *Spiritum, qui ex Deo est,* accepimus, illum sc. Spiritum, qui quia ex Patre et Filio procedit et cum eis unus est Deus, etiam profunda Dei cognita habet. Iterum illud *nos* cum emphasi in principio posuit; neque enim eadem ratione, qua fideles omnes, Spiritum receperunt Apostoli, sed singulari quadam ratione, ut *scirent* (ἵνα εἰδῶμεν) dona Dei eaque aliis manifestare possent (cfr. *Ioan.* 14,16 sq. 26; 15,26 sq.; 16,13). Illa, *quae a Deo* (gratis) *donata sunt nobis* » (τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν) non sunt « gratiae gratis datae, uti prophetia et Scripturarum intelligentia etc. » (*Lyr.*), sed « ea quae ad salutis oeconomiam pertinent : quomodo Christus pro nobis mortem obierit, nos filios Dei fecerit, a dextris Patris nos collocaverit in se ipso » (*Theoph.*), eadem nimirum quae nobis a Deo praeparata esse dixit (*v.* 9.). Omnia haec igitur Apostolis immediate per Spiritum divinum a Deo sunt revelata.

Spiritum mundi huius vel iuxta meliorem, ut videtur, lectionem : ***spiritum mundi*** se accepisse negat Apostolus; de quonam autem spiritu loquatur, non una est interpretum sententia. « Nomine spiritus, inquit ***Thom.***, vis quaedam vitalis et cognitiva et motiva intelligitur; spiritus ergo huius mundi potest dici sapientia huius mundi et amor mundi, quo impellitur homo ad agendum ea, quae mundi sunt ». Revera humanam vel mundanam sapientiam designari multi censent (***Chrys. Oec. Theoph. Lyr. Dion.***[1] ***Est. Iust. Lap. Men. Nat***[2]. ***Pic. Mai. M Ev. Bisp.*** — Acath. non pauci), licet in accuratiore definitione inter se dissentiant. At in tota hac particula Paulus vocem ***spiritus*** non metaphorico sed proprio sensu sumit; quod

si quis « spiritum (huius) mundi » tropice sumere voluerit, etiam « Spiritum, qui ex Deo « est » tropice intelligat oportebit; in eadem enim phrasi eidem vocabulo propriam et metaphoricam significationem attribuere non licet, nisi necessitate cogente. Proprio suo sensu illud sumit *Theod :* « creatum spiritum non accepimus nec per angelum rerum divinarum revelationem accepimus » (etiam *Nat*[1].); at de spiritu bono hic non est sermo, itaque cum aliis (*A[ler] Rhab. Herv. Gl ord. H Car. Dion*[2] *Calm. L R. Dr.* — nonnulli acath.) intelligendum censemus ipsum diabolum, quatenus auctor est falsae sapientiae humanae, « deum huius saeculi, qui excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii » (2 *Cor.* 4,4), « spiritum illum, qui nunc operatur in filiis diffidentiae, ut ambulent secundum saeculum mundi huius » (*Eph.* 2,2), spiritum erroris, qui oppositus est spiritui veritatis (1 *Ioan.* 4,3-6; cfr 5,19), et a quo exoritur « sapientia terrena, animalis, diabolica » (*Iac.* 3,15)[1].

b.). Sapientiam sibi revelatam Apostoli solis perfectis annuntiant (2,13-16).

2,13. ***Quae et loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.*** 14. ***Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.*** 15. ***Spiritualis autem iudicat omnia; et ipse a nemine iudicatur.*** 16. ***Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.***

2,13. ἃ καὶ λαλοῦμεν οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος, πνευματικῶς πνευματικὰ συγκρίνοντες. 14. ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ· μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστίν, καὶ οὐ δύναται γνῶναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται. 15. ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει μὲν πάντα, αὐτὸς δὲ ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται. 16. τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου, ὃς συμβιβάσει αὐτόν; ἡμεῖς δὲ νοῦν Κυρίου ἔχομεν[2].

Altam illam sapientiam Apostoli per Spiritum S. a Deo eum in finem receperunt, ut eam cum illis fidelibus, qui eam intelligere possent,

1. Eodem modo textum intelligere videtur *S. Aug.* (Serm. 333,6.) : « Spiritus huius mundi facit superbos, spiritus huius mundi facit inflatos, spiritus huius mundi facit ut putet se quisque aliquid esse, quum nihil sit. Sed contra spiritum huius mundi quid ait Apostolus? Contra spiritum huius mundi inflatum, superbum, tumidum, elatum, non solidum, quid ait? Nos non spiritum huius mundi accepimus » etc. Cfr Serm. 283,2 : « Spiritus Dei est Spiritus caritatis, spiritus huius mundi est spiritus elationis; qui habent spiritum huius mundi superbi sunt, ingrati sunt Deo » etc. De spir. et lit. 13 : « Quis est autem spiritus huius mundi nisi superbiae spiritus? Quo cor insipiens obscuratum est eorum, qui cognitum Deum non ut Deum gratias agendo glorificaverunt; nec alio spiritu decipiuntur etiam illi, qui ignorantes Dei iustitiam et suam iustitiam volentes constituere, iustitiae Dei non sunt subiecti ». Sed S. Doctoris verba etiam de priore sententia explicari possunt.

2. *VV. LL.* — 13. πνεύματος (*Spiritus*) sine additamento B ℵ A C F G, nonnulli minusc., *It.*, *Vulg.*, *Copt.*, *Arm.* etc.; sed *text. rec.* addit ἁγίου (sancti) cum E L P, plerisque minusc., *Syr.*, *Aeth.* — πνευματικῶς (spiritualiter) B cum uno minusc.; reliqui omnes recte : πνευματικοῖς (*spiritualibus*).

communicarent; hinc Paulus adducitur, ut explicet, quomodo (*v.* 13.) et quibus (14-16) eam tradant.

13. *Quae et loquimur;* illa igitur, quae a Deo donata sunt nobis, i. e. mysteria quae de oeconomia salutis nobis sunt revelata, haec etiam annuntiamus *non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus,* vel potius *in doctis Spiritus verbis* [1]. Docta humanae sapientiae verba intelliguntur illa, quae humana sapientia docet, uti docta Spiritus verba sunt illa, quae a Spiritu docentur. Sicuti Apostoli sapientiam ipsam non a mundo sed a Deo immediate accipiunt, ita etiam modum, quo eam tradunt, non ab humana sapientia mutuantur, sed a Spiritu accipiunt, qui non solas doctrinas eis revelat, sed aptam quoque formam ad illas docendas eis suppeditat. Quum λόγοι non sola verba, sed etiam latiore sensu explicationis et demonstrationis modum designet, omnino cum graeco textu latinus consonat, prout eum explicat *Thom.* : « non nitimur ad probandam nostram doctrinam per verba composita ex humana sapientia sive quantum ad ornatum verborum, sive quantum ad subtilitatem rationum... sed ita loquimur, prout Spiritus S. nos loquentes interius docet ». Cui explicationi consentiunt verba addita *spiritualibus spiritualia comparantes* (πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες), i. e. doctrinis a Spiritu traditis verba et argumenta ab eodem Spiritu suggesta adaptantes.

1. Quum primum vocabulum ***spiritualibus*** masculinum aut neutrum esse possit, vario modo phrasis explicatur. Antiquiores Latini (***A****ter* ***Pelag. Prim. Rhab. Herv. Thom. Lyr.*** etc. quibuscum consentiunt ***Est. M Ev.*** et aliqui acath. ***Heinr. God.*** etc.) masculinum praetulerunt atque explicarunt : « recta comparatione spiritualia documenta tradimus spiritualibus viris, quibus sunt convenientia » (***Thom.***). Qui sensus, quamvis per se aptissimus sit, quomodo ex verbis extundatur, non satis apparet, siquidem nec latinum ***comparare*** nec graecum συγκρίνειν significationem tradendi vel docendi admittere videtur. Itaque cum Graecis omnibus et plerisque modernis vocem ***spiritualibus*** pro neutro suminius; συγκρίνειν autem (opp. διακρίνειν) significat componere, et quum compositio aut secundum similitudinem aut secundum rem esse possit, συγκρίνειν est aut idem quod ***inter se***

1. Codd. et PP. graeci tantum non omnes eandem lectionem tuentur : οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος, quam antiqua versio latina accurate reddidit : ***non in doctis humanae sapientiae verbis***, ***sed in doctis Spiritus*** (cfr ***S. Aug.*** Civ. Dei XIV. 4 etc.). Nam διδακτός est idem quod διδαχθείς (cfr ***Is.*** 54,13 לִמּוּדֵי יְהוָה ***Alex.*** διδακτοὶ Θεοῦ, ***Vulg.*** docti a Domino; sed minus recte ***Vulg.*** in ***Ioan.*** 6,45 docibiles Dei). Latinorum lectio quam maxime variat; alii in utroque membro pro ***doctis*** legunt ***doctrina*** (***A****ter* etc.); alii in priore membro ***doctis***, in altero ***docti;*** alii in utroque ***docti;*** alii cum ***Vulg.*** in priore ***doctis***, in altero ***doctrina***. Graeca lectio procul dubio praeferenda est; sed variae latinae lectiones ad eundem sensum trahi possunt.

comparare aut id quod *coaptare*, *coniungere*. Alterum hunc sensum, quem supra supposuimus, praeferunt iuniores plurimi (*Cai. Iust. Lap. Sa. Men. Tir. Nat. Mai. Bisp. L R Dr.* — multi acath.); priorem autem tenent Graeci cum *Chrys.*, cui « spiritualibus spiritualia comparare » est idem, quod « doctrinas in Novo Test. revelatas cum typis figurisque Vet. Test. aliisve veritatibus revelatis comparare et iisdem confirmare »[1].

2. In sequentibus versibus Apostolus de homine *spirituali* agit eique *animalem* et *carnalem* opponit; itaque nominum istorum definitionem praemittere non erit inutile. Paulum trichotomiam non docuisse; id quod ex hoc loco et ex 1 *Thess.* 5,23 et *Hebr.* 4,12 satis multi acath. (*Del. Mey. Ev.* etc.) colligunt, hic demonstrare superfluum est[2]; duas tantum partes constitutivas hominis cognovit, sed variis nominibus eas designat, sive solam earum naturam (*corpus* σῶμα vel *caro* σάρξ; *anima* ψυχή vel *mens* νοῦς vel *spiritus* πνεῦμα) sive earum relationem ad peccatum et ad gratiam considerat; de solo hoc ultimo loquendi usu agitur.

Iam vero σάρξ (*caro*) Paulo haud raro est corpus vel potius inferior pars hominis, quatenus post peccatum protoparentum nobis transmissum, originali amissa iustitia et integritate, non tantum inclinatione ad bonum caret (*Rom.* 7,18), sed etiam in se habet peccati fomitem et contra spiritum rebellans legi peccati inservit (*Rom.* 7,23. 25 etc.)[3]; quare etiam

1. *Chrys.* : « Quid sibi vult *spiritualibus spiritualia comparantes?* Quando aliquid spirituale est et dubium, a spiritualibus argumenta desumimus. Ex. gr. surrexit Christus, de Virgine natus est; adduco testimonia, figuras, demonstrationes : Ionae in ceto moras et liberationem, sterilium Sarae et Rebeccae partus, arborum in paradiso sine seminibus, sine imbribus, absque labore humano productionem. Futura enim figurabantur et describebantur prioribus tamquam in umbra, ut crederentur, quando advenerunt. Et ostendo rursum, quomodo homo ex terra, et quomodo ex solo viro mulier sine concubitu, et quomodo terra ex nihilo, sola creatoris potentia ad omnia sufficiente. Ita cum spiritualibus spiritualia comparo neque usquam humana scientia aut ratiociniis aut probationibus indigeo » etc. Quod si admittamus, ab Apollo, viro alexandrino in Scripturis potente, hanc typicam argumentationem esse adhibitam (*cfr ad* 1,12) eandemque ab Apostolo ad altiorem sapientiam trahi (*cfr ad* 2,6), explicatio haec apta esse videtur et a nonnullis (*Lap. Tir. Men.* etc.) cum altera haud incongrue coniungitur.

2. Quam inepte in hac quaestione nostra pericope afferatur, facile apparet. Etenim si iuxta tres, quas systema trichotomicum docet, partes constitutivas hominis (spiritus, anima, corpus vel caro) Paulus tres hominum classes distinxisset, carnalis homo infimum, animalis medium, spiritualis supremum locum occuparet; atqui ex 2,14, si cum 3,1 sqq. confertur, homo animalis, qui respuit altiores veritates, carnali, qui eas nondum ferre potest, potius inferior quam superior est. Porro iuxta systema trichotomicum anima (ψυχή) nullam omnino veritatem intellectualem cognoscit; cur ergo Paulus, si idem systema tenet, suo homini animali, qui sola anima regitur, *altioris* tantum sapientiae cognitionem negat? Quam longe demum absit a sententia trichotomica, iuxta quam anima (ψυχή) solum principium *vitale* hominis designet, docent 2 *Cor.* 12,15, *Hebr.* 10,39 et 13,17, *Rom.* 2,9, *Col.* 3,23 etc. Ceterum de hac quaestione agendum erit ad 1 *Thess.* 5,23, in quem locum cfr *Thom.* Cfr etiam *Simar* Theol. des h. Paulus. Ed. 2. p. 45-51.

3. Aliquoties, sed rarissime, eodem fere sensu adhibetur σῶμα (*corpus*); *Rom.* 8,13 omnes fere codd. graeci cum *Syr.*, *Memph.*, *Sah.*, *Aeth.* et longe plerisque PP. gr. legunt τὰς πράξεις τοῦ σώματος, ubi Latini fere omnes cum quatuor graeco-lat. (D E F G) legunt *facta carnis*. Sed 1 *Cor.* 9,27 quoque σῶμα (corpus) designatur velut sedes peccati, quae in debitam servitutem redigi debeat.

omnia peccata ei sunt *opera carnis* (*Gal.* 5,19 sqq.). ***Homo carnalis*** (σαρκικός, rarius σάρκινος eodem, ut videtur, sensu) autem est ille, in quo caro haec dominatur, i. e. proxime homo, qui gratia sanctificante nondum instructus sub peccato est venumdatus (*Rom.* 7,14); sed quia etiam in iustificato fomes peccati remanet, iustificatus quoque vocari potest carnalis, quamdiu non ex principio supranaturali agit; hac ratione *parvuli in Christo* a Paulo vocantur carnales (*cfr* 3,1).

Carni porro directe et complete opponitur *spiritus* (πνεῦμα), quo nomine Paulus saepissime intelligit animam vel potius superiorem hominis partem (τὸν νοῦν), quatenus gratia sanctificante instructa et cum Spiritu S. unita (*Rom.* 8,9 sqq.) principium supranaturalium actionum constituit, ita ut omnes virtutes sint *fructus spiritus* (*Gal.* 5,22 sq.). Hinc homo spiritualis (πνευματικός) ille vocatur, in quo spiritus (πνεῦμα) dominatur, qui igitur gratia sanctificante ornatus et a Spiritu S. inhabitante illuminatus ab eo se regi sinit. At non eodem gradu omnes Spiritum S. accipiunt; prorsus singulari modo eum dari Apostolis insinuat Paulus (*v.* 12), atque spirituales illi, quos de suis mandatis iudicium ferre posse censet (14,37), etiam speciali rerum divinarum scientia, quae non omnibus competit sed ex singulari dono procedit, instructi erant. Varii igitur sunt spiritualitatis gradus, nec quidquam obstat, quominus eaedem personae aut carnales aut spirituales vocentur pro diverso modo, quo considerantur.

Spiritualibus demum non tantum carnales, sed etiam *animales* (ψυχικοί) opponuntur, at prorsus alia ratione. Vocabulo enim ψυχῆς (animae) utitur Apostolus, ubi naturalem indolem et conditionem hominis considerat; *anima* (correspondens hebr. נֶפֶשׁ) ei aut est principium vitae naturalis (*Act.* 20,10), ideoque etiam metaphorice vel vita ipsa (*Rom.* 11,3; 16,4; *Phil.* 2,30; 1 *Thess.* 2,8; 2 *Cor.* 1,23) vel homo vita praeditus (πᾶσα ψυχή omnis anima *Rom.* 2,9; 13,1), aut etiam animus velut principium sensitivum et intellectuale (*Hebr.* 12,3; *Eph.* 6,6; *Col.* 3,3) atque immortale quod salvandum est (2 *Cor.* 12,15; *Hebr.* 6,19; 10,39; 13,37). Hinc homo *animalis* vocatur, qui naturali tantum vita praeditus ratione sua naturali regitur, « solum lumen naturale rationis sequitur » (*Cai.*), « solam habet insitam intelligentiam, quam in omnium animas creator immisit » (*Cyr.*), vel si cum schola loqui volumus, haud inepte dicimus, hominem animalem vocari, qui consideratur, ac si esset in statu naturae purae [1].

Homo spiritualis gratiam sanctificantem *possidet*, carnalis (stricto sensu) gratia hac *est privatus*, animalis eadem *caret*.

1. Eodem tamen sensu, quo homo *carnalis* a S. Paulo, intelligitur a S. Iuda homo *animalis* (ψυχικοὶ πνεῦμα μὴ ἔχοντες *Iud.* 18. 19), atque simili quoque ratione a S. Iacobo, si in peccatore sapientiam « terrenam, *animalem*, diabolicam » adesse dicit (*Iac.* 3,15). Hinc etiam in nostro loco haud pauci interpretes vocabulo eundem sensum attribuunt, sed parum recte; nusquam enim Paulus nomine ψυχή ita utitur, ut naturam humanam peccato corruptam designet (sicut *caro*, σάρξ), nec adiectivum ψυχικός (*animalis*) in unico alio loco, in quo illud adhibuit (15,44-46), hunc sensum admittit.

Exposito modo, quo ab Apostolis altior sapientia docetur, Paulus eos, qui illius recipiendae vel capaces vel incapaces sint, describit. Inter perfectos enim se illam loqui dixerat (*v.* 6), quinam igitur ad hanc classem pertineant, explicat : 14. *Animalis autem homo,* homo naturalis « qui contentus est suis propriis cogitationibus » (*Theod.*), *non percipit* (rectius : *non recipit*[1] vel respuit) *ea quae sunt Spiritus; stultitia enim est* (lege : *sunt*) *illi et non potest* (ea) *intelligere, quia spiritualiter examinatur* (lege : *examinantur*). *Ea quae sunt Spiritus* toto contextu definiuntur; altioris, de qua agitur, sapientiae sunt mysteria et argumenta, quae Apostolis per Spiritum a Deo sunt revelata. Haec procul dubio naturalis hominis ratio primo aspectu pro absurdis habet, ideoque sine examine respuit; sed etiamsi ea examinare (ἀνακρίνειν examine instituto diiudicare et iuxta verum earum pretium res aestimare; in sequente versu idem verbum redditur *iudicare*) vellet, ea non intelligeret, eo quod ad superioris ordinis veritates intelligendas requiritur eiusdem ordinis superioris facultas : etenim « fide indigent, nec rationibus humanis comprehendi possunt, siquidem eorum magnitudo vilitatem nostrae mentis longe superat » (*Chrys.*); « neque umquam inferior potest examinare (et diiudicare) ea, quae sunt superioris. Sicut sensus non potest examinare ea quae sunt intellectus, ita similiter neque sensus neque ratio potest iudicare ea, quae sunt Spiritus Dei. Quia ergo animalis homo caret Spiritu S., non potest spiritualia examinare nec per consequens intelligere » (*Thom.*).

Quae autem nec recipit nec intelligit homo animalis, quia facultatibus suis mere naturalibus ad ea non pertingit, ea recipit homo spiritualis, « qui habet intellectum illustratum et affectum ordinatum per Spiritum S. » (*Thom.*), eaque etiam diiudicare potest, quoniam principia supranaturalia possidet, ad quae eorum verum pretium aestimandum est : 15. *Spiritualis autem iudicat omnia,* non tantum ea, quae ad altiorem sapientiam pertinent, sed etiam ea, quae inferioris sunt ordinis; cur enim illud *omnia* ad ea, quae sunt Spiritus, restringatur (id quod volunt pauci acath. *Ew. Ev.* etc.), nulla est ratio. « Nam qui videt (inquit iam *Chrys.,* quocum omnes cath. et plerique acath. consentiunt) omnia quidem videt, etiam ea quae ad caecum pertinent; quae autem videntis sunt, ea nullus caecus videt. Ita etiam

1. Graecum δέχεσθαι in hoc loco solo a Vulg. vertitur *percipere*, in reliquis omnibus, etiam in iis, in quibus de veritatibus agitur, *recipere* vel *accipere* (2 *Cor.* 6,1; 8,17; 1 *Thess.* 1,16; 2,13 etc.). — Attende, in sequentibus phraseos membris singularia *est* et *examinatur* serviliter esse ex graeco transumta, in quo secundum constantem usum neutra pluralia cum singulari verbi sunt coniuncta.

nunc nostra quidem et ea quae sunt infidelium, omnia nos scimus, nostra autem infideles non item » etc. *Ipse autem* (spiritualis) *a nemine iudicatur,* qui spiritualis non est; quia enim spiritualis omnia diiudicat et iuxta eorum pretium aestimat, etiam alios spirituales diiudicare et aestimare potest.

Assertum suum, spiritualem non posse nisi a solo spirituali diiudicari, Apostolus syllogismo demonstrat : **16.** *Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.* Maiorem argumenti sui ex *Is.* 40,13 desumit, iuxta alexandrinam versionem libere pro more suo verba allegans. Propheta, ut populum, cui liberationem ex captivitate praedixerat (40,1-11), ad fiduciam adducat, potentiam ac sapientiam divinam celebrat (12-17), atque inter alia interrogat iuxta text. hebr. : « Quis direxit spiritum Domini et (quis) tamquam consiliarius eius eum docuit? » Quae sensu non mutato reddiderunt Alexandrini : Τίς ἔγνω νοῦν Κυρίου (quis cognovit sensum i. e. sapientiam Domini, ut eam, si forte deflecteret, dirigere posset?) καὶ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο, ὃς συμβιβάσει αὐτόν (et quis consiliarius eius fuit, ut eum instrueret?). Sola prima et ultima verba, intermediis omissis, Apostolus assumit, quia completum phraseos sensum exhibent, neque ultimum (*qui instruat eum*) otiose adiecit, uti aliqui acath. (*Rück.* etc.) putaverunt, « sed respiciens ad id, quod probare vult: spiritualem nemo diiudicat. Si enim nemo potest nosse mentem Domini, multo minus potest illum docere et corrigere; hoc enim sibi vult illud : qui instruat eum » (*Chrys.*), quippe quod praevium iudicium supponat. Tanta igitur, teste Scriptura, *sapientia* est *Domini* (νοῦς Κυρίου), ut nemo eam diiudicare possit : haec est Maior argumenti, cui subnectitur Minor : atqui nos (spirituales) sensum Christi (νοῦν Χριστοῦ *sapientiam Christi*) possidemus; unde conclusio patet, spirituales a nullo, qui spiritualis non sit, diiudicari. At attende, argumentum esse illegitimum, nisi Christi et Spiritus S. divinitas admittatur. Apostolus enim, ut spirituales, i. e. eos qui Spiritum acceperunt, non posse diiudicari demonstret, in Maiore assumit verba Scripturae, in quibus de *sapientia Domini* (יהוה) agitur, in Minore nos *sapientiam Christi* habere asserit, unde in conclusione, quam non exprimit, eos qui *sapientiam Spiritus* habent, non diiudicari posse deducit : ergo una eademque sapientia est Domini (יהוה), Christi, Spiritus S.

Antiqui Protestantes his ultimis versibus abusi sunt, ut Ecclesiae auctoritatem impugnarent et negarent (cfr *Bellarm.* De verbo Dei III. 3 et 10); at eorum obiectionibus immorari hodie superfluum est; siquidem inter modernos eorum asseclas ne unus quidem, opinor, in-

venietur, qui verba paulina ita interpretari audeat, ut singulis fidelibus ius vindicet iudicandi de sensu Scripturarum aut eos a nullo iudicari posse doceat.

c.) *Quia Corinthii nondum perfecti sunt, ideo eis Paulus sapientiam annuntiare nondum potuit* (3,1-4).

3,1. *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo,* 2. *Lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis ; sed nec nunc quidem potestis ; adhuc enim carnales estis.* 3. *Quum enim sit inter vos zelus et contentio : nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* 4. *Quum enim quis dicat : Ego quidem sum Pauli, alius autem : Ego Apollo : nonne homines estis ?*

3,1. Κἀγὼ, ἀδελφοί, οὐκ ἠδυνήθην λαλῆσαι ὑμῖν ὡς πνευματικοῖς, ἀλλ' ὡς σαρκίνοις, ὡς νηπίοις ἐν Χριστῷ. 2. γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, οὐ βρῶμα· οὔπω γὰρ ἐδύνασθε. ἀλλ' οὐδὲ νῦν δύνασθε· 3. ἔτι γὰρ σαρκικοί ἐστε. ὅπου γὰρ ἐν ὑμῖν ζῆλος καὶ ἔρις, οὐχὶ σαρκικοί ἐστε καὶ κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε; 4. ὅταν γὰρ λέγῃ τις· Ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἕτερος δέ· Ἐγὼ Ἀπολλώ, οὐκ ἄνθρωποί ἐστε [1];

Eadem ratione, qua in priore argumenti parte indole missionis apostolicae proposita *methodum* suam docendi quodammodo vindicaverat (*cfr ad* 2,1), Apostolus ab iis, quae de altiore sapientia exposuit, ad conclusionem practicam nunc veniens *argumentum* praedicationis suae corinthiae defendit. Sapientiam quidem loquimur, sed inter perfectos; at vos nec perfecti eratis necdum perfecti estis. 3,1 *Et ego,* sicut omnis spiritualis, cui de vestra conditione iudicium competit, *fratres, non potui vobis loqui quasi* (ὡς tamquam) *spiritualibus* s. perfectis, *sed quasi* (tamquam) *carnalibus, tamquam parvulis in Christo* loqui debui. Cum haud paucis interpretibus *Chrys.* in primis

1. *VV. LL.* — 1. σαρκίνοις (*carnalibus*) B ℵ A C D, pauci PP.; sed σαρκικοῖς *text. rec.* cum E F G L P, plerisque minusc. ot PP. Sensus non mutatur, sive prior sive altera lectio praefertur; eodem enim modo PP. graeci omnes locum interpretati sunt, licet alii priorem, alii alteram lectionem secuti sint; inter modernos autem alii (*Mey.* etc.) Paulum putant σαρκίνοις scripsisse, ut Corinthios vehementius vituperaret, alii (*God.*) eum idem vocabulum elegisse, ut Corinthios quasi excusaret. Ceterum attende, uno tantum in loco paulino lectionem σαρκίναις (2 *Cor.* 3,3) esse certam; at eo in loco σάρκινος proprio suo sensu (*carneus*) adhibetur. — ὡς νηπίοις (*tamquam parvulis*) est lectio omnium fere codd. et PP. gr.; pauci tantum minusc. cum paucis PP. gr. legunt ὡς νηπίους membrumque hoc cum *Vulg. Clem.* et *Arm.* ad sequentem phrasin trahunt : ὡς νηπίους ἐν Χριστῷ γάλα ὑμᾶς ἐπότισα. Rectius igitur etiam in *Vulg.* verba haec cum praecedentibus coniungimus. — 3. ζῆλος καὶ ἔρις (*zelus et contentio*) sine addit. B ℵ A C P cum paucis minusc. et multis PP., *Vulg., Copt., Arm., Aeth.; text. rec.* cum D E F G L et plerisque minusc. et paucis PP. et *Syr.* addit καὶ διχοστασίαι (*et discordiae*), quod additam. merito pro glossa habetur. — 4. ἄνθρωποι (*homines*) est lectio omnino praeferenda cum B ℵ A C D E F G, paucis minusc., *It., Vulg., Copt., Arm., Aeth.* contra lectionem *textus rec.* : σαρκικοί (*carnales*), quam habent cum L P plerique minusc. et *Syr.*

his verbis gravem deprehendit reprehensionem, qua fastus et superbia Corinthiorum castigetur; sed immerito. Etenim eo quod statim post suam conversionem altioris sapientiae intelligendae non fuissent capaces, Corinthii vituperio non erant digni, neque verba praeter simplicem facti explicationem quidquam continent. Quodsi *carnales* vocantur, expressio haec appositione *parvulis in Christo* lenitur et explicatur; baptismo regenerati quidem et in Christum inserti Spiritum S. iam acceperant, at non statim omnes pravos habitus deposuerant, ita ut aliquid *carnis* in iis remanserit. In perfectam Christi aetatem non statim creverant et in corruptissima civitate degentes « ad hanc vitam affixi erant eaque quae videbantur praeclara sectabantur ad divitias eloquentiamque magistrorum suorum attendentes » (*Theod.*). « Eosdem hic carnales dici, qui antea vocati sint animales », sine ullo fundamento censent haud pauci (*Thom. Est. Lap.* etc., *M Ev. Ramb.*, — aliqui acath.); animalis enim nulla ratione vocari potest parvulus in Christo (*cfr ad* 2,13 p. 70).

Quoniam igitur perfecti non erant, Paulus omissis altioribus doctrinis elementa fidei eis proposuit (*cfr ad* 2,2. 6), id quod eadem imagine, qua *Hebr.* 5,12 utitur [1], hic exprimit : 2. *Lac vobis potum dedi, non escam* (βρῶμα i. q. στερεὰν τροφήν cfr *Hebr.* l. c.; zeugma textus graeci : « lacte vos *potavi,* non cibo solido » in nostra versione vix animadvertitur); non *enim poteratis* cibum solidiorem concoquere [2]. Soli ergo eorum utilitati consuluit a sapientia tradenda abstinens, sicut mater ob solam caritatem parvulum solo lacte nutrit, quia alii cibi, etiamsi per se sint meliores, ei nocituri sint (cfr *Chrys.*). Atque eadem est ratio, cur Apostolus, qui tamquam vir spiritualis de Corinthiorum conditione cum certitudine iudicat (2,15) et tamquam sapiens magister doctrinas captui discipulorum aptas eligit, nondum eis sapientiam proponat : *sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis.* Hisce utique verbis vituperium quoddam continetur, at non tam graviter Corinthii, quam Hebraei increpantur, qui « imbecilles facti erant ad audiendum et quum deberent magistri esse propter tempus, iterum indigebant, ut elementa fidei edocerentur » (*Hebr.* 5,11 sq.). Revera a primo die, quo Apostolus Corinthum venerat, usque ad hanc scriptam epistolam vix quinque vel sex anni

1. Alio sensu imagine *lactis* S. Petrus utitur : « sicut modo geniti infantes sine dolo (i. e. purum vel sincerum ἄδολον) lac concupiscite » (1 *Petr.* 2,2); appellatione *sinceri lactis* enim omnia intelligit, quae ad vitam christianam alendam et perficiendam iuvant.

2. Multi moderni interpretes verbum δύνασθαι (*posse*) hoc in loco absolute adhibitum esse censent, ut nihil sit supplendum (*non poteratis* i. q. non eratis fortes. *Heinr. God.* etc.); sed nusquam eo sensu adhibetur atque semper ex contextu verbum suppleatur oportet, uti 10, 13; *Rom.* 8,7; etc.

effluxerant; Hebraeorum autem ecclesia plus triginta annis antequam Paulus eis scripsit fundata erat; Hebraei igitur a priore sua perfectione defecerant, Corinthii vix tempus habuerant, ut ad perfectionem pervenientes « consuetudine exercitatos sensus haberent ad discretionem boni et mali » (*Hebr.* 5,14).

Porro nondum ad illum perfectionis gradum sese pervenisse necdum carnem plane exuisse, sua agendi ratione demonstrant : 3. *Quum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis?* Ζῆλος (zelus) proprie significat aemulationem[1] atque haud raro in bonam (2 *Cor.* 7,7. 11; 9,2; 11,2 etc.), frequentius in malam partem accipitur, ut sit idem quod invidia, ex qua deinde contentiones exoriuntur : « zelus pater est contentionis, quae factiones gignit », uti habet *Theoph.* tertiam simul expressionem (διχοστασίαι) explicans, quam cum multis iunioribus codd. addidit. *Zelus et contentio* autem (ζῆλος, ἔρις) a Paulo uti inter opera tenebrarum (*Rom.* 13,13), ita inter opera carnis (*Gal.* 5,20) enumerantur (cfr etiam *Iac.* 3,11); ex Corinthiorum igitur zelo et contentione iure colligit, eos adhuc carnales esse et *secundum hominem* inferiorem et peccato corruptum *ambulare*. « Quia naturae humanae consonum est, ut spiritus cognitionem a sensibus carnis accipiat, consequenter affectus rationis humanae secundum ea, quae sunt carnis, movetur, nisi spiritus hominis per Spiritum Dei super hominem elevatur. Secundum hominem ambulare est igitur ambulare secundum naturam humanam sibi a Dei Spiritu derelictam » (*Thom.*). De qua vero aemulatione loquatur, Paulus docet iterum interrogans : 4. *Quum enim quis dicat : Ego quidem sum Pauli, alius autem : ego Apollo, nonne homines estis?* Ipsa ergo eorum schismata demonstrant, eos nondum « exercitatos sensus habere ad discretionem boni et mali », nec proin altioris doctrinae intelligendae esse capaces.

Quo sensu vox *hominis* hic sumatur oporteat, ex contextu elucet, quum haec interrogatio priori parallela sit ideoque nomen *homines* praecedenti *carnales* respondeat. Unicus hic est locus, in quo vocabulo hic sensus attribuitur (*cfr* tamen 1 *Petr.* 4,2); unde non admodum mirum est, quod aliqui scioli librarii pro ἄνθρωποι scribere maluerint σαρκικοί; at nulla est ratio, cur lectio mutetur, siquidem saepissime vocabulum aliquod contextu ad definitum sensum restringitur. Etiam praecedens *secundum hominem ambulare* alibi hoc sensu non legitur, sed Paulus potius dicit : *secundum car-*

1. *SS. Cypr.* et *Aug.* in nostro loco legerunt : *aemulatio et contentio*, *A*[ter] : *aemulationes et contentiones;* a *Vulg.* nostra in *Rom.* 13,13 ἔριδες καὶ ζῆλοι redditur : *contentio et aemulatio* et eodem modo *Gal.* 5,20 redditur sing. ἔρις καὶ ζῆλος.

nem ambulare; hoc tamen in loco aliam locutionem videtur elegisse, ut vocabulum **carnales**, quod stricto suo sensu intelligi non debet, mitigaret. Alibi enim expressio ***secundum hominem ambulare*** corruptionem hominis per peccatum introductam non connotat, sed hominem iuxta facultates a natura ei inditas agere significat (9,8; 15,32; *Rom.* 3,5; *Gal.* 3,15 etc.); corruptam naturam, si voce ἀνθρώπου utitur, Paulus epitheto quodam insinuat : ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος (*vetus homo Rom.* 6,6; *Eph.* 4,2; *Col.* 3,9) etc.

3. *Absurdum est partium studium Corinthiorum* (3,4-17).

Tertium argumentum absurda esse docet schismata discipulorum, quorum magistri unius Dei sunt ministri, ita ut munerum dumtaxat, quae Deus assignavit, et laborum, de quibus soli Deo competit iudicium, diversitas inveniatur (3,4-9). Quo ex argumento Paulus occasionem arripit monendi operarios evangelicos illos, qui eo tempore in aedificanda ecclesia corinthia operam suam ponebant, ut bene attendant, ne lapides minus bonos et aptos adhibeant, quia Deus eorum aedificium sit probaturus (3,10-17).

1.) Quoniam operarii evangelici non sunt nisi unius Dei ministri ideoque uniti, absurda sunt schismata (3,4-9).

3,4. ***Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus?*** 5. ***Ministri eius, cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit.*** 6. ***Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.*** 7. ***Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat : sed, qui incrementum dat, Deus.*** 8. ***Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*** 9. ***Dei enim sumus adiutores : Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.***

3,4. τί οὖν ἐστιν Ἀπολλώς; τί δέ ἐστιν Παῦλος; 5. διάκονοι, δι' ὧν ἐπιστεύσατε, καὶ ἑκάστῳ ὡς ὁ Κύριος ἔδωκεν. 6. ἐγὼ ἐφύτευσα, Ἀπολλὼς ἐπότισεν, ἀλλὰ ὁ Θεὸς ηὔξανεν, 7. ὥστε οὔτε ὁ φυτεύων ἔστιν τι, οὔτε ὁ ποτίζων, ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεός. 8. ὁ φυτεύων δὲ καὶ ὁ ποτίζων ἕν εἰσιν, ἕκαστος δὲ τὸν ἴδιον μισθὸν λήμψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. 9. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί· Θεοῦ γεώργιον, Θεοῦ οἰκοδομή ἐστε [1].

Haud sine arte Apostolus iterum media in sententia (*cfr ad* 1,17) a

1. *VV. LL.* — 3,4. τί... τί (*quid... quid*) B ℵ A, pauci minusc. et PP., *It.* (*A*ᵗᵉʳ, *Aug.*, *Pel.*) *Vulg.*, *Aeth.*; minus apte *text. rec.* : τίς... τίς (quis... quis) cum C D E F G L P, plerisque minusc. et PP., *Syr.*, *Copt.*, *Arm.* Neque enim interrogatur, quae sint personae, sed quid sint, si eorum munus consideratur. — Parum recte quoque *textus rec.* ordine inverso Paulum primo in loco ponit; genuinum ordinem exhibent B ℵ A C D E F G P, pauci minusc., *It.*, *Vulg.*, *Copt.* — 5. Ante διάκονοι *textus rec.* inserit particulam ἀλλ' ἤ (nisi), ita ut interrogatio continuetur cum L P, plerisque minusc., nonnullis PP. et *Syr.*; sed rectius eam omittunt B ℵ A C D E F G, *It.*, *Vulg.*, *Copt.*, *Arm.*, quorum lectio maiorem habet energiam. — διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε (ministri *per quos* credidistis) communis lectio est codd. et PP. gr. atque versionum ideoque praeferenda lectioni *Vulg.* : *ministri eius, cui credidistis. S. Aug.* utramque lectionem habet, priorem in Ioan. tract. 80,2, alteram c. liter. Petil. III. 54.

commemorato schismate ad tertium suum argumentum transit : in primo ex unitate capitis Ecclesiae impietatem schismaticorum demonstraverat, in altero contra Apollonianos ostenderat, simplicem suam praedicationem, utpote indoli missionis apostolicae et infirmitati auditorum consonam, non posse esse divisionum rationem; in tertio nunc doctorum evangelicorum ad Deum et inter se relationem considerat, ut ex eorum unitate necessitatem unitatis inter discipulos servandae colligat, licet hanc conclusionem pro more suo diserte non exprimat. Itaque interrogat : 4. *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus?* In praecedente sententiae membro eos carnaliter agere asseruerat, qui iuxta Paulum et Apollo sese denominarent; hinc sua sponte exoritur quaestio : quid *igitur* sunt (was sind denn...? qu'est-ce *donc* qu') Apollo et Paulus, si capita factionum esse non possunt? Atque significanter respondet : 5. *Ministri eius, cui credidistis,* vel melius : *ministri, per quos credidistis* (*S. Aug.*); non domini et auctores fidei sunt, quam praedicant, sed ministri, quorum opera Deus uti voluit, ut vobis Evangelium et annuntiaret et in vobis confirmaret, ita ut fides vestra integra solius Dei auctoritate nitatur. Inter se ergo sunt pares ratione ministerii; quodsi vero inter eos differentia quaedam inveniatur, quatenus fidem unus (Paulus) vobis annuntiavit, alter (Apollo) confirmavit, ne haec quidem eis attribuenda est; sed *unicuique sicut Dominus dedit* (per hyperbaton pro : « sicut unicuique Dominus dedit »), Evangelium annuntiavit vel confirmavit iuxta mensuram donorum et gratiarum, quibus a Deo sunt instructi [1]. « Ne ipsum quidem exiguum ministerii a nobis ipsis habemus » (*Chrys.*), atque fusius accuratiusque *Thom.* : « contingit, quod ministri hominum (vel dominorum vel artificum) primo habeant a se aliquam dignitatem vel virtutem, qua idonei fiunt ad ministerium, sed hoc non est in ministris Dei, et ideo ostendit, quod tota dignitas et virtus ministrorum a Deo est, dicens : *et unicuique sicut Dominus dedit,* quasi dicat : In tantum aliquis est et habet de virtute ministrandi, in quantum ei Deus dedit, unde nec sic nobis est gloriandum », nec alii (hoc enim vult Paulus) de nobis gloriari possunt.

Quasnam differentias in mente habuerit, si unumquemque iuxta ea, quae Deus dedit, ministrare dicit, exemplo explicat : 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Christianos agro comparat, in quo primum plantae

1. Moderni interpretes (cfr *Mai.* — *God. Heinr.* etc.) disputant, utrum nomine *Domini* Deus intelligatur, an Christus, utrum igitur *ministri per quos credidistis* intelligantur Dei an Christi ministri. Res per se nullius prorsus est momenti, quum alterutro nomine Paulus pro argumento suo utatur; evangelicos operarios appellat Christi ministros (4,1; 2 *Cor.* 11,23) et ministros Dei (2 *Cor.* 6,4 etc.). At qui ad contextum attenderit, asserere non dubitabit, hoc in loco *Dei* ministros esse intelligendos.

ponuntur, quae alterius deinde curis commissae irrigantur, ut alacrius crescant. Plantatoris munere Corinthi Paulus functus est, qui primus Corinthiis Evangelium annuntians in eorum cordibus semina fidei sparsit; post eius discessum advenit Apollo, qui « multum his, qui crediderant, conferens » (*Act.* 18,27) plantas a Paulo positas sua praedicatione irrigavit. Attamen sicuti in segete naturali illi, qui plantant vel rigant, externas tantum conditiones ponunt, quae, licet necessariae sint, per se non efficiunt, ut plantae crescant, ita etiam in segete spirituali praedicatores externam tantum ponunt conditionem, quae utique iuxta ordinariam providentiam requiritur, at ipsam fidem non producit sed velut aliquid mere externi ad eam se habet. Hinc Apostolus addit : *sed Deus incrementum dedit* (ηὔξανεν crescere fecit). In quae verba *S. Aug.* (in Ioan. tract. 80,2) : « quod autem sequitur : sed Deus incrementum dedit, non per illos, sed per se ipsum facit : excedit hoc humanam humilitatem, excedit angelicam sublimitatem, nec omnino pertinet nisi ad agricolam Trinitatem ».

Causa vera et genuina incrementi plantarum in segete naturali est virtus quaedam semini vel plantae divinitus indita, qua alimenta sibi adaptata eligit, attrahit, in suam substantiam transmutat; atque simili ratione fides tota, quum eius initium tum eius incrementum, producitur ab interna gratia divina [1]. Deus sine plantatore et irrigatore segetem naturalem excitare potest, neque ad segetem spiritualem producendam hominum auxilio indiget; plantatoris vero et irrigatoris labores quum in naturali tum in spirituali segete irriti sunt, nisi Deus semini naturali virtutem internam dederit atque praedicatorum auditoribus internam gratiam largiatur. Unde Apostolus duas conclusiones deducit, quarum prior praedicatorum relationem ad Deum spectat (*v.* 7), altera eorum relationem inter se (*v.* 8). Si cum Deo comparantur, quum fructum non producant, nihil sunt; si inter se comparantur, ratione ministerii unum sunt (cfr *Thom.*).

7. *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ultima verba satis docent, non esse urgenda priora, sed iuxta Pauli in hac parte finem exponenda. Revera praedicatores evangelici fidem non producunt atque hac ratione cum Deo, qui solus gratia sua eam producit, comparati nihil sunt; ratione tamen ministerii, quod praestant, sunt aliquid, sed de hoc nec ipsi nec eorum asseclae gloriari possunt, quia hoc iterum a Deo habent : « impendunt quidem aliquod adiumentum, sed non de suo, quia sine me,

1. Attende, Apostolum in hac pericopa de aliorum hominum ad nostram fidem relatione loqui; qua vero ratione nos ipsi cum gratia accepta cooperemur, omnino alia est quaestio, quae hic non tangitur.

inquit Dominus, nihil potestis facere » (*S. Aug.* l. c.); quapropter etiam secundum Apollo aut Paulum Corinthii sese denominare nequeunt : « Hoc ipsum non ex nobis est, sed Dei donum est, ut per manus meas signa fierent, quae vos excitarunt ad fidem, et Apollo sua vos doctrina firmaret, quia sicut planta sine aqua, fides sine doctrina marcescit. Si ergo plantatio et fons sunt Dei, quid nobis adscribitis, quasi aliquid nostra virtute fecerimus; nisi enim Deus incrementum dederit, sine causa laboramus. Nos mercenarii sumus in alieno agro, alienis utimur ferramentis » (*Pel.*).

Priori conclusioni Apostolus alteram addit de ministrorum inter se relatione : 8. *Qui autem plantat et qui rigat unum sunt* ratione ministerii; unius enim eiusdemque Dei sunt ministri, in uno eodemque agro laborant, ad unum eundemque finem tendunt, ut plantae in agro Dei positae crescant et fructus afferant, licet ipsi hoc incrementum dare nequeant. Ab hominibus igitur inter eos differentia statui non potest, quamvis eorum munera sint diversa, ideoque absurda sunt schismata[1]. At hinc non sequitur, eos etiam a Deo non discerni : unum quidem sunt ratione ministerii, *unusquisque autem propriam mercedem* (τὸν ἴδιον μισθὸν) *accipiet secundum suum* (proprium) *laborem* (κατὰ τὸν ἴδιον κόπον). Quam mercedem ab eo recipiunt, cuius sunt ministri, i. e. a Deo, qui non secundum varia munera, quibus functi sunt, nec secundum fructum, quem protulerunt, sed secundum laborem, quem impenderunt, suam cuique propriam mercedem attribuet. Munera enim singulis a Deo assignantur (sicut unicuique Deus dedit), ideoque ad mercedem ius non dant; fructus ab operariis non dependet (Deus incrementum dat), nec proin ratio et mensura mercedis esse potest; labor vero impensus eis est proprius, licet, uti aliunde constat, etiam hunc non nisi Deo adiuvante praestiterint. Labor igitur impensus est vera ratio ac mensura mercedis; iudicium tamen de magnitudine laboris ad eum pertinet, qui mercedem solvere debet.

Quis porro eam soluturus sit, docet sequens sententia, quae simul de vera mercede et de vero merito agi innuit : 9. *Dei enim sumus adiutores; Dei agricultura* (γεώργιον ager) *estis; Dei aedificatio estis.* Magna cum emphasi in trium membrorum principio repetitur ge-

1. Bene in haec verba *M Er.* : « The conclusion to which the words of the Apostle tend is this : that the line of conduct pursued by the Corinthians in this affair is just as preposterous as would be that of the herbs of the garden, should we suppose them to divide into two parties, one declaring for the man who planted and the other for the man who watered them; because the ministers of the gospel are either nothing compared with God; or, but the same thing viewed in relation to each other-viz, his ministers and instruments; hence the folly of the Corinthian schism ».

nit. *Dei;* ab eo enim solo dependet haec merces. Iam vero evangelici operarii non vocantur hic servi (δοῦλοι), quia servus, utpote secundum antiquorum leges res et non persona, ius ad mercedem non habet, sed Dei ipsius cooperatores (συνεργοί), i. e. operarii liberi, qui pro ratione laboris mercedem merentur. Operarii quoque in *Dei* agro dicuntur; agricola enim, qui suum agrum colit, etsi eius fructus percipiat, mercedem proprie dictam non recipit; nec ille mercedem recipit, qui sibi ipsi domum aedificat. Qui vero in alieno agro colendo et in alieno aedificio exstruendo operam suam ponit, a domino agri vel aedificii mercedem recipit eamque iuxta proportionem laboris impensi.

Clarissimum argumentum ad verum meritum demonstrandum ex hoc loco colligitur. Quod ut negent, antiqui et moderni acatholici frustra monent, iuxta Apostoli doctrinam mercedem ab operariis evangelicis non *propter* laborem, sed *secundum* laborem recipi (*Calov. Mey. Heinr.* etc.); etenim si operarii *propriam* mercedem (τὸν ἴδιον μισθόν) eamque pro diverso labore diversam laborique proportionatam (κατὰ τὸν ἴδιον κόπον) accipiunt, evidens est, laborem etiam esse causam mercedis. Alii acatholici nomen συνεργοί ita explicare nolunt, ut operarii evangelici *cum Deo* laborare dicantur, sed explicant *cooperarii inter se* (« sumus operarii Dei et cooperarii invicem » *Beng. Olsh. Heinr.* etc.); parum recte, quia in omnibus locis, in quibus συνεργός cum genit. coniungitur, genitivus indicat illum, quocum aliquis operatur (*Rom.* 16,3. 9. 21 etc.); nonne etiam si Paulus plantasse, Apollo rigasse, Deus incrementum dedisse dicuntur, omnes tres velut cooperarii describuntur? In eodem agro laborant Dominus et eius ministri, sed, uti per se patet, pro sua quisque dignitate (ceterum *cfr* 1 *Thess.* 3,2, ubi lectio τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν καὶ συνεργὸν τοῦ Θεοῦ non est improbabilis, et 2 *Cor.* 6,1 συνεργοῦντες).

Estius de latina lectione *adiutores Dei* multum disputat, quae ei displicet, quia nemo Deum adiuvare possit; at optime iam monuerat *Thom.* : « Dupliciter aliquis alium adiuvat, uno modo augendo eius virtutem et sic nullus potest esse Dei adiutor, alio modo obsequendo operationi alterius, sicut si servus domini dicitur adiutor, in quantum exsequitur opus eius aut ministerium artificis et hoc modo ministri Dei sunt eius adiutores. »

Ad nexum ultimi versus cum praecedentibus quod attinet, *Cai.* verbis *Dei enim sumus adiutores* etc. integrum versum praecedentem (*unum sunt* et *mercedem accipient*) demonstrari censet, *Est.* autem verba : *unusquisque propriam mercedem accipiet* etc., parenthesin esse putat, ut versu 9. nihil demonstretur, nisi ministros inter se unum esse. Cum *Cai.* consentiunt pauci moderni (acath. *Hofm. Holst.*). Attamen illud *unum sunt* velut conclusio ex prioribus colligitur, atque mera esset tautologia, si eadem ratio, quae in prioribus iam expressa est, velut nova confirmatio afferretur. Porro emphasis, qua ter Dei nomen in *v.* 9. repetitur, satis docet, diversitatem ministrorum, quam Apostolus in secundio membro v. 8. asseruit,

coram Deo tantum locum habere, quum Deus solus tamquam dominus agri et aedificii de cooperariorum suorum laboribus iudicare possit.

2.) Quoniam Deus de eorum laboribus iudicabit, bene attendant operarii evangelici, quomodo laborent (3,10-17).

3,10. *Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superaedificat. Unusquisque autem videat, quomodo superaedificet.* 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Chritus Iesus.* 12. *Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, foenum, stipulam,* 13. *uniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* 14. *Si cuius opus manserit quod superaedificavit, mercedem accipiet.* 15. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* 16. *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* 17. *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.*

3,10. κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ τὴν δοθεῖσάν μοι ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον ἔθηκα, ἄλλος δὲ ἐποικοδομεῖ. ἕκαστος δὲ βλεπέτω πῶς ἐποικοδομεῖ, 11. θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός. 12. εἰ δέ τις ἐποικοδομεῖ ἐπὶ τὸν θεμέλιον χρυσίον καὶ ἀργύριον, λίθους τιμίους, ξύλα, χόρτον, καλάμην, 13. ἑκάστου τὸ ἔργον φανερὸν γενήσεται· ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει, ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται, καὶ ἑκάστου τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστιν, τὸ πῦρ αὐτὸ δοκιμάσει. 14. εἴ τινος τὸ ἔργον μενεῖ ὃ ἐπῳκοδόμησεν, μισθὸν λήμψεται· 15. εἴ τινος τὸ ἔργον κατακαήσεται, ζημιωθήσεται, αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρός. 16. οὐκ οἴδατε, ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐστὲ καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ ἐν ὑμῖν οἰκεῖ; 17. εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός· ὁ γὰρ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἅγιός ἐστιν, οἵτινές ἐστε ὑμεῖς [1].

Omnes operarii evangelici, quum Dei sint ministri, ratione ministerii unum sunt, secundum labores autem suos a Deo discernuntur et variam mercedem accipiunt. Qua ex doctrina sua quasi sponte fluit

1. *VV. LL.* — 10. Utrum ἔθηκα (*posui*) cum B ℵ A C paucisque minusc., an τέθεικα (*posui*) cum reliquis et PP. gr. fere omnibus legatur, parum interest; aptior videtur aor., quia id, quod ipse fecit, Paulus cum aliorum, qui etiam tunc laborabant, laboribus comparat. — 12. ἐπὶ τὸν θεμέλιον (super fundamentum) sine addito B ℵ A C, *Vulg.* (*Fuld.*), *Sah.*, *Aeth.*; sed ἐπὶ τὸν θεμέλιον τοῦτον (*super fundamentum hoc*) D E L P, minusc. omnes, PP. plerique, *It. Vulg.* (*Clem.* cum plerisque codd.), *Syr.*, *Memph.*, *Arm.*; pronomen ob versionum auctoritatem et propter sensum retineatur oportet. — 13. ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει (*dies enim declarabit*) est communis lectio omnium codd. et PP. gr. atque verss., quacum etiam *Amiat.* aliique codd. latini, uti etiam *Ater*, *Prim.* etc. consentiunt; praeferenda igitur est consuetae lectioni Vulg.: *dies enim Domini declarabit.* — τὸ πῦρ αὐτὸ δοκιμάσει (ignis *ipse* probabit) B A C P cum paucis minusc. et PP.; sed αὐτό (ipse) recte om. ℵ D E L cum plerisque minusc. verss. omnibus et nonnullis PP. — 14. Pro μενεῖ (*manserit*) minus recte *textus rec.* legit μένει (manet). — 17 φθερεῖ (*disperdet*) B ℵ A C cum plerisque minusc. et verss. rectius legitur, quam φθείρει (*disperdit*) cum D E F G P et *Amiat.*

monitum, quod Apostolus nunc adiungit, ut ministri bene attendant, quomodo laborent. Laborum vero varietatem describit ab imagine agri, qua hucusque usus erat, ad imaginem aedificii transiens, in quo exstruendo operarii evangelici sunt occupati; quem transitum in fine argumentationis suae praecedentis apte praeparaverat additis verbis : *Dei aedificatio* (vel potius « aedificium » οἰκοδομή) *estis.*

In eodem aedificio, cuius fundamentum Paulus posuerat (10. 11), exstruendo tres operariorum classes laborant : alii bonis adhibitis lapidibus partem suam magnificam et firmam exstruunt, ut igni resistat, ideoque mercede singulari sunt digni; aliorum pars, quia vilis adhibita est materia, igne destruitur; quare secundae classis operarii puniuntur quidem, sed aeterna salute non privantur, quia fundamentum saltem non laeserunt et laboraverunt (12-15); at tertia classis non tam exstruit quam destruit aedificium ac proin gravissima poena sunt digni et a Deo perduntur (16. 17).

Sicut in agro Dei corinthio Paulus plantaverat et Apollo rigaverat, ita in aedificio Dei Paulus fundamentum posuerat et alii nunc in illo exstruendo occupati sunt : 10. *Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superaedificat.* Tota aedificii alicuius structura a fundamento dependet, ideoque *sapiens* sit oportet *architectus,* qui fundamentum ponit. Iam vero speciali gratia divina Paulus vocatus erat, ut inter gentes Evangelium propagaret; quapropter etiam *secundum gratiam Dei, quae illi data est,* sapientiam illam accepit, quae requirebatur, ut ubique bonum fundamentum poneret. Merito igitur monuit iam *Chrys.,* quem alii sequuntur, Apostolum sapientem se non dixisse, ut se extolleret; siquidem sapientiam suam divinae gratiae attribuit, quin etiam totum laborem, quo fundamentum posuit, Deo acceptum refert nihilque sibi reservat, quia integra phrasis verbis illis praemissis (*secundum gratiam Dei, quae data est mihi*) regitur. *Alius autem superaedificat*, sc. omnes illi, qui post eum Corinthum advenientes etiam tunc (praesente enim tempore utitur) in praedicando Evangelio occupati aedificium a Paulo inchoatum continuabant; neminem tamen nominat (sicut supra v. 6. : Apollo rigavit), quia admonitionem, quae vituperio non plane caret, omnibus dare vult. *Unusquisque autem videat, quomodo superaedificet,* nam de hoc labore dependet uniuscuiusque merces. Verba : *quomodo superaedificet* per se quidem late patent; Apostolus vero illa non de maiore minoreve diligentia, sollicitudine, attentione etc., sed de sola materia, quae ad aedificium exstruendum adhibetur, hoc loco intelligi vult, uti ex sequentibus patebit. Sed antea explicat, cur de solis superaedificiis bene construendis loquatur : 11. *Fundamen-*

tum enim aliud nemo ponere potest praeter id quod positum est; de alio igitur fundamento ponendo ac proin de integro aedificio inchoato mutando ne cogitare quidem licet; unum solum enim est fundamentum, *quod est Christus Iesus.* Iesus Christus ab Apostolo annuntiatus et a Corinthiis fide receptus fundamentum est; aut etiam doctrinam, Iesum esse Christum, velut fundamentum Paulus posuit, atque hoc fundamentum procul dubio nullus evangelicus operarius mutare potest, quin eó ipso ex vere aedificantium numero excludatur.

Id unum igitur successoribus eius in ecclesia corinthia curae sit oportet, ut in superaedificiis construendis bonam adhibeant materiam, quia omnia fiunt manifesta. 12. *Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, foenum, stipulam,* 13. *uniuscuiusque opus manifestum erit.* In eodem aedificio exstruendo omnes operarii sunt occupati, nam omnes super idem fundamentum (*super fundamentum hoc*) aedificare dicuntur; pro suo tamen quisque arbitrio materiam eligit, qua suam partem exstruat. Itaque alii bonam adhibent, quae durare ignique ipsi resistere potest : aurum, argentum, lapides pretiosos (marmor, alabastriten, porphyriten etc.) in templis aedibusque regiis saepe esse adhibita atque parietes quoque sapphiris gemmisve aliis interdum esse exornatos, scriptores sacri et profani tradunt. Alii vero vilem materiam, quae igne facile consumitur, superstruunt : lignum, foenum, stipulam, quibus pauperes ad sua tuguria exstruenda uti solent. Quibus duobus materiae generibus duae doctrinarum classes distinguuntur; rectissime autem antiqui interpretes iam monuerunt (cfr *Thom. Lyr. Cai.*) et moderni consentiunt, ligno foenoque et stipula inutiles vanasque doctrinas designari, non vero prorsus falsas, nedum haereticas, quae supra fundamentum a Paulo positum aedificari non possint, quum illud destruant. Quasnam quidem doctrinas in hac classe Apostolus prae oculis habuerit, difficile est dictu; a vero tamen vix aberrare mihi videor, si doctrinas de Iudaeorum praerogativis intelligendas censeam, quibus iudaizantes in ecclesiis paulinis sibi viam ad errores suos docendos praeparare solebant. Uti enim in primo suo argumento Paulus illos Corinthios increpat, qui suo ipsius nomine abutebantur, et in secundo Apollonianos refutavit, qui sapientia quadam mundana delectabantur, ita hic tertiam factionem, quae gloriabatur Cephae nomine, respicere videtur. Etenim de doctoribus eo tempore Corinthi agentibus loquitur, inter quos Apollo non fuit (16,12); porro in altera epistola aliqui pseudapostoli vehementer impugnantur, qui iudaicis praerogativis celebratis (*cfr* 2 *Cor.* 11,21 sqq.) apostolicam Pauli ipsius dignitatem convellere conati erant; haud temere

igitur concludimus, eosdem iam eo tempore, quo prior epistola scripta est (sex circiter mensibus ante alteram), nomen Cephae praetendentes haec ipsa privilegia iudaica decantare coepisse, sed nondum Paulum aperte impugnasse. Iam vero iudaicas praerogativas Paulus non negavit, sed aperte agnovit (cfr *Rom.* 9,3 sqq.); verum de illis inter Ethnicochristianos multum loqui, saltem erat inutile, atque interdum nocivum, quia ad perturbandos Christianos facile aliquis eis abuti potuit. Sed quidquid hac de sententia est, certum est, Paulum timere, ne aliquae doctrinae Corinthi spargantur, quae etsi per se non sint falsae, ad internum tamen ecclesiae profectum non conducant. Aliqui antiquiores, quid singulis materiis (auro, argento etc.) singulatim insinuetur, curiosius quam prudentius inquirunt; gradationem quandam indicari, quum a pretiosissima (auro) ad vilissimam (stipulam) descendatur, in aperto est; at quaenam doctrinarum capita singulis membris designentur, nullo argumento probabili definitur. Sed pro doctrinarum vel utilium vel inutilium varietate varium futurum internum ecclesiae statum atque varias quoque fore bonorum doctorum mercedes variasque aliorum poenas, procul dubio Apostolus docere vult, quum uniuscuiusque opus manifestum fore addat.

Aedificii similitudo variis modis in Scriptura adhibetur; qua ratione hic sumatur, in controversia est.

1.) Dominus N. sermonem montanum similitudine duorum aedificantium terminat, quorum unus iuxta dominica verba vivens domum firmam, utpote petrae innixam, exstruit, alter, quia verba Domini non sequitur, labile aedificium supra arenam excitat, quod pluviae et ventis non resistit (*Matth.* 7,24 sqq.). Quibus aedificiis singulorum hominum perfectionem aut imperfectionem atque lapidibus adhibitis bonas aut malas actiones significari, manifestum est. Iam simili modo imaginem ab Apostolo adhiberi, sententia est *Chrys.* iuniorumque Graecorum, quam etiam *Orig.* (in Exod. hom. 6,3) et *S. Hier.* (c. Iovin. 2,3) obiter indicant atque *S. Aug.* (De fide et oper. 15. 16. *cfr* ad Dulcit. qu. 1. etc.) et *S. Gregor. M.* (Dial. 4,39) licet non eodem, quo Graeci, modo tenent. De omnibus fidelibus sermonem esse censet *Chrys.*, qui omnes supra fundamentum fidei in Christum aedificium spiritualis perfectionis exstruere debeant; ab aliis autem materiam pretiosam (actiones bonas), ab aliis vilem (peccata gravia) ad exstruendum aedificium adhiberi. Quae explicatio vix cuiquam placebit, etiamsi ad solam fundamenti rationem attendat. Etenim fundamentum *unum*, quod Paulus posuit nec quisquam mutare potest, aut fides informis intelligitur aut fides, quae per caritatem operatur: iam vero fidei informi velut fundamento bonae actiones, quae mercede sunt dignae, superstrui nequeunt, nec ipsas malas actiones, licet cum eis fidei habitus stare possit, fidei informi velut fundamento inniti quisquam dixerit; fides formata autem nullo modo potest esse fundamentum malarum actionum.

Quam difficultatem evitavit *S. Aug.*, qui velut fundamentum fidem formatam sumit, sed bonam materiam a nonnullis aedificantibus adhibitam intellexit opera supererogatoria observationemque consiliorum dominicorum, vilem vero materiam voluit esse carnalem affectum, quo aliquis ita circa divitias, uxorem aliasve res teneatur, ut ea cogitet quae sunt mundi, licet in aliquod flagitium facinusve non labatur; *S. Gregor. M.* porro vilem materiam de peccatis venialibus explicavit. At peccata venialia et carnalis affectus ille, licet cum fide formata in animo adesse possint, supra hanc fidem velut supra fundamentum suum non superaedificantur. Quare mirum non est, quod S. Augustino ipsi haec explicatio, quamvis eam saepius repetat, non satisfecerit atque meliorem huius « sententiae plane ad intelligendum difficilis » interpretationem audire maluerit. Ceterum attende, omnibus fatentibus Apostolum usque ad *v.* 11. de doctoribus corinthiis agere atque de iisdem iterum inde a *v.* 18 loqui; ergo etiam intermedios versus de iisdem, non vero de omnibus Christianis, intelligamus oportet.

2.) Alio modo aedificii similitudinem Dominus adhibet, ubi se Ecclesiam suam supra Petrum velut fundamentum aedificaturum esse promittit (*Matth.* 16,18); haud longe ab hoc imaginis usu abludunt S. Petrus, si fideles tamquam lapides vivos super lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum a Deo autem electum superaedificari dicit (1 *Petr.* 2,4 sq.), et S. Paulus, si Iudaeos et ethnicos super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu superaedificatos esse docet (*Eph.* 2,20). Quam imaginis rationem etiam hoc in loco adhibitam esse, tenet *Pel.*, qui tamen paucos dumtaxat habuit sequaces inter acath. (*Beng. Pott Hoffman* etc.) « Magistros, inquit *Pel.*, et doctores significat super fundamentum, quod est Christus, homines recte instituere vel prave, in quibus magistrorum doctrina in die iudicii revelabitur, ubi consumtis peccatoribus probati manebunt. Doctores autem super his, qui probati fuerunt, mercedem retributionis accipient; in illis vero, quos ignis exurit, damno afficientur, quia vacuo laboraverunt; iidem autem magistri in iudicium venientes salvi fient, si tamen causa non fuerint perditorum... Unde manifestum est, homines esse aurum, argentum..., quia acceptis institutionibus magistrorum vel praecepta observant vel negligunt ». Quae explicatio primae praestat, quia de magistris proxime agi recte tenet; erronea tamen est ex ea parte, quod aedificium fidelibus velut lapidibus construi censet, quorum aliqui pereant, dum magistri ipsi, quorum prava praecepta secuti sunt, salvi fiant. Recte contra hanc explicationem *Chrys.* : « Quo modo opus quidem perit, aedificans autem salvus erit? Auctorem enim magis perire oportuit, nunc autem maiores poenas inveniet is, qui superaedificatus est! Nam si doctor auctor mali fuit, maiores poenas luere debet; si auctor non est, sed discipuli per suam perversitatem mali facti sunt, doctor qui recte aedificavit nec poenam nec damnum subire potest » etc.

3.) Tertiam imaginis rationem Paulus innuit, quando se dumtaxat ibi Evangelium praedicasse dicit, ubi nondum nominatus erat Christus, « ne super alienum (i. e. ab alio positum) fundamentum aedificaret » (*Rom.* 15,20).

Totam igitur evangelicam doctrinam velut aedificium considerat, cuius fundamentum est doctrina de Iesu messianitate et divinitate, cuiusque parietes aliis doctrinis constant, quae primariae illi veritati ab aliis magistris adduntur cum eaque intime connexae sunt, quia ei velut fundamento suo inniti dicuntur. Hanc imaginis rationem nostro in loco animo Pauli obversatam esse innuit *S. Basil. M.* (in Is. 3. n. 132), diserte tradit *A^ter*; ab eo iuniores Latini eandem sententiam ita acceperunt, ut nonnulli ei Augustini opinionem adderent (*Prim. Thom. Dion. Lap. Nat.*) saltem velut aptam quandam accommodationem (*Herv. Pic. Dr.*), plerique eam solam tenerent (*Lyr. Cai. Est. Iust. Calm. Mai. M Ev. Bisp. L R.* etc.; — plurimi acath.). Eandem sententiam nos quoque amplexi sumus, sed eam explicatione quadam indigere arbitramur. Praeprimis enim tenendum est, Apostolum non abstractum aliquod doctrinarum systema prae oculis habere, sed doctrinas spectare, prout in profectu eorum, qui magistrorum suorum praecepta sequuntur, sese manifestant; quare dici potest, aedificium, de quo agitur, esse ipsam ecclesiam corinthiam, quatenus magistrorum suorum, Pauli successorumque eius, praedicatione fundata et efformata est: *Dei aedificatio estis* (*v.* 9). Cavendum tamen est, ne cum *Pel.* singulos fideles a praedicatoribus efformatos velut lapides aedificii ab Apostolo descripti considerentur; sed fidelium actiones potius velut lapides sumit Apostolus, quatenus nimirum hae actiones a magistrorum praedicatione dependent atque non tam fidelibus quam eorum magistris attribui debent: *fundamentum posui, alius superaedificat* (*v.* 10). Itaque internum ecclesiae statum doctrinis magistrorum productum et ab eis dependentem censemus esse aedificium, de quo hic agitur.

Ex illo igitur ecclesiae statu singulorum operariorum opus cognoscetur, ut singuli suam propriam mercedem secundum suum laborem accipiant: *Dies enim* (*Domini*) *declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Genitivum *Domini* ob codd. et PP. graecorum plurimarumque versionum auctoritatem melius omitti diximus (cfr *VV. LL.*), at eius additione sensum non mutari sed explicari, ostendunt alii loci, in quibus ἡ ἡμέρα pro ἡ ἡμέρα τοῦ Κυρίου ponitur[1].

Mirum est, quot variae sententiae de hoc die, quamvis tam clare describatur, in medium sint allatae. Illis, quae a paucis tantum (maxime acath.) interpretibus propositae hodie ab omnibus velut

1. *Hebr.* 10,35; *Rom.* 13,12; ἡ ἡμέρα enim est pro ἐκείνη ἡ ἡμέρα (« dies ille » 2 *Thess.* 1,10; 2 *Tim.* 1,12. 18; 4,8), qui frequentius « dies Domini » vel « dies Christi » (1 *Cor.* 1,8; 5,5; 2 *Cor.* 1,14; *Phil.* 1.6. 10; 2,16; 1 *Thess.* 5,2 etc.), interdum « dies iudicii » (2 *Petr.* 2,9; 3,7; 1 *Ioan.* 4,17 cfr *Rom.* 2,16 ἐν ἡμέρᾳ ὅτε κρινεῖ ὁ Θεός), aut pro iudicandorum duplici sorte « dies redemtionis » (*Eph.* 4,30) vel « dies irae et revelationis iusti iudicii Dei » (*Rom.* 2,5) nominatur.

ineptae reprobantur, omissis[1] tres remanent, quae auctorum patronorumque suorum auctoritate commendantur et a *Thom.* velut aeque probabiles exponuntur. Diem tribulationis intelligit *S. Aug.* (ll. cc. et Enchirid. 68) eumque sequuntur aliqui (*S. Greg. M.* l. c., *Prim. Rhab. Gl. ord*[2]. *Thom.*[3] *Nat.* etc.); diem vero mortis et particularis iudicii intelligunt *Gl. ord.*[3] *Thom.*[2] *Lyr. Cai.*, quibuscum theologi latini in *Conc. Florent.* sensisse videntur; demum cum *Chrys.* aliisque Graecis antiquiores Latini multi (*A*[ter] *Gl. ord.*[1] *Herv. Thom.*[1] *Dion. Est. Iust. Lap. Pic.* etc.) et moderni fere omnes (*M Ev. Mai. Bisp. L R. Dr.* etc.) diem secundi adventus Domini universalisque iudicii intelligendum esse censent, idque rectissime. Illi enim soli diei descriptio Apostoli respondet; solus enim in Scriptura *hic dies* (ἡ ἡμέρα, ἐκείνη ἡ ἡμέρα) aut *dies Domini* κατ' ἐξοχήν nominatur; solus in igne revelabitur (2 *Thess.* 1,8; 2 *Petr.* 3,7), atque solus omnia opera manifesta reddet[2]. Neque enim de manifestatione qualicumque sermo est, sed de tali, qua magistrorum doctrinae et fructus innotescent; id quod locum non habebit, « quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium » (4,5). Licet enim magister ipse in die particularis iudicii statum suum clare cognoscat, et forte tribulationum quoque die eo adducatur, ut de suo statu rectius iudicet, omnibus aliis tamen manebit absconditus. Porro « in igne » non revelatur dies particularis iudicii aut tribulationis, nisi per ignem metaphorice severum Dei iudicium (*Cai.* etc.) aut ipsam tribulationem (*Aug. Greg.* etc.) intellexeris; at sensum proprium relinquere et tropicum admittere non licet, nisi valida cogat ratio, quae hic plane deest[3], quum proprius sensus sit aptissimus.

1. Diem futurum in genere intellexerunt alii (*Grot. Rosenm.* etc.), siquidem tempore procedente omnia manifesta fient (« dies docebit »); alii diem destructionis Ierosolymorum intellexerunt (*Hamm. Lightf. Schoettg.*), quippe quo doctrinarum iudaicarum inanitas sit manifestata etc. — Moderni acath. plerique diem ultimi iudicii recte intelligunt.

2. Quin verbi « revelabitur » (vel « revelatur » ἀποκαλύπτεται) subiectum sit « dies Domini », non est dubium. Quod si *Oec.*, *A*[tor] aliique pro subiecto sumunt « opus », habent meram tautologiam (« opus igne revelabitur... ignis opus probabit »); multo minus ex *v.* 11. « Christus Iesus » velut subiectum transumi potest (*Beng. Os.* etc.); neque rectius *God.* verbum impersonaliter adhibitum esse dicit (revelatur i. e. revelatio fit), nam necessario quaeritur, cuius rei revelatio fiat. — Dies autem revelatur « in igne » i. e. *per* ignem, quando Christus in flamma ignis apparebit (2 *Thess.* 1,8); minus recte alii explicant : apparet *tamquam* ignis (ἐν = בְּ essentiae; cfr *Exod.* 6,3 « apparui *in* Deo omnipotente » i. e. tamquam Omnipotens), quia nulla est ratio, cur tam rarus usus h. l. admittatur. — Utrum phrasis « *et uniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit* », phrasin principalem continuare dicatur (« dies Domini declarabit... et... ignis probabit »), an a coniunctione « quia » dependere statuatur (« quia in igne revelabitur... et ignis probabit »), nihil interest, quum sensus non mutetur; iuxta graecum textum tamen prior constructio grammatice praeferenda videtur.

3. Profecto valida non est *Cai.* ratio, qui solo « verbo praesentis temporis » (ὅτι ἐν πυρὶ

Ignis vero, de quo loquitur Paulus, non est ignis gehennae (*Chrys.* etc.), quippe in quo dies Domini non reveletur et quo nec iustorum nec improborum opera *probentur;* neque magis est ignis purgatorii, qui etiam nec diem Domini manifestat nec opera hominum *probat;* sed, uti clara Apostoli descriptio docet, est ignis ille, quem conflagrationis appellant theologi; hoc igne manifestabitur dies Domini atque idem hic ignis (τὸ πῦρ [αὐτὸ] δοκιμάσει), qui totum mundum renovabit (2 *Petr.* 3,10 sqq.), velut instrumentum divinae iustitiae omnia, quae tunc in terra invenientur, ita probabit, ut alia illaesa relinquat (aurum, argentum, lapides pretiosos), alia comburat (lignum, foenum, stipulam), alia involvat et in aeternum cruciet; hanc tertiam classem Apostolus, quia de operariis fundamentum conservantibus loquitur, hoc in loco non addit, sed alibi de ea agit (2 *Thess.* 1,8) et *vv.* 16. 17. eam innuit.

Igne conflagrationis omnes probatum iri apostolica aetate iam innuit auctor *Doctr. duodecim Apost.*, qui ad nostrum locum, ut videtur, respiciens ultimis temporibus ait « creaturam hominis in ignem probationis esse venturam » (*Doctr.* 16. τότε ἥξει ἡ κτίσις τοῦ ἀνθρώπου εἰς τὴν πύρωσιν τῆς δοκιμασίας). Inter graecos Patres textum ita interpretantur *Orig.* (in Ps. 36 hom. 3,1 : « Veniemus ad illum ignem, in quo uniuscuiusque opus quale sit probatur. Et ut ego arbitror, omnes nos venire necesse est ad illum ignem. Etiamsi quis Petrus sit aut Paulus, veniet tamen ad illum ignem. Sed illi tales audiunt : si per ignem transeas, flamma non aduret te [*Is.* 43,2]; si quis vero mei similis peccator sit, veniet quidem ad illum ignem, sed non transiet sicut Petrus et Paulus » etc.), *S. Basil. M.* (De Spir. S. 15.), *S. Cyrill. Ieros.* (Cat. 15,21) etc. Inter Latinos *Lactant.* (Div. Instit. VII. 21), *S. Ambros.*, qui Origenem presse sequitur (Enarr. in Ps. 36 n. 26; in Ps. 118. hom. 20,12 sq. etc. : « Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad

ἀποκαλύπτεται *revelatur*) diem mortis insinuari censet, ac si dies mortis iis, quibus aut de quibus Paulus scribit, non fuisset futurus; praeterea contra Cai. recte iam monuit *Bellarm.*, frequentissime tempus praesens consuetudinem, certam persuasionem etc. significare, etiamsi de futura re agatur (cfr *Matth.* 26,2 οἴδατε ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάσχα γίνεται καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται etc.). — Nec melior est moderni acath. ratio, aedificium, quod probari dicatur, esse metaphorice intelligendum, ergo etiam de igne metaphorico agi. (*God.*). Quo argumento etiam probare poteris, doctores illos, qui illud aedificium metaphoricum exstruunt, ipsos esse metaphorice intelligendos; neque maiore enim cum iure id, quod destruit, quam id quod exstruit aedificium metaphoricum, metaphorice intelligatur necesse est. — *Bellarm.*, ut igne probatorio metaphorice intelligi iudicium divinum ostendat, maxime urget, opera, quae probari dicantur, esse iam praeterita ac proin vero igne probari non posse. At Apostolum non loqui de operibus praeteritis, statim videbimus. Praeterea Bellarm., ut suam sententiam teneat, ignem triplici sensu diverso accipere cogitur : *igne* enim *conflagrationis* diem Domini revelari dicit, *divini iudicii igne* opera omnia probari, *igne purgatorii* aliquos purgari. Contra quae severe quidem, sed non iniuste *Est.* : « Aliis absurdum haud immerito videtur, Apostolum in uno contextu paucorum verborum tam varie loqui de igne. Nec facile quisquam sibi persuaserit, tertio loco purgatorium ignem significari, si primo et secundo loco diversus ignis significatus fuerit ».

paradisum redire desiderant » etc.), *S. Paulin. Nol.* (ad Sev. ep. 38,1. 2. : « Ignis ille sapiens transeuntes nos per examen suum non severo ardore ambiet puniendos, sed ut commendatos suscipiens blando lambet attactu »; *cfr* eiusd. Poem. 7,32 sqq. : « Opus per omne curret ignis arbiter; Quod non cremarit flamma, sed probaverit, Illud perenni praemio pensabitur » etc.), *Alcuin.* (de Trin. III. 21.) etc. Iuxta *S. Thom.* (Summ. theol. Suppl. qu. 86 a. 8) ignis conflagrationis « in quantum aget ut instrumentum divinae iustitiae, diversimode aget in diversos. Mali enim per actionem ignis cruciabuntur; boni vero, in quibus nihil purgandum invenietur, omnino nullum dolorem ex igne sentient, sicut nec pueri senserunt in camino ignis...; boni vero, in quibus aliquid purgandum invenietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne plus vel minus pro meritorum diversitate ». Inter interpretes ignem conflagrationis intelligendum censent *Pel. Herv. Thom*[1]. *Dion. Est. Lap.* (sed varias sententias permiscens), *Men. Tir.*[2] *Gord. Calm. Pic. M Ev. L R. Simar* (Theol. des h. Paulus p. 276) etc. atque acath. haud pauci.

S. Paulus haud raro de secundo Christi adventu et de die iudicii ultimi ita loquitur, ac si ipse eiusque aequales usque ad illum diem sint permansuri, minime quidem, uti plerique acath. erronee censent, id velut rem certam aut verisimilem asserens vel insinuans, sed velut rem, de qua revelatione speciali non erat edoctus, per se possibilem supponens (15,52; 1 *Thess.* 4,15; 2 *Cor.* 5,3 etc. *cfr infra ad* 6,14). Eadem in hypothesi hoc loco, quas sequelas probatio illa per ignem sit habitura, docet. Doctorum illorum, qui solidam pretiosamque materiam adhibuerunt, i. e. fundamento, quod est Iesus Christus, doctrinas utiles omnique ex parte sanas addentes internum statum ecclesiae corinthiae promoverunt, superaedificia ab igne non laeduntur atque artifices ipsi suam recipiunt mercedem. 14. *Si cuius opus manserit, quod* super genuinum fundamentum *superaedificavit, mercedem accipiet.* Opus, quod igne probatur, non sunt doctrinae ipsae in se, sed fructus, quos doctrinae in ecclesia corinthia produxerant et quos revera in ecclesia Dominus, si eo tempore advenisset, inventurus fuisset. Merces autem, quae doctoribus illis dabitur, non est tantum communis illa, quam omnes Christiani, quos Dominus adveniens paratos inveniet, accipient, sed etiam specialis quaedam, quae aedificio constructo pretiosaeque materiae adhibitae respondet. Singulare illud praemium his verbis innui recte dicitur, quod praeter essentiale doctoribus datur et « aureolae » nomine a theologis insignitur[1].

Neque enim de essentiali mercede hic agi, clare elucet ex altero membro; nam doctores, quorum superaedificia, utpote ligno foeno-

1. De « doctorum aureola » cfr *S. Thom.* Summ. theol. Suppl. qu. 96. a. 7.

que et stipula constructa, igni non resistent, specialem mercedem, quae superaedificiis bene constructis debetur, non obtinebunt, sed contenti sint oportet communi mercede, quae omnibus operariis diligentibus solvitur, licet ad hanc ipsam non nisi per duram et asperam viam sint perventuri : 15. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur.* Quod detrimentum passurus sit, ex priore membro elucet; amittet mercedem superaedificio debitam, atque recte graecam phrasin supplemus τὸν μισθὸν ζημιωθήσεται *mercedis iacturam faciet.* Inutilibus vanisque suis praedicationibus ad profectum verum ecclesiae non contulit, sed externam tantum fructuum speciem produxit; sermonum suorum pulchritudine et opinata doctrinae suae profunditate multos forte auditores allexit eorumque attentionem captivavit, at in eorum animos non penetravit neque eos ad virtutem exercendam permovit; inanes forte sterilesque aliquos affectus excitavit curiosasque devotiunculas propagavit, sed haec igne illo absumuntur, ideoque speciali doctorum mercede indignus est. At Apostolus operarium supponit, qui fundamentum conservavit atque etiam pro domino suo diligenter laboravit, qui praemio igitur, quod omnibus operariis debetur, non potest privari : *ipse autem salvus erit* (σωθήσεται), salutem aeternam, essentialem beatitudinem obtinebit.

Verumtamen quia non recte laboravit et contra domini sui voluntatem vili materia in exstruendo aedificio usus est, poenam quandam meretur : itaque salvus erit, *sic tamen quasi per ignem* (οὕτως ὡς διὰ πυρός). Iuxta Pauli descriptionem varii operarii in eodem aedificio exstruendo sunt occupati, quando subito incendium exoritur; in illa aedificii parte, quam primi operarii auro, argento lapidibusque pretiosis exstruunt, ignis alimenta non invenit, ita ut superaedificia non corripiantur et artifices illaesi maneant; alteram vero partem, quum ligno et foeno et stipula constet, flammae corripiunt et comburunt; artifices igitur in hac parte occupati ad fugam coguntur et per medias flammas (διὰ πυρός) currentes interitum quidem effugiunt, sed non sine dolore, nudi et ambusti evadunt. Illud « *quasi* (ὡς) per ignem » de vero igne agi non magis negat, quam eadem particula *Ioan.* 1,14 (gloriam *quasi* Unigeniti a Patre, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρός) gloriam Verbi incarnati fuisse veram gloriam Unigeniti negat; ὡς his in locis per hebraismum videtur positum pro כְּ illo, quod veritatis appellatum non similitudinem sed aequalitatem designat vel potius identitatem[1].

1. Ceterum particulam ὡς, si mavis, consueto modo comparativo adhibitam dicere poteris : « per ignem conflagrationis transiens doctor ille salvus erit, sicut aliquis per (alium)

Cum *Chrys.* graeci interpretes, qui ligno etc. gravia peccata significata vident, verbo σωθήσεται « nihil praeter augmentum supplicii doceri » contenderunt, sc. damnatos in igne non comburi nec in cineres redigi, sed conservari, ut in aeternum cruciari possint. Cui Graecorum explicationi, quam ex modernis solus *Mai.* approbavit, in *Conc. Florent.* theologi latini rectissime iam idem opposuerunt, quod moderni omnes (acatholicis non exceptis) opponunt, « vocem *salvus erit* (σωθήσεται) in tota Scriptura salutem, auxilium, liberationem a malo, refrigerium et similia denotare, nusquam vero malum aliquod » (*Mansi* Coll. Conc. 31,489). Si de mera conservatione loqui voluisset, vocabulum τηρεῖν, quo frequenter utitur, Paulus adhibuisset. In nostro porro loco explicatio Graecorum multo minus admitti potest, quia verba ζημιωθήσεται et σωθήσεται (*detrimentum patietur, salvabitur*) inter se opponuntur; atqui oppositio nulla est, si utroque poena indicatur.

Reprobanda igitur est Graecorum expositio, sed eorum quoque sententia probari non potest, qui verba Pauli directe et sensu literali de purgatorio intelligenda esse dicunt, licet verissimum sit, ex eis legitimum deduci argumentum, quo catholica doctrina de purgatorio demonstratur. Iuxta contextum enim Apostolus procul dubio de solis doctoribus corinthiis loquitur et de tempore secundi adventus Christi; haec modernis acath. (*Mey. God. Heinr.* etc.) omnino concedimus; sed hisce res non est finita. Neque enim minus certum est, doctores illos, quos Dominus in suo adventu inutilia docentes deprehendet, non tantum igne illo probatum iri, sed etiam ad salutem non esse perventuros, antequam per ignem illum transeuntes poenas inutilium suorum laborum luerint. Unde summo cum iure colligimus, quaedam esse peccata, quae hominem absolute quidem a salute non excludunt, temporali quadam poena tamen auferri debent, priusquam salus obtinetur. Porro eodem cum iure colligimus, alios Christianos omnes, quos Dominus adveniens gratia quidem sanctificante ornatos sed levioribus eiusmodi naevis et maculis aspersos inventurus sit, eadem ratione, qua doctores illos, eodemque igne punitum et purgatum iri, ut aeternae salutis participes fieri possint; eadem enim ex utraque parte militat ratio. Ulterius quoque sequitur, aliquem ex illis doctoribus, quos Apostolus prae oculis habet, si ante adventum Domini subita morte esset abreptus, nec salute aeterna privari nec immediate ad eam admitti potuisse, i. e. eum aeternam salutem obtenturum quidem fuisse, « sic tamen quasi per ignem », postquam nimirum poenis quibusdam temporalibus divinae iustitiae satisfecisset atque a maculis suis purgatus esset. Quapropter omnes Christianos, qui solis levibus naevis maculati ante secundum Domini adventum ex hac vita decedunt, poenis temporalibus purgandos esse, antequam ad beatitudinem ingrediantur, ex loco hoc paulino legitime deducitur. Quod si quis etiam ex eo deducere velit, illos *igne* purgatum iri, id recte fieri non nego; revera in Conc.

ignem transiens ». Quoniam διὰ πυρός sine articulo est positum, haec explicatio forte est praeferenda; fere necessarius enim fuisset articulus, si de eodem igne in hoc membro ageretur, quem *v.* 13. nominaverat.

Flor. aliqui theologi latini contra Graecos hoc sensu textum explicarunt; Patres Concilii tamen hac de re nihil definiverunt, quare *Lap.* aliique ad hanc explicationem stabiliendam « *Concilium Flor.* » immerito appellant. Nihil aliud enim definitum est, nisi « eorum, qui vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, animas poenis purgatoriis post mortem purgari » (*Decr. Union. Graec.*); atque haec doctrina verbis paulinis omnino continetur iisque legitime demonstratur.

Mirari poterant Corinthii, quum aliquos ex suis doctoribus, quos magni faciebant, ob eam solam rationem, quia inutiles doctrinas tradidissent, ad salutem non nisi poenis haud levibus solutis perventuros esse audirent. Quapropter Apostolus eadem imagine aedificii retenta sed accuratius explicata eis dignitatem aedificii, in quo exstruendo operarii evangelici sint occupati, ante oculos ponit simul graviorem poenam doctoribus illis denuntians, qui perversis doctrinis illud corrumpere conentur (16. 17). *Dei aedificium* ecclesiam corinthiam appellans (v. 9) eius dignitatem iam innuerat; at eam non quomodocumque ad Deum pertinere, sed illius templum et habitationem esse nunc docet, ut summa eius dignitas appareat : 16. *Nescitis, quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?* Usitatissima Paulo est haec interrogandi formula (οὐκ οἴδατε; vel ἀγνοεῖτε;), si veritatem iam traditam cum emphasi quadam in memoriam revocare vult, ut pro argumento sit (5,6; 6,2. 3. 9. 15; 9,13. 24 etc.); hoc tamen in loco asyndete eam praecedenti descriptioni addens Corinthiorum admirationi suum ipsius stuporem, quod de poenis doctorum dubitare videantur, quasi opponit : Templum Dei estis, quid ergo mirum, quod operarii, qui ad tale aedificium vilem materiam adhibent, poenam sint luituri? Templum Dei porro revera ecclesiam corinthiam esse, altero phraseos membro explicat : « de ratione enim templi est, inquit *Thom.,* quod sit habitaculum Dei »; iam vero *Spiritus Dei habitat in vobis.* Haud immerito Patres multi[1] divinitatem Spiritus S. ex his verbis demonstrarunt, siquidem Apostolus per *Spiritus* inhabitationem ecclesiam esse *Dei* templum confirmat. Minus recte plerique antiquiores, quoniam Spiritus S. etiam in singulis fidelibus gratia instructis habitat eosque singulos praesentia sua templum Dei consecrat (*cfr* 6,

1. Ut paucos ex praecipuis nominemus, cfr *S. Athan.* De incarn. c. Arian. 14, *S. Basil. M.* De Spir. S. 21, *S. Greg. Naz.* Or. 34,12, *S. Didym. Al.* De Spir. S. (M. 39, 1055), *Theodoret.* i. h. l. etc. Ex Latinis *S. Ambr.* De Spir. S. III. 12, *S. August.* c. Maximin. II. 21, *A*[ter], *Pel.* etc. Quorum doctrinam secutus *Thom.* paucis verbis nostrum versum ita explicat : « Ex quo patet, quod Spiritus S. est Deus, per cuius inhabitationem fideles dicuntur templum Dei; sola enim inhabitatio Dei templum Dei facit ».

19), eodem sensu hunc versum interpretati sunt; de tota enim ecclesia Paulum hic loqui multo melius dicimus (ἐν ὑμῖν i. q. inter vos), quam etiam antea « aedificium Dei, agrum Dei » appellaverat et de cuius aedificatione hucusque egerat (cfr *Cai. Est. Iust.* etc.).

Iam eadem sententia, qua rationem dedit, cur Deus doctores inutilia docentes non sine poena ad salutem admissurus esset, Apostolo pro Maiore argumenti inservit, quo graviorem poenam eis deberi demonstrat, qui ecclesiam pravis doctrinis corrumpere conantur. « Templum Dei estis »; **17**. *si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*. Graecus in utroque membro idem verbum adhibet (εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός), atque Itala quoque idem verbum habuit : « si quis templum Dei *corruperit, corrumpet* illum Deus » [1], quae versio omnino est praeferenda, quia uti monet *Cai.* « velut poenam talionis describit Paulus, ut, sicut fecit, fiat ei, ut, sicut minister corrumpit templum, ita Deus corrumpat illum ». Nihilominus clarum est, aliam corruptionem in priore, aliam in altero membro intelligi. « Templum Dei », i. e. ecclesia corinthia, pravis et perversis doctrinis corrumpitur, quibus eius fundamentum, fides in Christum, laeditur et internus eius status non tantum non promovetur, sed vitiatur et pessumdatur; neque exstruunt, sed destruunt aedificium operarii illi, de quibus hic agitur, quare sicut eorum labor, ita etiam eorum finis fini priorum operariorum erit oppositus; priores salvabuntur, hi corrumpentur, priores aeternam beatitudinem obtinebunt, hi aeternum interitum. Alibi quidem verbum φθείρειν definito hoc sensu non adhibetur, sed eo facilius Paulus illi hunc sensum attribuere potuit, quia subst. derivatum φθορά de aeterno interitu usurpat (*Gal.* 6,8; *Col.* 2,22). Quam poenam non esse nimis gravem, sequitur ex ecclesiae corinthiae sanctitate : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*. Omne veri Dei templum propter inhabitantem Deum est sanctum, ita ut omnis eius violatio sit sacrilegium gravissimis poenis plectendum; iam vero eiusmodi templum sanctum est ecclesia corinthia (*cfr ad* 1,2). Graecum relat. οἵτινες (*quales* estis vos) ab aliis ad ἅγιος refertur (« quales *sancti* estis vos ». *Mai.* — *Mey.*), ab aliis rectius cum Vulg. ad ναὸς τοῦ θεοῦ (« quale *templum* sanctum et

1. *Tert.* De pudic. 16. et 18. et c. Marc. V. 6 quidem legit : Si quis templum Dei *vitiaverit, vitiabit* illum Deus »; sed *SS. Hilar.* (in Ps. 64. n. 6.), *Hier.* (in Eph. 4,22 et saepius), *Aug.* (c. ep. fund. 39; de libero arbitr. III. 14 etc.) etc. lectionem indicatam habent, de qua S. Aug. haec (l. c.) adnotat : « Quod verbum (corrumpet) metuentes multi interpretes latini noluerunt dicere *corrumpet*, sed dixerunt *disperdet illum Deus*, et non deviantes a re ipsa offensionem vocabuli evitarunt ».

inviolabile Dei estis vos » *Est. Bisp.* — *Heinr. God.*); pluralis (οἵτινες) enim ex attractione pronom. ὑμεῖς apte explicatur.

Nexum duorum versuum cum praecedentibus eodem fere modo, quo nos, indicarunt multi (*Thom. Dion. Cai. Est. Pic.* etc., *Bisp. M Ev. L R.*; — haud pauci acath.). Parum recte *Chrys.* cum aliis Graecis, *Alcr*, *Rhab.* etc. Apostolum hic iam de incestuoso loqui censent, quum tamen fateantur *v.* 18 sqq. iterum de schismatis agi. Neque rectius pauci moderni hic exhortationem inchoari volunt; licet enim sine ulla particula nostri versus addantur, ipso suo argumento cum prioribus arctissime cohaerent nec ab iis avelli possunt.

III. — *Doctrinae propositae consectaria practica* (3,18-4,13).

Tribus argumentis omne schismatum factionumque studium Apostolus ita reprobavit, ut theoreticae suae expositioni monita pauca intersereret; tamquam verus autem animarum pastor, qui non tantum quid credendum sit, sed etiam quid agendum, gregem suum edocere debet, ubique fere ex doctrinis fidei, quas proponit, conclusiones practicas deducere solet. Quem morem hac quoque in quaestione secutus tria affert consectaria, quorum duo priora omnes fideles, tertium potissimum magistros spectant. Fideles enim cavere debent, ne unum doctorem alteri praeferant, quum omnes in eorum utilitatem sint dati (3,18-23), neve iudices suorum magistrorum sese constituant, quum iudicium soli Deo omniscio competat (4,1-6); factionum vero ducibus humilitas commendatur genuinorumque Apostolorum exemplum imitandum proponitur (4,7-13).

a) Caveant fideles, ne unum magistrum alteri praeferant (3,18-23).

3,18. *Nemo se seducat : si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* 19. *Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum.* 20. *Et iterum : Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanae sunt.* 21. *Nemo itaque glorietur in hominibus.* 22. *Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura : omnia enim vestra sunt :* 23. *vos autem Christi : Christus autem Dei.*

3,18. Μηδεὶς ἑαυτὸν ἐξαπατάτω· εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν ὑμῖν ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, μωρὸς γενέσθω, ἵνα γένηται σοφός. 19. ἡ γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου μωρία παρὰ τῷ Θεῷ ἐστίν. γέγραπται γάρ· Ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν· 20. καὶ πάλιν· Κύριος γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν σοφῶν, ὅτι εἰσὶν μάταιοι. 21. ὥστε μηδεὶς καυχάσθω ἐν ἀνθρώποις. 22. πάντα γὰρ ὑμῶν ἐστίν, εἴτε Παῦλος εἴτε Ἀπολλὼς εἴτε Κηφᾶς, εἴτε κόσμος εἴτε ζωὴ εἴτε θάνατος, εἴτε ἐνεστῶτα εἴτε μέλλοντα, πάντα ἡμῶν, 23. ἡμεῖς δὲ Χριστοῦ, Χριστὸς δὲ Θεοῦ [1].

1. *VV. LL.* — 18. μηδεὶς ἑαυτὸν ἐξαπατάτω (nemo se ipsum decipiat) est communis lectio, pro qua aliqui codd. et interpretes latini (*Pel. Sedul. Thom.* etc.) erronee : nemo *vos* seducat. — 19. ὁ δρασσόμενος (*comprehendens*) quoque est communis lectio;

Iuxta magistros suos sese denominantes Corinthii se de iis gloriari ostendebant, siquidem honori sibi ducebant, quod ad hunc potius quam ad alterum pertinerent; tantam enim sibi attribuebant sapientiam, ut de iis iudicare unumque alteri praeferri possent. Quam sapientiam mere esse humanam nec quidquam coram Deo valere Apostolus docet; ideoque in hominibus gloriari non licere monet (18-21) idque eo minus, quia omnia in eorum bonum a Deo sint concessa (22. 23).

Ex omnibus igitur, quae hucusque de schismatum et factionum impietate et absurditate docuit Paulus, Corinthii ipsi colligere iam possunt, sibi in doctoribus gloriari non licere, quia haec gloriatio ex sapientia mere humana procedat. Hinc illud severum : **18.** *Nemo se seducat,* vel se ipse decipiat, « res aliter se habere existimans, quam dictae sunt » (*Theoph.*); voluntarium enim iam nunc fore errorem, ipsa formula (μηδεὶς ἑαυτὸν ἐξαπατάτω) innuit, qua Paulus in hoc solo loco utitur [1]. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Sive ad ordinem et nexum sive ad sensum verborum attendimus, graeco textui multo melius quam hodierna *Vulg.*, antiqua versio latina respondet : *si quis se putat sapientem esse in vobis, mundo* (vel *saeculo*) *huic stultus fiat, ut fiat sapiens* [2]. Vocabula *in hoc saeculo* non priori membro (*Vulg.* et plerique iuniores interpr.), sed alteri adnecti oportet (*Chrys. Dam. Oec. A^ter^, Rhab.* etc.); graecum εἰ δοκεῖ autem hoc in loco rectius verti : si *sibi* videtur, quam : si videtur, contextus docet. Se ipsos enim decipiunt Corinthii, si tantam sapientiam sibi attribuant, ut de Paulo, Apollo, Cepha iudicare velint unumque potius, quam alterum sibi sequendum eligant. Nam haec non est vera sapientia, quippe quae tunc tantum acquira-

etiam antiqui PP. latini legerunt participium; sed iuniores codd. latini sine sufficiente ratione participio (comprehendens *Fuld.*) substituerunt verbum finitum (comprehendam). — 20. τοὺς διαλογισμοὺς τῶν σοφῶν (cogitationes *sapientium*) iterum est lectio certa, pro qua aliqui codd. *gr.*, *lat.*, *arm.*, ut lectionem verbis *Ps.* 93,11 conformarent, male legerunt : τοὺς διαλογισμοὺς τῶν ἀνθρώπων (cogitationes *hominum*). — 22. πάντα γὰρ ὑμῶν... πάντα ὑμῶν (*omnia enim vestra... omnia vestra*). In secundo membro aliqua lectionaria graeca cum *Vulg.* etiam addunt γάρ (*enim*), quod rectius omittitur. Solus B in secundo membro legit ἡμῶν et in initio *v.* 23. ἡμεῖς, at cum reliquis testibus legi oportet ὑμῶν, ὑμεῖς.

1. Alibi (*cfr* 6,9; 15,33; *Gal.* 6,7) Paulus utitur formula : μὴ πλανᾶσθε (*nolite errare*), quae etiam de errore non culpabili intelligi potest.

2. Cfr *S. Cypr.* de bono pat. 2.; Test. c. Iud. III. 69; eandem lectionem habuit *Tert.* (de carne Chr. 5) : « Non eris sapiens, nisi *stultus saeculo* fueris Dei stulta credendo »; atque *A^ter^* quoque, quamvis in editionibus commentariorum eius habeatur hodierna lectio *Vulg.*, antiquam lectionem explicat : « *stultus saeculo* prudens est Deo, dum Deum credit fecisse, quae ratio mundi non capit ».

tur, quando aliquis mundo stultus factus est et a mundo stultus habetur; iam vero ipsi ob suam prudentem magistri electionem prudentes a mundo haberi volunt.

Paradoxa videtur sententia, aliquem stultum fieri debere, ut fiat sapiens; at cur *mundo huic* (*cfr ad* 1,20) stulti fieri illamque sapientiam, qua de magistris suis iudicare audeant, abiicere Corinthii debeant, Paulus explicat ea paucis comprehendens, quae uberius iam exposuerat (1,18 sqq.), novisque Scripturae testimoniis confirmans : 19. *Sapientia enim huius mundi*, i. e. « quae principaliter mundo innititur et sic mundi rebus intendit, ut ad Deum non perveniat » (*Thom.*), vel rectius : « quae gratia Spiritus S. carens utitur humanis ratiociniis » (*Theod.*) carnalique Veterum Scripturarum interpretatione, *stultitia est apud Deum;* significantior est graecus textus : παρὰ τῷ Θεῷ, quo insinuatur, eam iuxta infallibile Dei iudicium stultitiam reputari et a Deo ipso stultitiae convinci. Duplici enim hoc sensu sententiam esse intelligendam, ex duobus Scripturae testimoniis apparet, quorum prius docet, Deum agendi sua ratione homines convincere, eorum opinatam sapientiam revera esse stultitiam, alterum vero explicat, quo in loco Deus sapientiam mundanam habeat. *Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Quin haec sententia, quae ex primo sermone Eliphaz desumta est (*Iob* 5,13), ab Apostolo velut genuinum S. Spiritus testimonium allegetur, nemo dubitabit, qui ad sollemnem formulam : *scriptum est,* quae de solis verbis inspiratis adhibetur, et ad modum attenderit, quo dictum hoc cum Psalmistae testimonio coniungitur. A vero igitur longe aberrarunt aliqui cath. interpretes (*Iust. Est. Lap. Dr.* etc.), qui ei non maiorem auctoritatem, quam « verbis alicuius sapientis, cui merito credendum sit » aut « verbis alicuius poetae profani, quae Apostolus aliquoties afferat », competere censeant[1]. Legendum esse : *comprehendens sapientes in astutia eorum,* iam diximus (cfr *VV. LL.*); Apostolus enim constructione non attenta unum ex titulis transcribit, quibus Eliphaz divinam sapientiam celebrat : ὁ καταλαμβάνων (לֹכֵד) σοφοὺς ἐν τῇ φρονήσει αὐτῶν. Versionem quidem alexandrinam sequitur, sed eam leviter mutavit, ut textum primigenium accuratius redderet; pro καταλαμβάνειν enim significantius adhibuit verbum δράσσεσθαι (pugno apprehendere) et pro φρόνησις, quae in bonam partem plerumque sumitur (i. q. prudentia) vocem πανουργίας elegit, quae hebr. עָלְם (vafrities, astutia)

1. Quousque verbis amicorum Iob divina auctoritas competat, ostendimus in *Introd. speciali* in Vetus Test. II. p. 70 sq. (*Compend. Introd.* p. 311 sq.); cfr *Introd. general.* p. 575. — De sensu genuino verborum Eliphaz cfr *Knabenbauer* Comment. in l. Iob. p. 89.

plane respondet. Porro in primitivo suo contextu haec verba describunt Deum efficientem, ut ii, qui finem aliquem astute prosequuntur, eum non tantum non attingant, sed ipsa sua astutia velut laqueo irretiti capiantur atque consilia divina, quae impedire volunt, promovere cogantur. Quam sententiam *Thom.* exemplo filiorum Iacob apte illustrat, qui fratrem suum Ioseph, ne principatum a Deo ei praedictum obtineret, tamquam servum vendiderunt atque ita ipsi contulerunt, ut in Aegyptum abductus ad summos honores perveniret. Opinatam igitur eorum sapientiam stultitiam esse, Deus clare manifestavit. Altero testimonio ostenditur, quid sapientia humana coram Deo valeat : 20. *Et iterum : Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanae sunt,* i. e. cogitationes istas esse vanas ac proin sapientiam eorum esse stultitiam. Verba *Ps.* 93,11 quoque iuxta alexandrinam versionem sunt allegata et argumento adaptata; in primigenio textu et in versione alex. Deus cogitationes *hominum* (אָדָם ἀνθρώπων) novisse dicitur, sed Psalmista ibi de falsis sapientibus loquitur, qui suas contra populum electum machinationes a Deo ignorari stulti opinantur (*Ps.* 93,8-10); legitime igitur Paulus, ne explicationem addere cogeretur, substituto vocabulo *sapientium* eam textui inseruit.

Iamvero si Deus sapientiam huius mundi velut vanam spernit, quin etiam eam in sapientium perniciem vertit, consequens est, ut iuxta hanc sapientiam, quam sibi attribuerunt, fidelibus unum doctorem praeferre in eoque gloriari non liceat; merito ergo Paulus concludit : 21. *Nemo itaque glorietur in hominibus.* Eandem conclusionem altero argumento confirmaturus monet, omnes operarios evangelicos, utpote ministros eius per quem crediderunt (*v.* 5), in fidelium utilitatem a Deo esse constitutos : 22. *Omnia enim vestra sunt.* Corinthii, quum sese Pauli aut Apollo aut Cephae esse dicerent, se velut proprietatem istorum magistrorum considerabant atque de iis gloriabantur, sicut ministri gloriari solent, qui magno alicui et potenti imperatori serviunt. At Apostolus rem prorsus contrario modo sese habere docet : discipuli non sunt propter magistros, sed magistri propter discipulos; nemo vero recte gloriatur de iis, quae sunt propter ipsum, quoniam hac ratione ipso sunt inferiores (cfr *Thom.* etc.). Magna igitur cum vi Paulus non hoc vel illud, non hunc vel illum, sed *omnia* esse fidelium asserit (cfr *Rom.* 8,28), eaque enumerat a doctoribus, iuxta quos sese denominabant, incipiens : *sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.* Itaque nec licet dicere : « Ego sum Pauli, ego autem Apollo » etc. nec etiam « Paulus est meus aut Apollo est meus » sed dicendum est : « *et* Paulus *et* Apollo *et* Cephas, *omnes* sunt mei, omnes ad meam utilitatem missi, quia omnes sunt ministri Christi (3,5; 4,1) et per Chri-

stum servi mei (2 *Cor.* 4,5) ». Quamvis haec enumeratio proximo fini eius sufficiat, sancto tamen ardore abreptus Apostolus ulterius progreditur innumera bona considerans, quae omnia in fidelium utilitatem sunt data : *sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura : omnia* (*enim*) *vestra sunt*. Quantae igitur sunt fidelium opes! *Mundus* integer, universitas creaturarum visibilium, propter fideles conditus est; *vita*, quae est tempus merendi, *mors*, qua ad mercedem pervenitur, *praesentia* (ἐνεστῶτα ea quae proxime instant, sed hic, ubi cum μέλλοντα coniungitur : ea, quae in hac vita dantur), quibus iuvamur ad merendum, *futura*, quae nobis tamquam praemium reservantur, *omnia* sine exceptione (illud *enim* perperam esse insertum, patet) Deus voluit esse fidelium, ut ad eorum salutem inservirent.

Summa igitur est fidelium dignitas, neque ullo modo in hominibus gloriari illis licet; sed num forte in se ipsis gloriari possunt, quum tot opibus sint ditati? Id quidem minime, nam omnia ad eum referantur oportet, a quo et per quem et illa et ipsi sunt : **23**. *vos autem Christi, Christus autem Dei*. Exclusis omnibus hominibus ostenditur, in quibus gloriari et secundum quos se denominare eis liceat. Christi autem sunt, sive divina sive humana eius natura spectatur : « per Dominum Iesum Christum enim omnia sunt et nos per ipsum » (8,6), quia per Verbum omnia facta sunt (*Ioan.* 1,3) et per humanam naturam a Verbo assumtam emti sumus pretio magno (6,20; 7,23). In Christo igitur revera gloriari licet, et in Deo, quia Christus est Dei secundum humanam naturam, quae a Deo creata est, et secundum divinam naturam, quatenus Verbum a Patre procedit (*cfr* 11,3). Multi (cfr *Thom. Est.* etc.) humanam quidem solam naturam Christi hic a Paulo considerari putant, at nihil obstat, quominus cum *Chrys.* aliisque etiam divinam naturam intelligi dicamus; uti enim recte monet *Chrys.* « aliter nos Christi sumus, et aliter Christus Dei est, et aliter mundus noster est... Etsi eadem sit dictio, diversa tamen est sententia. Mundus enim noster est, utpote propter nos conditus; Christus vero Dei est, utpote ipsum, quatenus est Pater, habet principium; nos autem sumus Christi, quia ab ipso creati [et redemti] sumus. Si illi sunt vestri, inquit, cur facitis contrarium, quum ab illis denominemini et non a Christo et a Deo? »

Quomodo vv. 18-23 inter se et cum praecedentibus connectantur et quo sensu explicentur oporteat, disputatur. Unum solum monitum, quod fidelibus detur, Patres (*Chrys.* etc.; *Ator* etc.) et antiqui (*Thom. Lyr. Dion.*) iunioresque interpretes multi (*Iust. Calm. Nat.* etc.) agnoscunt; sed cum paucis iunioribus (*Cai. Est. Lap. Pir.* etc.) moderni nonnulli (*Bisp.* etc.) et plerique acath. duo praecepta, unum doctoribus (18-20), alterum fidelibus (21-23) data distinguunt; quam distinctionem

non satis rectam esse, sententiarum ordo et nexus docent. Etenim verba : *nemo glorietur* (*v.* 21) praecedentibus : *nemo se seducat* (*v.* 18) plane respondent; eaedem sunt personae, quas Paulus *v.* 18 (*in vobis*) et *v.* 22 (*vestra sunt*) alloquitur; conclusio ipsa (*v.* 21) ex immediate praecedentibus sententiis legitime infertur; nulla vero ratione ex *vv.* 10-20 derivari potest (*Hoffm. Heinr.* etc.), quia ex eo, quod Paulus fundamentum posuit, aliqui bene, alii minus bene aut etiam male laboraverunt, non sequitur, in *nullo* homine gloriari licere; multo minus autem *vv.* 10-20 pro parenthesi declarari possunt, ut conclusio ex *vv.* 1-9 derivetur, quia eiusmodi saltus logici in paulinis epistolis non inveniuntur. — Porro unum hoc monitum ab antiquis multis cum immediate praecedente increpatione (*vv.* 16. 17) ita coniungitur, ut fideles ab humana sapientia eorum, qui doctrina sua templum Dei corrumpant, averti dicantur; at prava sua lectione (nemo *vos* seducat) primi ad perversam hanc explicationem adducti sunt; genuinam interpretationem iam innuerunt *Lyr.*, *Calm.* etc.

b.) Caveant fideles, ne magistros suos diiudicent (4,1-6).

4,1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* 2. *Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* 3. *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die : sed neque me ipsum iudico.* 4. *Nihil enim mihi conscius sum : sed non in hoc iustificatus sum ; qui autem iudicat me, Dominus est.* 5. *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.* 6. *Haec autem, fratres, transfigurari in me et Apollo propter vos : ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio.*

4,1. Οὕτως ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος ὡς ὑπηρέτας Χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ. 2. ὧδε λοιπὸν ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ. 3. ἐμοὶ δὲ ἐλάχιστόν ἐστιν ἵνα ὑφ' ὑμῶν ἀνακριθῶ ἢ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας· ἀλλ' οὐδὲ ἐμαυτὸν ἀνακρίνω, 4. οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα, ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι, ὁ δὲ ἀνακρίνων με Κύριός ἐστιν. 5. ὥστε μὴ πρὸ καιροῦ τι κρίνετε, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ Κύριος, ὃς καὶ φωτίσει τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους καὶ φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν. καὶ τότε ὁ ἔπαινος γενήσεται ἑκάστῳ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. 6. Ταῦτα δὲ, ἀδελφοί, μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλὼν δἰ ὑμᾶς, ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ἃ γέγραπται, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου [1].

Opinatae suae sapientiae innixi Corinthii alios magistros aliis praeferentes in eis gloriati erant, quia eos sapientiores vel eloquentiores

1. *VV. LL.* — 2. ὧδε (*hic*) B ℵ A C D F G, pauci minusc., *omnes* verss.; minus recte *textus rec.* : ὃ δέ (quod autem) cum E L, plerisque minusc. et PP. — ζητεῖται (*quaeritur*) B L, multi minusc., *omnes* verss. et PP.; rectius quam ζητεῖτε (quaerite), quamvis hanc lectionem ℵ A C D E F G P et multi minusc. tuentur. — 6. ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ἃ (vel ὃ) γέγραπται, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου (ut in nobis discatis illud : *Ne ultra quae scripta sunt*, ne unus pro uno inflemini adversus alterum) B ℵ A D E F G. Haec antiquiorum codd. lectio videtur retinenda; quia enim primum membrum est ellipticum, iuniores codd. et PP. graeci verbum supplent (τὸ μὴ ὑπὲρ ἃ γέγραπται φρονεῖν vel φυσιοῦσθαι), latini vero librarii coniunctionem secundi membri (ἵνα μὴ *ut ne* vel *ne*) praetermiserunt. Genuinam lectionem inter Latinos exprimunt duo codd. graecolatini (F G) : *ut in nobis discatis : Ne supra quod scriptum est, ut non unus adversus alterum infletur pro alio.*

vel aptiores esse existimabant; quam gloriationem stultam esse demonstraturus Apostolus veram exponit normam, secundum quam evangelici operarii distingui debeant (1. 2), sed simul monet, a solo Deo omniscio hanc normam adhiberi posse (3. 4); fideles igitur a diiudicandis magistris abstineant oportet, donec in ultimo iudicio omnia manifesta fiant, atque caveant, ne unum alteri praeferant (5. 6).

Operarii evangelici secundum genuinam suam conditionem diiudicandi sunt, qua non sunt viri independentes, qui suum proprium negotium agunt, sed a domino suo Christo dependent, pro quo legatione funguntur (2 *Cor.* 5,20; *Eph.* 6,20). Itaque ex eorum relationibus ad Christum norma, iuxta quam diiudicentur, desumatur oportet; ideoque has praeprimis Apostolus fidelibus in memoriam revocat : 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Asyndete hoc quoque monitum (*cfr* 3,18) affertur; particula *sic* (οὕτως) enim non ad ea, quae dicta sunt, refertur, sed ea quae dicentur praeparat : *sic* sc. tamquam ministros Christi *existimet* vel potius *consideret* (λογιζέσθω) *nos homo* omnis; per hebraismum, ut videtur, ἄνθρωπος (אִישׁ) hic adhibetur loco pronominis infiniti. Ad veram eorum conditionem attendatur oportet, quae est, ut sint ministri Christi et *dispensatores mysteriorum Dei* (ὑπηρέται Χριστοῦ καὶ οἰκόνομοι μυστηρίων Θεοῦ). Ὑπηρέτης, quo vocabulo hic tantum Paulus utitur, a Suida explicatur δοῦλος (servus) atque ministrum inferiorem (in lingua ecclesiastica Graecorum ὑπηρέτης est subdiaconus) videtur designare, qui non tam liberam quam servam operam domino praestat et propter eum laborat, dum διάκονος, quo nomine supra (3,5 « ministri, per quos credidistis ») usus est, non soli domino, sed aliis quoque operam suam praestat; iuxta solam relationem ad dominum suum igitur ὁ ὑπηρέτης diiudicandus est. Atque eadem idea altero membro exprimitur; οἰκόνομος enim (administrator vel dispensator bonorum) domino quidem, sed non aliis, rationem reddere tenetur, num ea iuxta voluntatem domini illis distribuerit, quibus debebat, tempore et modo debito.

Sed quorum mysteriorum dispensatores dicuntur operarii evangelici? Iuxta *Trident.* (Sess. 21. De comm. cp. 2) his verbis « Apostolus ***non obscure visus est innuisse*** », Ecclesiae competere potestatem, « ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae... magis expedire iudicaret ». Minus cauti, quam Tridentini Patres, multi iuniores theologi ex his verbis illam potestatem simpliciter et absolute demonstrare volunt. Iam vero μυστήριον in ecclesiastica quidem lingua Graecorum omnino est receptum ad designandam rem sacram, qua

interna gratia significatur et confertur, ita ut theologico termino sacramenti plane respondeat; sed in Novo Test., quamvis aliquoties a Vulg. *sacramentum* vertitur (*Eph.* 1,9; 3,3. 9; 5,32; *Col.* 1,27; 1 *Tim.* 3,16), nusquam definito hoc sensu usurpatur; ubique potius doctrinas arcanas significat, quae revelatione divina nobis innotuerunt. Nec *Chrys.* nec *Theod.* in nostro loco vocem explicant nec in sua expositione, quo sensu illam sumserint, indicant; *Theoph.* autem et *Oec.* illam de doctrinis intelligunt, quae, quum mysteria sint, non omnibus sed dignis tantum debeant revelari. Etiam *A*ter et *Pel.* de huius vocabuli sensu non loquuntur; quodsi enim *A*ter pro mysterio ponit *sacramentum*, alterum hoc vocabulum sumsit eodem modo, quo in Vulg. saepius adhibetur. Inter latinos interpretes mediae aetatis multi, qui pravam lectionem (ministeriorum pro mysteriorum) sequuntur (*Herv. Lyr.* etc.) idonei testes non sunt. *Thom.* explicat « mysteria Dei i. e. secreta eius, quae quidem sunt spiritualia eius documenta iuxta illud : Spiritus est, qui loquitur mysteria, *vel etiam* ecclesiastica sacramenta, in quibus divina virtus secretius operatur salutem »; *Dion.* sacramenta et ecclesiastica officia (probabiliter legit : ministeria), *Cai.* solas doctrinas revelatas intelligi volunt. Post Tridentinum *Estius*, postquam a nonnullis sacramenta intelligi monuit, ita pergit : « sed quum ipse Paulus dixerit : non misit me Christus baptizare, rectius est, ut mysteria Dei intelligantur fidei nostra dogmata a Deo revelata... Nec tamen ab his mysteriis sacramenta Novae Legis separamus, sed pariter sub iis comprehendimus » (at nonne sola *doctrina* de sacramentis sub mysteriis comprehenditur, si mysteriorum nomine dogmata rectius intelligi dicuntur?); *Iust. Lap. Men. Tir. Nat. Pic.* mysteria explicant dogmata *et* sacramenta, *Mar.* dogmata *aut* sacramenta, *Sa* et *Calm.* de solis doctrinis loquuntur. Inter modernos *Bisp. L R. Ramb.* cum *Iust.*, *M Ev.* cum Estio consentiunt, *Mai.* sacramenta intelligi posse diserte negat, *Dr.* tacet. Ex acath. modernis plerique sacramenta comprehendi negant, pauci (*Olsh. Os.*) affirmant.

Consentiens igitur non est interpretum testimonium; quid autem textus ipse docet? Quodsi constans vocabuli *mysterii* usus in tota Scriptura consideratur atque simul perpenditur, Apostolum in tota hac parte de se sociisque suis tamquam doctoribus et magistris agere, qui missi sunt evangelizare (1,17 sqq.), testimonium Christi annuntiant (2,1 sqq.), sapientiam loquuntur inter perfectos (2,6 sqq.), ministri sunt, per quos fideles ad fidem pervenerunt (3,5), doctrinis praedicationibusque ecclesiam corinthiam plantarunt et fundarunt, rigarunt et aedificarunt (3,6 sqq.), equidem dubitari non posse arbitror, quin in hoc loco apostolici operarii appellentur dispensatores mysteriorum Dei, quia doctrinas a Deo revelatas cum aliis communicare pro munere suo debebant. Literali igitur sensu de sacramentis sermonem esse demonstrari nequit. At attendatur oportet, Patres Tridentinos vigilante verbo usos esse, quum Paulum potestatem Ecclesiae circa sacramenta his verbis non expressisse, sed « non obscure *innuisse videri* » dicerent. Ac profecto verbis istis haec potestas innuitur, immo legitima quadam argumentatione ex illis derivatur (per sensum, quem dicunt

consequentem[1]). Aliunde enim constat, Christum Ecclesiae suae non tantum doctrinas fidei, sed etiam sacramenta tamquam media salutis reliquisse eique *omnia,* quae attulit, « veritatem et gratiam » (*Ioan.* 1,17) commisisse; neque minus aliunde constat, Dominum *totam* et *plenam* auctoritatem in Ecclesia sua Apostolis eorumque successoribus contulisse. Quapropter si Paulus Apostolos vocat dispensatores mysteriorum Dei, ut tamquam boni oeconomi doctrinas fidei fidelibus distribuant quibus oportet, quando oportet et quomodo oportet (*Theoph.*), recte colligimus, eis etiam idem ius competere relate ad sacramenta, « ut in eorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statuerent vel mutarent, quae suscipientium utilitati aut ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicarent » (*Conc. Trid.*).

Apostolici igitur operarii sunt ministri et dispensatores, qui a solo suo domino dependent; in iis ergo diiudicandis illa quoque norma adhibenda est, iuxta quam omnes ministri et dispensatores diiudicantur; atqui in iis maxime attenditur, utrum fideles sint necne : 2. *hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Hic* (ὧδε) i. e. in hoc rerum statu, quum simus ministri et dispensatores, id iam in nobis inveniri debet, quod in omnibus dispensatoribus requiritur (ζητεῖται), sc. fidelitas in ministerio Christi et in dispensatione mysteriorum Dei. Utrum vero haec revera in aliquo inveniatur, quaestio est, de qua homines iudicare non possunt; atque hanc ob causam Apostolus etiam non tantum Corinthiorum aliorumve hominum sed suum ipsius quoque iudicium hac in re respuit : 3. *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer aut ab humano die; sed neque me ipsum iudico.* Non satis recte, ut videtur, cum *Chrys.* alii graeci interpretes expressionem ἐμοὶ εἰς ἐλάχιστόν ἐστιν interpretantur « ignominiosum mihi est »; rectius cum Vulg. moderni eam ita explicant, ut Apostolus Corinthiorum iudicium non velut sibi ignominiosum reiiciat sed velut fundamento solido destitutum parvi pendat : parum mea interest, quomodo a vobis *di*iudicer (ἀνακριθῶ *cfr ad* 2,14), num aliis praeferar an postponar a vobis, quia de mea fidelitate iudicare non potestis[2]. Ne vero solis Corinthiis iudicandi facultatem negare videatur, addit : *aut ab humano die,* quae verba Graeci recte interpretantur : « aut a quibusvis aliis hominibus »[3].

1. Cfr ea, quae de *sensu consequente* diximus in *Introd. gener.* p. 527 sqq. (*Compend. Introd.* p. 130).

2. Cfr *Thom.* « Non autem id pro nullo est, sed pro minimo; quia bona temporalia, inter quae bona fama computatur, non sunt nulla bona, sed minima ».

3. *S. Hier.* (ad Alg. ep. 121,10.) expressionem ἀνθρωπίνη ἡμέρα (humanus dies) pro cilicismo habet. Ceterum *A*[tor] eam recte explicat : « Humanum diem quum dicit, significat etiam divinum, in quo iudicabit Christus; quia sicut iurisconsulti seu pontifices certos dies,

Neque mirum, quod Apostolus omnium aliorum iudicium parvi pendat, quum ne ipse quidem de se iudicium ferre audeat. Etenim se ipse non ita novit, ut omne errandi periculum ab eius iudicio sit exclusum, unde Corinthii desumere debent, multo maiori erroris periculo se ipsos esse expósituros, si magistros suos diiudicare audeant. 4. *Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum.* Contextu suo verba haec ad munus ministri et dispensatoris restringuntur, quo se fungi Apostolus dixit; licet enim eo ita sit functus, ut iuxta conscientiae suae testimonium nihil egerit, quod fidelem ministrum et dispensatorem dedeceat, sese tamen diiudicare et fidelem declarare non audet; siquidem tanta est humana infirmitas, ut suo iudicio in tali re homo fidere non possit. Utrum in altero membro negationem cum verbo coniungamus (non iustificatus sum), id quod plerisque placet, an cum immediate sequentibus vocabulis (non in hoc), id quod grammaticae magis consentit, fere idem est; in utroque enim casu Paulus negat, se ideo iam esse iustificatum, quia conscientiam culpae in suo munere admissae non habeat. Atque re vera iudicium certum de hominis iustitia pertinet ad Deum : *Qui autem iudicat me, Dominus est,* qui solus, utpote omniscius cordium scrutator, videt, annon in intimis animi latebris lateat peccatum, quod homo sibi ipse occultat. Hinc necessario sequitur monitum : 5. *Itaque nolite ante tempus iudicare,* quamdiu vobis non clara et manifesta sunt ea, de quibus iudicare audetis, sed exspectate, *quoadusque veniat Dominus* ad ultimum agendum iudicium, *qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* Tunc utique aderit tempus iudicandi (*cfr* 6,2), quia tunc omnia omnibus patebunt. *Abscondita tenebrarum* ab *Oec. Theoph. Herv.* etc. intelliguntur « latentes pravae actiones », quae alibi hoc nomine designantur (*Rom.* 13,12); sed cum aliis omnibus rectius actiones quascumque ignotas sive bonas sive malas hac expressione designari dicemus, quae omnes cognitae sint oportet, antequam iustum iudicium agi possit. Neque externae tantum actiones, sed internae quoque cogitationes, *consilia cordium*, a quibus actiones procedunt, antea manifestentur oportet; atque tunc demum iusta sententia pronuntiari potest, *et tunc laus erit unicuique a Domino.*

In ultimis his verbis aliqui invenerunt difficultatem, quia ad contextum non satis attenderunt; etenim non omnibus in ultimo iudicio laudem a Deo

quibus iudicatur, decreverunt, ita et dies Domini definitus est, quo iudicaturus est mundum ». Itaque humanus dies vocatur ille, qui ab hominibus iudiciis exercendis destinatus est, in oppositione ad Domini diem, quem Apostolus statim describit; dies autem iudiciis destinatus per figuram ponitur pro ipso homine iudicante.

futuram esse obiecerunt. Quare aliqui *laudem* et in bonam et in malam partem sumi posse coniecerunt; quam sententiam merito iam *Iust.* impugnavit, quia nusquam laus nisi forte per antiphrasin pro vituperio sumitur. Minus recte quoque *Theoph. Est. Iust.* « nominata laude simul intelligendum esse vituperium, nempe contrarium ex contrariis » censent. Recte potius *Cai.* monuit, Apostolum de solis doctoribus corinthiis agere, quos fideles diiudicabant alium alteri praeferentes, sed nullum reiicientes; praematura et temeraria sunt Corinthiorum de suis magistris iudicia; exspectent, usque dum Dominus singulis eam, quae eis competit, laudem distribuerit, et tunc ipsi quoque sine errandi periculo cum Domino eos laudare et inter se conferre poterunt.

Apostoli verba (*v.* 4. Nihil mihi conscius sum etc.), quamvis ad dispensatoris munus, uti diximus, contextu restringantur, fidem tamen illam specialem, qua Protestantes de suo quemque gratiae statu certum esse asserunt, funditus evertunt; eadem enim ratio, quae Paulum impedivit, quominus se iustificatum esse in munere dispensatoris diceret, singulos fideles impedit, ne se iustificatos dicant, licet conscientiam culpae alicuius in suis muneribus admissae non habeant. Merito igitur *Patres Tridentini* decretum suum de iustificatione his verbis terminarunt : « Quia in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et iudicium ante oculos habere debet, neque se ipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, iudicare; quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda et iudicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo, qui, uti scriptum est (*Matth.* 16,27), reddet unicuique secundum opera sua » (Sess. VI. De iustif. c. 16.).

Conditionem, quae operariis evangelicis competat, describens (3, 4 sqq.) Apostolus suum dumtaxat et amici sui Apollo, qui tunc temporis etiam Corinthi non adfuit, nomina posuerat, ac si de iis solis ageretur; quorsum autem spectaverit, nunc explanat, ut neophytos efficacius ab omni partium studio revocet. 6. *Haec autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in nobis discatis ne, supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio.* Cum *Chrys.* multi interpretes graeci et latini ex his verbis collegerunt, factiones corinthias non secundum Paulum, Apollo, Cepham esse denominatas sed Apostolum, ne quem offenderet, vera nomina suppressisse (*cfr ad* 1,12). At parum recte; namque pronomen *haec* non omnia potest complecti, quae de schismatis inde a 1,12 dicta sunt, sed illa sola, in quibus speciali modo de Paulo et Apollo agitur; atqui ab 1,12 usque ad 3,4 nemo nominatur, 3,4-9 de solis Paulo et Apollo, 3,10 sqq. de omnibus magistris agunt; ergo pronomen *haec* de illa sectione intelligatur oportet, in qua relatio describitur, quae Deum

inter et operarios evangelicos intercedit, quamque Apostolus pro totius *huius* moniti (4,1 sqq.) fundamento adhibuit. Neque recte *Iust.* saltem illa, quae 3,21 sqq. leguntur, etiam spectari censet, quia secus hoc in loco nomen Cephae non esset praetermissum. Haec igitur, quae de vera operariorum apostolicorum conditione disseruerat, omnes quidem magistros et doctores evangelicos attingunt, at ita sunt proposita, ac si ad Paulum et Apollo solos spectarent. Apostolus igitur suo sermoni aliam, quam quae argumento ipsi per se respondebat, formam dedit, eum transfiguravit vel transformavit, ita ut sibi Apolloque solis ea, quae in omnes quadrabant, applicans conditionem veram omnium doctorum christianorum explanaret [1].

Porro de se et amico suo, qui intime inter se uniti ab omni partium studio abhorrebant neque factionum capita sed ministri tantum Christi esse volebant, solis locutus erat Apostolus propter ipsos Corinthios (*propter vos*); quae verba explicans addit : *ut in nobis discatis, ne, supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio*, vel iuxta accuratiorem lectionem graecam (cfr *VV. LL.*) : *ut in nobis discatis illud : Ne ultra ea, quae scripta sunt, ne unus pro uno inflemini adversus alterum.* Ad suum enim et Apollo exemplum, qui normam in Scripturis traditam non transcendentes humiliter semper de se sentiunt seque velut ministros Christi tantum profitentur, Corinthios revocat eosque monet, ut eandem regulam observantes caveant, *ne unus pro uno infletur adversus alterum;* inflatur autem unus pro uno, si gloriae sibi ducit, quod huic adhaereat potius quam alteri, atque contra alterum inflatur, si illum deprimere studet, ut tamquam eius victor glorietur. Paucis istis verbis itaque Paulus perversam agendi rationem factiosorum graphice describit, qui ut se ipsos exaltarent, doctorem iuxta quem sese denominabant celebrare, alios vero doctores detrectare studebant; neque enim doctorum, sed solam suam ipsorum gloriam quaerebant [2].

Num prioris membri verba : *Ne ultra ea, quae scripta sunt* (sc. sen-

1. Verbum μετασχηματίζειν proxime significat : formam vel figuram (σχῆμα) mutare (cfr *Phil.* 3,21; 2 *Cor.* 11,13-15); sermo autem transformatur, si ea, quae de tota aliqua hominum classe valent, in unum solum ita transferuntur, ut hac ratione in uno illa illustrentur, quae ad totam classem pertinent.

2. Cum *Chrys.* nonnulli prius membrum textus recepti : τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖ solis magistris Corinthiorum, alterum autem : ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου omnibus fidelibus dictum esse putant (*Oec. Theoph. Iust. Est. Lap.* etc.); at hanc interpretationem graecus textus non admittit, siquidem constructio alterum membrum a priore dependere clare docet. Sensus Vulgatae nostrae cum eo, quem supra exposuimus, fere consonat, quamvis sit minus clarus : « ut ex nostro exemplo (humilitatem) discatis, ne, supra quam scriptum est (progredientes i. e. regulam in Scripturis traditam transgredientes), unus adversus alterum infletur (eum deprimens) pro alio (quem celebrat) ».

tiatis) adagium quoddam rabbinicum sint (id quod nonnulli moderni coniecerunt) an potius a Paulo proverbii instar sint formata, definiri non potest. Maioris momenti est quaestio, de qua scripta regula Apostolus loquatur. Quoniam verbum γέγραπται ab eo in sollemni tantum formula, qua Scriptura S. allegatur (tricies hoc modo in epistolis paulinis adhibetur), usurpari solet, illis non assentimur, qui eum aut ad omnia aut ad nonnulla, quae in hac epistola leguntur, respicere censent, quamvis haec sententia inde a media aetate inter catholicos interpretes sit pervulgata (*Thom. Lyr. Iust. Est. Lap. Pic.* etc., *Bisp. Dr. Ramb.*). Graeci interpretes Apostolum sententiam aliquam Domini in Evangeliis relatam (*Matth.* 7,1. 3; 20,27; 23,12; *Marc.* 9,34; 10,34 vel similia) in memoriam fidelibus revocare voluisse censent (*Chrys. Theod. Dam. Oec. Theoph.*); quamvis vero non negemus, Evangelium Matthaei, quum ante a. 50. scriptum sit, a. 58. a Paulo velut Scripturam allegari potuisse[1], certum tamen est, Corinthios tam vago allegationis modo sententias, quas Apostolus in mente habuit, cognoscere non potuisse. Alii eum Ieremiae (9,23) verba alibi iam allata (1, 31) revocare voluisse putant (*Herv. Dion. Mai. L R.*); rectius autem cum *Pel. Cai.* aliisque multis dicemus, eum integrum Vet. Testamenti argumentum pro norma et regula sentiendi et cogitandi statuere, quippe quod de genuina hominis ad Deum relatione agens veram ubique doceat humilitatem. Ne igitur hanc humilitatis normam in Vetere Test. conscriptam transgrediantur, Apostolus monet Corinthios; hanc enim observantes sua sponte a magistris suis diiudicandis sese abstinebunt.

c.) Factionum quoque ducibus humilitas commendatur Apostolorum exemplo proposito (4,7-13).

4,7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 8. *Iam saturati estis, iam divites facti estis, sine nobis regnatis: et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus.* 9. *Puto enim, quod Deus nos apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus.* 10. *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo:*

4,7. τίς γάρ σε διακρίνει; τί δὲ ἔχεις ὃ οὐκ ἔλαβες; εἰ δὲ καὶ ἔλαβες, τί καυχᾶσαι ὡς μὴ λαβών; 8. ἤδη κεκορεσμένοι ἐστέ; ἤδη ἐπλουτήσατε; χωρὶς ἡμῶν ἐβασιλεύσατε; καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε, ἵνα καὶ ἡμεῖς ὑμῖν συμβασιλεύσωμεν. 9. δοκῶ γάρ, ὁ Θεὸς ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέδειξεν, ὡς ἐπιθανατίους, ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις. 10. ἡμεῖς μωροὶ διὰ Χριστόν, ὑμεῖς δὲ φρόνιμοι ἐν Χριστῷ· ἡμεῖς ἀσθε-

1. *S. Paulus* aliquot annis postea revera ex Evangelio Lucae velut ex Scriptura allegavit verba quaedam Domini (1 *Tim.* 5,18 cfr *Luc.* 10,7) atque etiam *S. Barnabas* (Ep. 4) formula ὡς γέγραπται iam primum Evangelium allegavit (*Matth.* 9,3); cfr quae de his allegationibus diximus in *Introd. gen.* p. 151 sq. 155 sq.

nos infirmi, vos autem fortes : vos nobiles, nos autem ignobiles. 11. *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus et colaphis caedimur, et instabiles sumus,* 12. *et laboramus operantes manibus nostris : maledicimur et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus :* 13. *blasphemamur, et obsecramus : tamquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.*

νεῖς, ὑμεῖς δὲ ἰσχυροί· ὑμεῖς ἔνδοξοι, ἡμεῖς δὲ ἄτιμοι. 11. ἄχρι τῆς ἄρτι ὥρας καὶ πεινῶμεν καὶ διψῶμεν καὶ γυμνητεύομεν καὶ κολαφιζόμεθα καὶ ἀστατοῦμεν, 12. καὶ κοπιῶμεν ἐργαζόμενοι ταῖς ἰδίαις χερσίν, λοιδορούμενοι εὐλογοῦμεν, διωκόμενοι ἀνεχόμεθα, 13. βλασφημούμενοι παρακαλοῦμεν, ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι[1].

In ultimo praecedentis moniti versu Apostolus omnibus Corinthiis humilitatem commendans prae oculis iam praecipue habuit factionum duces, qui superbia et arrogantia sua studium partium invexerant et promoverant; eosdem nunc diserte aggreditur ostendens eos nihil omnino habere, quo gloriari possint (*v.* 7); acerba deinde, immo mordaci, ironia eorum insolentiam perstringit (8-10) atque genuinorum Apostolorum vitam eis ob oculos ponit (11-13).

Ad humilitatis normam in Vetere Test. traditam Apostolus fideles revocans eos exhortatus erat, ne de ducibus, quos sequebantur, gloriarentur; quam stulta vero sit eiusmodi gloriatio, nunc demonstrat variis suis quaestionibus duces ipsos convincens, quod nihil in eis sit, quo aliquis gloriari possit : 7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Unum alloquitur, ut omnes efficacius confundat. Ut aliquis ab aliis discerni possit, habeat aliquid oportet, quo reliqui careant; sua vero interrogatione Paulus docet, omnia ea, quibus factionum duces gloriabantur, revera non adesse; ea enim ratione proposita est quaestio, ut responderi debeat : nemo me discernit, nemo in me aliquid invenit boni, quod in aliis non inveniatur. Quodsi quis vero praestantiam quandam possideat, qua saltem per Deum ab aliis discerni aliisque praeferri posse sibi videtur, altera interrogatione edocetur, se nondum gloriari posse. Quibuscumque enim scientiae, eloquentiae etc. donis ornatus est, ea omnia non sibi ipse tribuit, sed aliunde accepit; ideoque, uti tertia interrogatio docet, nullam omnino rationem habet, cur inflatus se supra alios extollat; solus

1. *V V. L L.* — 8. ἐβασιλεύσατε (regnastis) est communis Graecorum lectio, quam inter Latinos praeter unum graecolatinum (D) conservavit *Amiat.*; minus bene alii latini : *regnatis.* — 9. δοκῶ γάρ, ὁ θεὸς ἡμᾶς κτλ. (puto enim, Deus nos...) sine coniunctione B ℵ A C D E F G, pauci minusc. et PP., *It.*, *Vulg.* (*Fuld.*, *Am.*, *Dem.*, *Tol.*); sed cum plerisque minusc. et PP. *textus receptus* et *Vulg. Clem.* coniunctionem ὅτι (*quod*) inserunt. — 13. βλασφημούμενοι (*blasphemamur*) B D E F G L, plerique minusc. et PP., *It.*, *Vulg.*; eodem sensu δυσφημούμενοι ℵ A C P, pauci minusc. et aliqui PP.

enim stultus de gratuitis aliorum beneficiis velut de bonis sibi debitis gloriatur.

Haec explicatio hodie communior verbis plane consonat et contextu commendatur. Vicina est *Chrys.* aliorumque Graecorum expositio, quam cum aliis sequitur *Iust.*; ita autem *Chrys.* : « Undenam liquet, quod tu dignus laude sis? factumne est iudicium? praecessitne examen, an probatio, an accurata perquisitio? Sed hoc non possis dicere. Quod si vero homines sententiam tulerunt, non rectum est eorum iudicium. Ponamus autem te dignum laude esse et hominum iudicium non esse corruptum, neque sic oportebat altum sapere. Nihil enim ex te habes » etc. Primae igitur interrogationi (Quis te discernit?) responderi censet : « homines, quorum iudicium est fallax », id quod fere idem est, ac si nos respondemus : « Nemo iure me discernit aliisque praefert ». Prorsus differt alia expositio, quae verbo διακρίνειν attribuit sensum « praestantiorem *facere* », atque hanc praeferentes *Est.* aliique primam interrogationem explicant : « Nemo nisi solus Deus praestantiorem me *facit* aliis » ; at nusquam διακρίνειν (*diiudicare*, discernere, et prout sententia fertur, unam partem *praeferre*, alteram *postponere*) istam significationem habet, quae, si in nostro loco admitteretur, primam et secundam interrogationes fere tautologicas esse poneret (« Quis te praestantiorem fecit? Quam praerogativam habes, quam non accepisti? »).

Ceterum versus hic iuxta communem fere omnium interpretum explicationem de naturalibus donis agit, quibus factionum duces inflabantur, non de gratiis supranaturalibus. Nihilominus inde a S. Augustini aetate, qui eum contra Pelagianos et Semipelagianos frequenter adhibuit, in controversiis de gratia est celeberrimus; neque est dubium, quin recte etiam ad dona supranaturalia adhibeatur. Quodsi enim homo a se ipso donum naturale, quo ab aliis discernatur, et de quo tamquam sibi debito gloriari possit, non habet, multo minus in ordine supranaturali eiusmodi donum possidet. Quare minime quidem tamquam sensus literalis, sed velut legitimum corollarium id admitti debet, quod verbis nonnullis Augustini usus *Thom.* primo in loco affert : « Quis te discernit a massa perditorum? Tu te ipsum discernere non potes; quare non habes in te, unde contra alios gloriaris ». Quae ad verba id unum adnotetur oportet, conclusionem illam non ex prima interrogatione, sed ex omnibus tribus derivari. Rectissime quoque cum *S. Aug.* contra Pelagianos et Semipelagianos *Conc. Araus.* II (c. 6) docuit, Apostolo dicenti : Quid habes, quod non accepisti, resistere eos, qui gratiam ex operibus nostris naturalibus, non vero opera nostra bona ex gratia esse asserant. *Estius* vero, si prima sola interrogatione iam praedestinationem ad gloriam post praevisa merita et Molinae systema de gratiae efficacitate redargui censet, verbis paulinis sensum attribuit, qui illis non inest, nec adversariorum suorum doctrinam satis perspexisse videtur. Sed quia in his controversiis non de literali sensu verborum apostolicorum, sed de maiore minoreve legitimitate conclusionum theologicarum ex illis derivatarum agitur, quaestionem hanc praetermittimus.

Ducum superbiam, quam tribus suis interrogationibus stultam esse demonstravit, Apostolus nunc irridet opinatae illorum felicitati, qua gloriabantur, verum statum genuinorum Apostolorum opponens; itaque exclamat vel iuxta alios interrogat : 8. *Iam saturati estis! iam divites facti estis! sine nobis regnatis* (vel potius : *regnastis,* i. e. ad regnum pervenistis)! Duo priora membra alii (*Chrys.* etc.) de donis spiritualibus, maxime de charismatis, intelligunt, alii (*Cai. Iust.* etc.) de donis naturalibus scientiae, eloquentiae etc.; tertium deinde iidem de summa dignitate vel auctoritate explicant, qua duces illi in suis factionibus aut etiam in tota ecclesia corinthia gaudebant. Sed melius cum *Theodor.* tria membra eodem modo de regno messianico eiusque bonis intelligimus; tantopere enim gloriabantur superbi illi duces, ac si omnibus bonis, quibus beati in regno messianico fruentur, iam saturati essent atque ditati, immo iam cum Christo regnum essent adepti. Magna cum acerbitate Paulus eos *iam* nunc illis bonis frui dicit, quae aliis non nisi in futura vita contingent, eosque *sine ipso* ad illud regnum pervenisse, quamvis ipse, qui eis viam salutis monstravit, longe ab illa beatitudine absit. Hoc sensu verba intelligenda esse, docent ea quae sequuntur : *et utinam regnetis* (regnaretis *Am.* vel melius : regnassetis, ad regnum iam pervenissetis), *ut et nos vobiscum regnemus* (regnaremus *Am.*); utinam verum esset, vos ad beatum illum finem iam pervenisse et regni illius beatitudine iam plene frui! Id enim si esset, nobis quoque Apostolis spes affulgeret fore, ut eiusdem regni participes mox fieremus. Parum apte haec verba explicari de auctoritate, qua duces in factionibus vel in ecclesia potiti esse dicuntur, clarum est; neque enim Apostolus desiderare potuit, ut superbis illis viris, quos tam graviter vituperat, auctoritas vera conferretur; de beatitudine igitur regni messianici intelligenda sunt, ideoque etiam duo priora membra de eodem aptius explicantur.

Sibi porro non deesse rationem, cur mox ad felicem illum statum pervenire desideret, ostendit sequente versu : 9. *Puto enim, (quod) Deus nos Apostolos novissimos ostendit,* i. e. in tali posuit conditione, ut omnium hominum abiectissimi esse videamur. Ironice haec quoque dicta esse cum *Chrys.* aliisque Graecis nonnulli censent (*Thom. Cai.* etc.), et alii his verbis de solo Paulo agi cum *A^{tro}* addunt (*Iust. Dr.* etc.). At se solum Paulus *nos apostolos* (ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους) nominare non potuit, atque rectius quoque eum haec ἐξ εὐθείας (*Oec.*) i. e. proprie et sine ironia asseruisse dicimus, ut explicaret, quare celerem regni messianici gloriosi adventum desideraret, atque simul superbos factionum duces confunderet. Velut abiectissimos enim Deus Apostolos exhibuit, quum eos ostenderet *tamquam morti destinatos,*

quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis et hominibus. Ἐπιθανάτιος (morti addictus) a *Tert.* (De pudic. 14.) redditur *bestiarius,* quo nomine aut gladiatores, qui cum bestiis pugnabant, aut servi in amphitheatris bestiis obiecti designabantur. Num Paulus revera bestiis semel fuerit obiectus (*cfr ad* 15,32), cum certitudine definiri non potest; hoc tamen in loco, quum de omnibus Apostolis loquatur, vocabulum non elegit, nisi ut continuas persecutiones continuaque pericula innueret, in quibus Apostoli propter suum munus degebant. Amphitheatrum autem, in quo velut bestiarii spectaculo expositi erant, integer erat mundus, spectatoresque erant non cives unius urbis, sed Angeli et homines. Grandissima haec imago a nonnullis interpretibus nimis ieiunis diminuitur, qui inquirere volunt, num de bonis an malis angelis hominibusque Apostolus loquatur : coram toto mundo, i. e. coram Angelis et hominibus, Deus Apostolos velut abiectissimos bestiarios spectaculo exposuit; omnes huic spectaculo assistunt, alii quidem tantam Apostolorum humilitatem et fortitudinem admirantes, alii de eorum calamitatibus et tormentis laetantes.

Quam abiectionem paucis lineis depingit eam cum opinata ducum conditione comparans : 10. *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles.* Ut Christi regnum propagarent, Apostoli omnibus, quae mundus amat et aestimat, plene renuntiaverant; doctrinam, quae mundo stultitia et scandalum erat, nudam praedicantes velut *stulti* ab omnibus incredulis tractabantur; omnibus subsidiis humanis destituti ac proin *infirmi* ubique a Iudaeis et ab ethnicis persecutiones sustinebant; nec sapientia mundana nec eloquentia humana eminentes revera erant ἄτιμοι (*ignobiles*) omni aestimatione privati et a mundo contemti : atque haec omnia in se susceperunt propter Christum. Interea duces factionum de opinata sua sapientia et eloquentia gloriabantur, ab asseclis suis velut *prudentes in Christo* celebrabantur, velut *fortes*, qui suis viribus confidere possent, velut *nobiles,* ἔνδοξοι, i. e. viri famosi, magno in honore habebantur. « Ne nimium pungeret », Apostolum illud *in Christo* adiecisse *Theod.* censet; at illa appositio, quae eadem ratione qua altera *propter Christum* ad omnia tria membra pertinet, duces gravius ferire debebat, quia eos opposita et contraria in se coniungere velle insinuabat; qui enim prudens, fortis, famosus coram mundo esse vult, non potest esse prudens aut potens aut famosus in Christo.

In ultimo membro ordinem, quem in duobus prioribus tenuit, Paulus invertit, quia comparatione seposita solam Apostolorum conditionem describere voluit, quae, si carnalibus oculis consideratur, re-

vera miserrima semper fuerat et etiamtum erat; etenim ne Corinthii putarent, praeterita tantum mala describi, in principio et in fine adnotavit illa etiamtum perdurare : 11. *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus,* iis igitur, quae ad vitam degendam necessaria creduntur, omnibus sumus privati; *et colaphis caedimur, et instabiles sumus* (ἀστατοῦμεν circumvagi sumus persecutionibus ex uno loco in alterum fugere coacti), 12. *et laboramus manibus nostris;* ad summam igitur inopiam et egestatem accedunt tormenta ab aliis inflicta molestique labores libere suscepti : quibus non obstantibus *maledicimur et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus,* vel brevius et significantius : λοιδορούμενοι εὐλογοῦμεν, διωκόμενοι ἀνεχόμεθα, βλασφημούμενοι παρακαλοῦμεν. Conviciis benedictionem, persecutionibus patientiam, contumeliis precationes Apostoli opponunt; neque enim aliis armis sese defendere possunt aut volunt. Quam magnificam suae suorumque collegarum conditionis descriptionem Paulus paucis verbis comprehendit et terminat : 13. *Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* En conditio Apostolorum! Profecto mirum non est, quod celerem Christi adventum desiderent, si non pluris aestimantur, quam vilissima quaeque, quae non ex una tantum domo aut ex una civitate, sed ex toto mundo abiiciuntur et abraduntur.

Περικάθαρμα vel κάθαρμα sordes designat, quae e domo aliqua everruntur, περίψημα sordes, quae radendo ab aliqua re auferuntur. At « κάθαρμα Graecis etiam illud est, quod ad purgandum i. e. expiandum adhibetur, quare hoc nomine homines scelerati vocabantur tamquam piaculares, i. e. pro patriae lustratione et expiatione devoti, qui et *sacri* a Latinis appellabantur, quorum sc. capite omnia civitatis aut gentis scelera luebantur, quique ad avertendam deorum iram mactabantur » (*Steph.* Thes. ling. gr. s. v.). Porro περίψημα quoque testibus Hesychio et Suida iuvenis appellabatur, quem olim Athenienses quotannis quasi peccatis omnium civium, ut ea auferret, oneratum velut suum περίψημα (suam expiationem) in mare proiiciebant. Secundariam hanc vocum significationem antiqua *It.* (cfr *S. Ambr.* in Ps. 118 serm. 8,7; *A*[ter] etc.), quae prius vocabulum reddidit *lustramentum*, et *Peschito* indicant, quae alterum reddidit כופרא *piaculum*. Eandem in nostro loco velut certam aut probabilem multi interpretes admiserunt (*Gagn. Iust. Lap. Mar. Men. Tir. Calm. Nat. Pic. Mai.* etc.), idque recte, quoniam etiam in alexandrina versione et περικάθαρμα (*Prov.* 21,18 pro כֹּפֶר) et περίψημα (*Tob.* 5,18 Ed. Sixt.) sensu *piaculi* adhibentur. Itaque Deus Apostolos velut abiectissimos et novissimos ideo

ostendit, ut hac ratione Filio suo magis assimilati ad eius imaginem ipsi quoque certo quodam modo piacula mundi fierent (cfr *Col.* 1,24). Minus probabile est aliorum (*Lap.* etc.) sententia, Paulum ad *Thren.* 3,45 respexisse, ubi Ieremias conqueritur : « purgamentum et contemtum posuisti nos » (סְחִי וּמָאוֹס תְּשִׂימֵנוּ).

IV. — *Conclusio* (4,14-21).

4,14. Non ut confundam vos, haec scribo, sed ut filios meos carissimos moneo. 15. Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per evangelium ego vos genui. 16. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. 17. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus et fidelis in Domino : qui vos commonefaciet vias meas, quae sunt in Christo Iesu, sicut ubique in omni ecclesia doceo. 18. Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. 19. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit : et cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem. 20. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 21. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?

4,14. Οὐκ ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα, ἀλλ' ὡς τέκνα μου ἀγαπητὰ νουθετῶ. 15. ἐὰν γὰρ μυρίους παιδαγωγοὺς ἔχητε ἐν Χριστῷ, ἀλλ' οὐ πολλοὺς πατέρας· ἐν γὰρ Χριστῷ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα. 16. παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς, μιμηταί μου γίνεσθε. 17. διὰ τοῦτο ἔπεμψα ὑμῖν Τιμόθεον, ὅς ἐστίν μου τέκνον ἀγαπητὸν καὶ πιστὸν ἐν Κυρίῳ, ὃς ὑμᾶς ἀναμνήσει τὰς ὁδούς μου ἐν Χριστῷ, καθὼς πανταχοῦ ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ διδάσκω. 18. ὡς μὴ ἐρχομένου δέ μου πρὸς ὑμᾶς ἐφυσιώθησάν τινες· 19. ἐλεύσομαι δὲ ταχέως πρὸς ὑμᾶς, ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ, καὶ γνώσομαι οὐ τὸν λόγον τῶν πεφυσιωμένων, ἀλλὰ τὴν δύναμιν. 20. οὐ γὰρ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐν δυνάμει. 21. τί θέλετε; ἐν ῥάβδῳ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς, ἢ ἐν ἀγάπῃ πνεύματί τε πραΰτητος [1];

Ab acerbissima ducum increpatione ad tenerrimam fidelium exhortationem transiens Apostolus eis magnum, quo eos complectitur, amorem exprimit (14. 15), eos monet, ut se imitentur Timotheumque, quem ad eos misit, audiant (16. 17), atque celerem suum adventum eis annuntiat (18-21).

Mordax ironia, qua Apostolus superbiam ducum factionum castigaverat, pudore etiam fideles omnes afficere debuit, quum viderent, quos magistros relictis genuinis Apostolis sibi elegissent; at in magistris carpendis fideles non confundere, sed monere tantum voluerat. 14. *Non ut confundam vos, haec scribo, sed ut* (velut, tamquam)

1. *V V. L L.* — 15. In fine versus paucissimi minusc. graeci addunt : καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ (*sicut et ego Christi*); eadem vero etiam in plerisque verss. atque etiam in *It.* et antiquioribus *Vulg.* codd. (*Fuld.*, *Am.*, *Demid.*, *Tol.* etc.) desunt; velut glossa igitur ex 11,1 huc translata recte dicuntur. — 17. ἐν Χριστῷ (in Christo) B A E L P, plerique minusc., *Vulg.* (*Am.*, *Demid.*, *Tol.*) et nonnulli PP; sed ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (*in Christo Iesu*) ℵ C D, pauci minusc., multi PP, *It.*, *Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld.* et plerisque codd.), *Copt.*, *Syr.*, *Arm.*

filios meos carissimos moneo. Sicut pater de filiis suis, ita de Corinthiis sollicitus est; atqui pater, si filium punit, non eius poenam sed emendationem vult poenamque velut medium dumtaxat adhibet, ut ad id quod vult perveniat. Eadem ratione Apostolus agens, ut terrorem praecedente increpatione provocatum leniret, verba haec adiecit; alibi vero non tam clementem se erga eos exhibet et ipsam quoque confusionem intendit (6,5; 15,34). Hinc eos hic etiam *filios suos carissimos* (τέκνα μου ἀγαπητά) nominat atque iure suo paterno vindicato legitime se eos ita nominare ostendit : 15. *Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres : nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.* Aliorum quasi interpretationes complectens recte *Thom.* : « Eadem est, quantum ad praedicationem Evangelii comparatio paedagogi ad patrem, quae est rigatoris ad plantatorem et superaedificatoris ad fundatorem ». Paedagogorum enim nomine hic illi magistri intelliguntur, qui post Paulum Corinthum advecti neophytos Christo vix natos ad evangelicam doctrinam instituerant, eis invigilaverant eosque etiam, ubi necesse fuerat, corripuerant et correxerant; haec quippe omnia ad paedagogum pertinent, qui, ut munere suo bene fungi possit, pupillos suae curae commissos etiam magno amore complectatur necesse est. At quantuscumque paedagogi amor erga pupillum est, longissime semper abest ab amore paterno. Patrem autem Paulum solum habuerunt Corinthii, qui in infirmitate et timore et tremore magno apud eos primus Evangelium annuntiavit, ecclesiam fundavit, fideles in Christo Iesu genuit, i. e. in virtute Christi et tamquam eius instrumentum eis novam vitam supranaturalem indidit, vel, ut habet *Cai.*, « velut novum esse substantiale contulit; fides enim (utique viva) est velut esse substantiale in Christiano ». Eodem loquendi modo Apostolus alibi utitur (*Philem.* 10), atque eandem imaginem adhibet, si se Galatas in fide periclitantes iterum cum dolore parturire dicit, donec formetur in eis Christus (*Gal.*, 4,19), quippe qui fide viva receptus novae vitae quasi sit forma substantialis; quam novam vitam, quae habetur per fidem vivam, etiam vocat *novam creaturam* (*Gal.* 6,15 cfr 5,6).

Porro quia filii ad patrem magis quam ad paedagogos suos attendere patrisque potius quam paedagogi exemplum sequi tenentur, sua sponte ex praecedentibus fluit monitum : 16. *rogo ergo vos : Imitatores mei estote* (*sicut et ego Christi*). Qua in re se imitari debeant, Apostolus non exprimit, quia satis patebat, praeprimis humilitatem, quum superbia sit factionum mater, et sui abnegationem, cuius exemplum in genuinis Apostolis proposuerat, esse intelligendam. Recte *Theod.* : « Sicut ego sum modestus, vos modesti estote; sicut ego tribulationes

perpetior, vos patimini; de tribulationibus, non de charismatis mecum gloriamini »[1]. Ut autem se imitari possent, vitae suae rationem eis per fidelem discipulum in memoriam revocari voluit : 17. *Ideo misi ad vos Timotheum*[2], *qui est filius meus carissimus et fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quae sunt in Christo Iesu; sicut ubique in omni ecclesia doceo*. Verba haec nonnulli immediate cum *v*. 15. connectunt : « ideo misi vobis Timotheum, quia vestrum, tamquam filiorum, quos genui, curam gero » (*Chrys. Theoph.*, quos sequitur *Mai.*); at parum recte, siquidem hoc nexu versus 16. otiosa fit parenthesis, quae orationis progressum impedit. Omnia optime cohaerent : « quia filii mei estis, debetis me patrem vestrum imitari; quod ut facere possitis, vobis, filiis meis iunioribus, misi filium seniorem, qui vos commonefaciet vias meas, quas oblivioni dedisse videmini ». Etenim filii carissimi quidem Paulo Corinthii erant, sed Timotheus, quem in primo suo itinere iam ad fidem adduxerat (γνήσιον τέκνον ἐν πίστει eum appellat 1 *Tim*. 1,2) et in secundo itinere individuum expeditionum apostolicarum socium assumserat (*Act*. 16,1 sqq.), ei erat filius carissimus *et fidelis in Domino* i. e. « in rebus, quae ad Dominum sunt » (*Chrys.*), quia totam agendi et vivendi rationem magistri sui perspectam habebat et imitabatur. Ideo idoneus erat, qui eam Corinthiis in memoriam revocaret. Paulum vocabulum ἀναμνήσει elegisse pro διδάξει (*docebit*), ne Corinthios offenderet, quum Timotheus esset iuvenis, censet *Chrys.* (cfr etiam *Dam. Oec. Theoph. Bisp.*); sed Timotheus, licet iuvenis esset, in fundanda tamen ecclesia corinthia iam Apostoli socius fuerat et in secunda epistola, quae paucis tantum mensibus postea scripta est, velut magister una cum Paulo

1. Alterum membrum in *Vulg. Clem.* expressum *hic* non esse genuinum, sed ex 11,1 huc translatum, diximus (cfr *VV LL*); *Thom.* tamen illud hic explicat hac ratione : « *In tantum* ergo Corinthii debebant Paulum imitari, ut patrem, *in quantum* et ipse Christum imitabatur, qui est omnium principalis pater. Et per hoc subtrahitur subditis occasio, ne adhaereant malis exemplis praelatorum : unde in hoc solo subditi praelatos imitari debent, in quo ipsi Christum imitantur, qui est infallibilis regula veritatis ». Quae sententia, etsi per se est verissima, huius tamen loci interpretationi non inservit; postquam enim tam severe prohibuit, ne fideles de suis magistris iudicarent (4,1-5), eosque ad humilitatem exhortatus est, Paulus eis ius iudicandorum magistrorum tribuere non potuit; id quod faceret, si particula *sicut* hoc in loco significaret idem, quod « eodem gradu, quo » (« in quantum, in tantum »). Melius *Chrys.* : « Quanta doctoris fiducia! quam accurata oportet sit imago, quum etiam alios ad eam imitandam provocet! Neque tamen ex superbia hoc fecit, sed ut facilem esse virtutem ostenderet. Nolite enim mihi dicere : Non possumus te imitari, tu enim doctor magnus es! tantum enim spatium inter me et vos non interest, quantum inter Christum et me; equidem tamen illum imitatus sum. Ceterum etiam ostendit, illos hac ratione Christum ipsum imitari; etenim qui accuratam alicuius effigiem imitatur, ipsum quoque archetypum imitatur ».

2. De hoc Timothei itinere Cfr *Prolegomena* 2. p. 6.

et Silvano nominatur (2 *Cor.* 1,19); rectius alii omnes cum *Theod.* tenent, verbum hoc adhibitum esse, quia Corinthii « ipsi spectatores fuerant apostolicae virtutis ». Porro *vias suas, quae sunt in Christo Iesu* Apostolus non nominat doctrinam suam (*Thom*[2]. *Est*[2]. *Pic. Mai. M.Ev. Bisp. Dr.* — acath. nonnulli), nam hic sensus in Novo Test. vocabulo (ὁδός) non competit, nisi singulari numero dicitur (*Act.* 9,2; 19,9. 23; 24,14. 22), atque apud profanos quoque numerus plur. (ὁδοί) nusquam de unius systematis doctrinis sed de discrepantibus systematis legitur (*Lucian.* Hermot. 16). Quare cum communiore sententia tenendum est, « vias (ὁδούς) designare actus » (*Theod.*) vel « processus i. e. omnia opera » (*Thom*[1].), quae *Chrys.* singulatim enumerat : « dispositiones, pericula, mores, leges, statuta et alia omnia », uno verbo totam Apostoli agendi et vivendi rationem, quae tota erat *in Christo Iesu*, quum in toto suo munere solum Christum prae oculis haberet eiusque solius auxilio fretus illud impleret. Timotheus vero, qui iam a compluribus annis Paulum continuo secutus erat, hanc eius agendi rationem, quam in omnibus ubique ecclesiis tenuit, melius, quam reliqui cognoverat ac proin Corinthiis tradere potuit, ut certi essent, nihil a se postulari, quod ab aliis ecclesiis non eadem ratione postulabatur. Ceterum verba : *sicut in omni ecclesia doceo*, nec de argumento nec de modo praedicationis intelligenda sunt, sed de tota agendi ratione, quam tamquam doctor et Apostolus tenuit, quamque in oppositione ad agendi rationem ducum factionum descripserat.

Ad eosdem se iterum convertit in sequentibus versibus. Uti obscure iam innuit *A*[ter], clarius autem nonnulli recentiores (*Iust. Calm.* etc.) et moderni (*Mai. Bisp. I.R. Ramb.*) tenent, Pauli adversarii rumorem sparserant, eum Corinthum reverti non audere, postquam Apollo maiore sua eloquentia et sapientia maiorem famam sibi acquisivisset (*cfr* 2 *Cor.* 10,9-11). Ne Timothei igitur missione hunc rumorem confirmare videretur, Apostolus se mox ad eos reversurum esse promittit : 18. *Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam.* Sicut « pueri absente magistro segniores fiunt » (*Chrys.*), sic aliqui eius adversarii absentia eius abusi erant, ut magis intumescerent; sed « quemadmodum leone praesente omnia terrentur animalia, ita praesente Paulo pertimescebant ecclesiae corruptores »; quare subiunxit : 19. *Veniam autem ad vos cito, si Domino placuerit* (*Act.* 16,7; *Rom.* 15,32; cfr *Iac.* 4,15), *et cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem.* Tamquam iudex igitur veniet atque sententiam suam non iuxta sermonum pulchritudinem et eloquentiam, quibus gloriantur illi doctores, sed iuxta fructus feret, quos produxerunt. 20. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Regnum

Dei, i. e. Ecclesia, splendidis et superbis concionibus nec sua initia nec sua incrementa debet; sola enim efficaci praedicatione Evangelium propagatur; efficaciam vero suam praedicatio ex naturali praedicatoris scientia et eloquentia aliisve eius donis non haurit, sed ex adiuvante Spiritus S. gratia (*cfr ad* 2,5), qua « elocutio simplex quoque et vulgaris plurimum prodest facemque splendidam praefert ad veram rerum divinarum notitiam assequendam atque homines ad omne opus bonum reddit idoneos ».

Hinc pro conclusione interrogat : 21. *Quid vultis?* Optio enim vobis datur et a vestra libera electione res dependet : *in* (i. q. *hebr.* בְּ cum) *virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?* Ad quae verba interpretes monent, duo haec non ita inter se opponi, ut unum alterum excludat : « hoc autem non dicit, quia in virga veniens non cum caritate veniret, sed quia ille, qui virga castigatur, non sentit dulcedinem caritatis » (*Thom.*); similiter *S. Aug.* (c. ep. Parmen. III. 3.) : « Numquid virga sine caritate est, quia ita contexuit : *in virga veniam an in caritate?* Sed quod sequitur : *et spiritu mansuetudinis,* admonet intelligi, quia et virga caritatem habet. Sed aliud est caritas severitatis, aliud caritas mansuetudinis; una quidem caritas est, sed diversa in diversis operatur ».

Simili modo, quo 2,5, etiam hoc in loco expressio *in virtute* diversimode explicatur. Alii etiam hic virtutem patrandorum miraculorum intelligunt (*Chrys. Dam., Theoph. Al^{er} Cai.*); sed bonus doctor non ex eo dignoscitur, utrum miracula patraverit necne; neque satis recte quoque Ecclesia virtute miraculorum exsistere dicitur, licet miracula ad eam dignoscendam inserviant. Alii virtutem sensu ethico de vita virtutibus ornata intelligunt (*Theod. Oec. Pel. Herv. Thom. Dion. Pic.* etc.), at δύναμις hunc sensum non admittit, nisi forte dicatur, vocabulo δυνάμεως illam vim et efficientiam designari, qua exercitium bonarum actionum in aliis excitatur et provocatur; sed haec explicatio cum nostra fere consentit.

Theod. iam a *v.* 18. alteram particulam, in qua de incestuoso sermo sit, inchoari censet; alii (*Oec. Cai. Est.*) saltem *v.* 21. eiusdem esse introductionem putant, dum *Chrys.* cum plerisque eum pro conclusione prioris sectionis habet. Iamvero negari nequit, in 5,2 Apostolum ad 4,18 respicere, neque est dubium, quin *v.* 21. et tractatum de schismatis apte claudat et sequentem apte inchoet. Quare dicendum videtur, Apostolum in peroratione prioris iam alterum prae oculis habuisse atque *v.* 21, qui nec exclusive ad primum nec ad solum secundum pertinet, orationem a priore argumento ad alterum traduxisse; neque enim sine arte ab una ad alteram partem transire argumentationemque suam praeparare solet (*cfr ad* 1,17; 3,4). Ac profecto assertio potestatis coercendi et castigandi, quam a Domino acceperat ad aedificationem non ad destructionem Ecclesiae (2 *Cor.* 10,8; 13,10), Corinthios permovere debuit, ut eadem cum diligentia et suum partium studium superbiamque suam deponerent et scandala, quae in eorum ecclesia inveniebantur, auferrent.

§ 2. *De societate peccatorum vitanda* (5,1-13).

Vanis suis dissensionibus schismatisque distenti et opinata sua sapientia inflati Corinthii ad internum ecclesiae suae profectum parum attenderant neque severae disciplinae ecclesiasticae exercitio vitia supprimere divinarumque legum observationem promovere studuerant. In priore aliqua epistola (hodie deperdita) Apostolus iam contra fornicarios acriter invehi reliquisque fidelibus, ut ab eorum societate sese retraherent, imperare debuerat. Quo praecepto (quod neophyti, ut videtur, non satis intellexerant *cfr ad* 5,9 sqq.) non obstante negligentia et incuria eorum tantopere creverat, ut virum, qui cum uxore patris sui publice vivebat, in ecclesia retinerent. Gravissimum erat scandalum, nec ullum remedium ab ecclesiae praepositis, ut videtur, adhibitum, quia de suorum Apostolorum maiore minoreve sapientia disputare, quam subditorum moribus invigilare malebant. Hinc Paulus occasionem arripit, ut non tantum eorum superbiam retundat, sed etiam praeceptum suum de peccatoribus vitandis commendet et accuratius explicet.

Iamvero tripartita est haec sectio : praeprimis enim Apostolus fideles ob peccatorem ex ecclesia non eiectum vehementer increpat gravi descripta poena, quam ille meritus sit (5,1-5), monitum deinde suum de eiiciendis peccatoribus commendat (6-8), atque praeceptum antea datum explicat (9-13).

a.) Corinthiorum reprehensio ob incestuosum in ecclesia retentum (5,1-5).

5,1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* 2. *Et vos inflati estis : et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* 3. *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi ut praesens, eum qui sic operatus est,* 4. *in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu,* 5. *tradere huiusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi.*

5,1. Ὅλως ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία, καὶ τοιαύτη πορνεία ἥτις οὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὥστε γυναῖκά τινα τοῦ πατρὸς ἔχειν· 2. καὶ ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐστὲ καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε, ἵνα ἀρθῇ ἐκ μέσου ὑμῶν ὁ τὸ ἔργον τοῦτο ποιήσας; 3. ἐγὼ μὲν γὰρ ἀπὼν τῷ σώματι, παρὼν δὲ τῷ πνεύματι, ἤδη κέκρικα ὡς παρὼν τὸν οὕτως τοῦτο κατεργασάμενον 4. ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος σὺν τῇ δυνάμει τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ 5. παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ σατανᾷ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός, ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου [1].

1. *VV. LL.* — 1. ἥτις οὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν (*qualis nec inter gentes*) B ℵ A C D E F G

Quemadmodum priorem reprehensionem (*cfr ad* **1,11**), ita hanc quoque Apostolus ab enunciato peccato inchoat, quod reprehendere vult (5,1); sequitur deinde reprehensio (*v.* **2**), ad quam augendam indicat, qua poena ipse crimen tam enorme plectendum censuerit (3-5).

1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Quantum horrorem hoc crimen in Pauli animo excitaverit, *Chrys.* iure ex exordio hoc colligit : « Quando de eorum dissensione disserebat, non statim vehemente usus est oratione, sed mansuetius ab initio locutus ad accusationem pervenit. Hic autem non sic, sed statim pungit et, quantum fieri potest, criminis exprobrationem omnibus communem reddit; neque enim dixit : ille fornicatus est, sed : *omnino auditur inter vos fornicatio,* ut ne quasi ab illa incusatione alieni negligenter agerent, sed simul percussi et accusati omnes solliciti redderentur. Nemo enim, inquit, dicit : ille fornicatus est, sed : in Corinthiorum ecclesia factum est peccatum ». Accusatio vero est duplex : omnino (ὅλως) audiri fornicationem et talem quidem, quae vix credi possit : triste iam est, quod in ecclesia fornicatio non cessaverit, tristissimum autem, quod tam horrendum facinus committatur. Vocabula *inter vos* non cum verbo *auditur,* sed cum subiecto *fornicatio* coniungenda sunt (πορνεία ἐν ὑμῖν sc. οὖσα); testes vero, a quibus hoc audierit, Paulus non nominat (*cfr* **1,11**), quia agitur de re, quae pervulgata erat. Non levi quodam rumore, sed constante fama auditur, inter vos fornicationis crimen committi, neque fornicationem tantum illam, quae tum temporis ab ethnicis pro peccato vix ac ne vix quidem habebatur, sed talem,

pauci minusc., *It. Vulg., Copt., Arm., Aeth.*; male *text. rec.* addit : ὀνομάζεται (nominatur) cum L P, longe plurimis minusc., *Syr.* et multis PP. gr. — 3. ἐγὼ μὲν γάρ (nam ego quidem) est communis lectio Graecorum et versionum; latina autem versio particulam causalem γάρ (nam) praetermisit. — ἀπὼν τῷ σώματι (*absens corpore*) B ℵ A D I P, pauci minusc., *Vulg. Syr., Copt., Aeth.*; minus apto *text. rec.* : ὡς ἀπών (velut absens) cum E F G L, plerisque minusc. et PP. gr. — τὸν οὕτως τοῦτο κατεργασάμενον (eum, qui sic hoc operatus est) est communis lectio Graec.; sed τοῦτο (hoc) omittunt F G, *It., Vulg.* — 4. 5. Magna est varietas lectionum in ter repetito nomine Domini. In primo loco legendum videtur τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ (*Domini nostri Iesu Christi*) cum D E F G L P, plerisque minusc., *It., Vulg., Copt., Arm.*, licet aliqui boni codd. aut ἡμῶν aut Χριστοῦ omittant. In secundo loco eadem lectio videtur praeferenda, quamvis etiam boni codd. Vulg. (*Fuld., Am., Tol.* etc.) dissentiant, qui cum multis graecis etc. aut « nostri » aut « Christi » aut utrumque vocabulum omittant. Atque etiam in tertio loco equidem eandem lectionem praefero, quam cum Vulg. tenent A F G P nonnulli minusc., *Syr., Copt., Arm.* et multi PP. graeci. Multo sollemnior et gravior est sententia, si ter completum nomen *Domini nostri Iesu Christi* repetitur.

a qua ipsi ethnici, inter quos vivunt, tantopere abhorrent, ut inter illos non inveniatur.

Quam describit verbis : *ut uxorem patris sui aliquis habeat*, vel sicut maiore cum vi textus graecus habet : ὥστε γυναῖκά τινα τοῦ πατρὸς ἔχειν; eo enim, quod inserto τινὰ substantivum γυναῖκα a suo genitivo τοῦ πατρός separatur, horror exprimitur, quod *patris* sui aliquis audeat habere *uxorem*. Nomen peccatoris tacetur, quia omnibus notum erat; eum fuisse virum insignem, immo unum ex factionum ducibus, suspicantur *Chrys.* et *Theod.* cum aliis, sed argumentis probabile non reddunt; Iudaeochristianum eum fuisse, moderni quidam coniecerunt (*Bisp.* etc.), quia rabbini docuissent, ingressu in novam societatem religiosam omnia vincula, etiam naturalia, solvi[1]; alii utrum ex Apollonianis an ex Petrinis etc. fuerit, inquirunt, at pro suo quisque ingenio hisce quaestionibus respondet. Expressione *uxoris patris* intelligi novercam, omnes consentiunt; hoc autem loquendi modo Apostolus utitur, ut indicato patre, qui etiamtum superstes erat (*cfr* 2 *Cor.* 7,12), crimen augeat et simul legem mosaicam, qua eiusmodi matrimonia prohibebantur, in memoriam revocet; lex enim eandem expressionem habet (*Lev.* 18,8; *Deut.* 22,30). Mulierem ethnicam fuisse, aut saltem non christianam, recte concludunt plerique, quia Apostolus ne verbulo quidem eam vituperet (*cfr v.* 12), id quod facere non omisisset, si ipsa quoque fidelis fuisset.

Quo sensu Apostolus vocabulo πορνείας (fornicationis) hic utatur, utrum de ***concubinatu*** incestuoso et adulterino, an de ***matrimonio*** propter incestum invalido, quaeritur. Patres hac de re non loquuntur; ***Thom.*** in sua pericopae explicatione ita loquitur, ut de matrimonio agi supponere videatur, licet id diserte non affirmet; de matrimonio agi definite negant ***Iust. Est. Lap.*** recentioresque multi, qui ab illis dependent, neque minus claro asserunt moderni plurimi (***Mai. Bisp. L R. Ramb.***; — acath. plerique); idque recte. Etenim expressio ἔχειν γυναῖκα (mulierem ***habere***), etsi a profanis scriptoribus de concubino usurpatur (***Diog. Laert.*** 2,75 etc.; latinum ***habere*** eodem sensu ***Terent.*** Andr. I. 1,58), in Scripturis de solo marito, uti

1. Ad quam sententiam confirmandam ex *Maimonide* haec verba affert *Wolf* (Curae philol. III. 364) : « Cathaeus (i. e. « non Iudaeus »), ex quo factus est proselytus, ecce censetur tamquam infans natus, omnisque carnis propinquitas, quae illi fuit, quum adhuc gentilis esset, iam non amplius propinquitas putatur... Propterea ducere potest proselytus uxorem sui fratris vel uxorem patrui, quin et *uxorem patris* et uxorem filii, etiamsi nupta sit fratri, patri aut patruo, dummodo ad iudaicam religionem transierint ». Quia Paulus in ep. ad *Gal.* (6,15), quam Corinthi paucis annis antea scripserat, de *nova creatura* locutus erat, quae sola in Christianis aliquid valeat, fieri utique potuit, ut aliquis hanc expressionem non intelligens, iuxta rabbinicam illam doctrinam, si tum temporis iam erat inter Iudaeos recepta, ex illa tam perversam sequelam derivaret. Indoctos et instabiles homines sententias paulinas intellectu difficiles ad suam ipsorum perditionem depravasse, Petrus iam monet (2 *Petr.* 3,16).

ἄνδρα ἔχειν (*virum habere*) de sola uxore (*Ioan.* 4,17. 18; 1 *Cor.* 7,13; *Gal.* 4,27) ita adhibetur, ut matrimonium saltem attentatum vel opinatum supponat. S. Ioannes Bapt. Herodi, qui fratris uxorem *duxerat* (ἐγάμησεν) dixit : « non licet tibi eam *habere* » (*Marc.* 6,17. 18 cfr *Matth.* 14,4), atque eadem ratione de legitimo matrimonio recurrit expressio saepius (*Matth.* 22,28; *Marc.* 12,23; *Luc.* 20,28. 33; 1 *Cor.* 7,12. 29.). Scripturae igitur modus loquendi explicationi, quam praeferimus, favet; atqui accedit, quod ille, qui uxorem patris *habere* dicitur (*v.* 1), hoc opus *fecisse*, sic *operatus esse* asseratur (2. 3.); quae temporum praesentis (ἔχειν) et praeteriti (ποιήσας, κατεργασάμενος) variatio optime explicatur, si de matrimonio attentato sermo est; de concubinatu enim etiam in *vv.* 2. 3 praesens adhiberi debuit. Porro hanc *fornicationem* ne *inter gentes* quidem esse ait Paulus; at incestuosi et adulterini concubitus exempla in ipso populo israelitico inveniri, procul dubio non ignoravit (*Gen.* 35,22 de Ruben, Iacobi primogenito; 2 *Reg.* 16,21 sqq. de Absalome, Davidis filio), neque profecto inter gentes multo plura inveniri negare voluit. At vera sunt Pauli verba, si de matrimonio incestuoso intelliguntur, quod Graeci et Romani legibus prohibuerant et a quo abhorrebant[1]; sed hosce nomine *gentium* maxime intelligit, quum fidelibus in Graecia sub Romanorum dominio degentibus scribat[2]. Unica contra hanc sententiam affertur obiectio : « Quomodo potuit eam ducere uxorem, quando ne gentilium quidem leges aut mores tale matrimonium sustinebant? » (*Est.*) Respondemus, in urbe ἐπαφροδιτάτῃ, quae ob libidinem famosa erat, matrimonia sectae alicuius despectae (sc. Iudaeorum, quibuscum Christiani confundebantur, cfr *Act.* 19,12 sqq.) magistratibus parum curae fuisse; neque improbabile est, Romanis, qui populos sibi subiectos iuxta eorum pristinas leges plerumque vivere sinebant, legislationem matrimonialem Iudaeorum fuisse incognitam.

Itaque cum modernis plerisque censemus, Paulum incestuosum matrimonium nomine πορνείας designare; iamvero huic loco, ex quo haec significatio perspicue demonstratur, innixis licet nobis eandem etiam vocabulo πορνείας in *Act.* 15,39 atque *Matth.* 5,32 et 19,9 attribuere. Priore enim in loco fornicationem proprie dictam intelligendam esse, difficile est creditu; facile autem intelligitur, Apostolos, ut Ethnicochristianos cum Iudaeochristianis intimius unirent, neophytis ethnicis, uti esum illorum ciborum, a quibus Iudaei abhorrebant, ita etiam matrimonia inter consan-

1. Quantopere Romani incestuosa matrimonia detestati sint, docent verba *Cic.* (p. Cluentio 5,6) : « Nubit genero socrus; o mulieris scelus incredibile et praeter hanc unam in omni vita inauditum ». Quid dixisset, si privignus novercam patre suo vivo ducere ausus esset?

2. Interpretes nonnulli (*Est. Iust. Lap. M Ev.*, *Dr.* etc.) difficultatem in eo inveniunt, quod inter gentes talis fornicatio non inveniri dicatur, licet apud Persas aliosque populos antiquos matrimonia incestuosa lege non fuerint prohibita. Sed evidens est, Apostolum ethnologicas aut archaeologicas inquisitiones non fecisse, antequam hanc phrasin scriberet, sed de illis gentibus locutum esse, inter quas ipse et lectores eius versabantur. Quare non recte quoque aliqui in his verbis hyperbolen deprehendere volunt (*Pic.* etc.); alibi quidem Apostolus hyperbolis utitur, sed hac in phrasi nullum est hyperbolae vestigium.

guineos et affines iuxta legem mosaicam interdixisse. Porro significationem *adulterii*, quae duobus aliis in locis plerumque vocabulo πορνείας attribuitur, vocabulo revera competere, nullo exemplo ex Novo Test. (etiam non *Ioan.* 8,41) desumto demonstratur; uno alterove in loco πορνεία sensu quodam indefinito omnem impuritatem designare videtur (1 *Thess.* 4,3), nusquam definito *adulterii* sensu adhibetur. Sed haec fusius explicare et demonstrare non est huius loci.

Quoniam igitur fratrem aliquem matrimonium ipsis ethnicis, inter quos degebant, detestandum attentare passi sunt, Apostolus Corinthios increpat, atque ad confusionem eorum augendam, quam parum hic agendi modus cum opinata eorum sapientia consonet, insinuans cum vehementia quadam exclamat : 2. *Et vos inflati estis! et non magis* (potius) *luctum habuistis, ut* (ἵνα) *tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit!* Corinthios accusari, quod de peccatoris illius doctrina et scientia superbierint, censet *Chrys.* cum aliis Graecis; at ex verbis apostolicis hoc non colligitur, sed in ea ingeritur. Se venturum esse, ut non sermonem, sed virtutem eorum, qui inflati essent, cognosceret, Paulus promiserat (4,19), atque statim exemplum eis affert, ex quo ipsi diiudicent, quae sit eloquentiae et sapientiae corinthiae virtus. Merito *A^ter^* : « Superbiam eorum in tantum humiliat, ut non querulos iam, sed magis supplices (poenae reos) eos faciat; erant enim et ipsi participes, quum paterentur reum tam ingentis facinoris secum incorreptum convenire ». Neque tantum non gloriandi et superbiendi causam illis esse docet, sed potius luctus agendi de tam nefando crimine; qui luctus eos instigare debuit, ut ex sua ecclesia talem peccatorem eiicerent. At nihil horum fecerant neque Apostolum suum imitati erant, qui multo severius de eo agendum esse censuerat, quamprimum sceleris illius nuntium acceperat : 3. Nam *ego quidem, absens corpore praesens autem spiritu, iam iudicavi ut praesens, eum qui* sic[1] *hoc operatus est* 4... 5. *tradere huiusmodi satanae.*

Stuporis sui, quod hominem illum a coetu suo ne separaverint quidem, causam Apostolus indicat; hinc illud ἐγὼ μὲν γάρ (*nam* ego quidem graviorem poenam imponendam esse censui). In sententiae constructione levis reperitur anacoluthus, siquidem accusativus (τὸν οὕτως τοῦτο κατεργασάμενον, eum qui sic hoc operatus est) *v.* 3. iam expressus post longiorem interiectionem alia forma (τὸν τοιοῦτον, huiusmodi, illum talem) *v.* 5. repetitur; uterque enim dependet a verbo *tradere*

1. Illud *sic*, quod iuxta testes criticos inserendum diximus (*VV. LL.*), res quasdam indicat, quae culpam peccatoris augebant. Quaenam hae essent, cognitum erat Corinthiis, nobis incognitum est.

(παραδοῦναι); minime vero primus a *iudicavi* (κέκρικα), alter a *tradere*, nisi admittere velis, Apostolum verbum κέκρικα duplici sensu (*iudicium exercui de* et *statui*) adhibuisse et duas constructiones permiscuisse. Sensus phraseos igitur est : « Nam ego statui (κέκρικα, iudicavi i. e. decrevi vel statui *cfr* 2,2) talem peccatorem tradere satanae » ; atque hoc « absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavit ut praesens ». Dum Corinthii schismatis suis occupati, quamvis praesentes essent, nihil ad tollendum scandalum egerunt, Paulus *iam* i. e. sine mora, vix audito crimine, statuit, quid esset faciendum. Licet enim corpore esset Ephesi, spiritu tamen, cura et sollicitudine sua, ecclesiam a se fundatam non reliquerat ideoque velut praesens de hac re statuere potuit.

Iam traditionis quam statuerat, modum nunc describit (*v.* 4) et finem indicat (*v.* 5.). Sententia, quum esset gravissima, sollemni ritu ferenda erat : « ego statui hunc 4. *in nomine D. N. I. Christi, congregatis vobis et meo spiritu cum virtute D. N. I.*, tradere satanae ». Diversissimo modo haec verba inter se connectuntur; neque enim satis elucet, quo duo membra : *in nomine D. N. I. Chr.* et *cum virtute D. N. I.* sint trahenda. Reiiciendae quidem sunt duae opiniones, quarum una a *Chrys.* iam reprobata prius membrum cum immediate praecedente (*qui sic operatus est*) ita coniungit, ac si *in nomine D. N.* sit idem, quod *contra nomen D. N.*, altera ab *Herv.* (cfr *Thom. Lap.* etc.) approbata idem membrum ad verba *ego iudicavi* trahens duas constructiones permiscet. Quatuor vero aliae grammatice licitae inter antiquos et modernos interpretes fautores invenerunt. Etenim utrumque membrum alii cum *congregatis* (*Theod.* etc.), alii cum *tradere* (*Alter* etc.) connectunt, sed hoc nexu tautologiam quandam exoriri patet. Alii prius membrum cum *congregatis*, alterum cum *tradere* connectunt[1] (*Chrys.* etc.), alii demum prius cum *tradere*, alterum cum *congregatis* coniungunt (*Est.* etc.). Quem ultimum nexum, utpote faciliorem, equidem praefero; Paulus, si directo sermone usus esset, dixisset : « Congregatis vobis et meo spiritu cum virtute D. N. I., ego in nomine D. N. I. Chr. hunc trado satanae ».

In sollemni igitur totius ecclesiae congregatione, cui Paulus praesens spiritu praesidet et in qua Christus adest (*Matth.* 18,20), ut virtute sua sententiae Apostoli vim et efficaciam tribuat, in nomine

1. Qui hunc nexum praeferunt, verba σὺν τῇ δυνάμει τοῦ K. ἡ. 'I. Χρ. (*cum* virtute D. N. I. Chr.) ita explicant, ut praepositio σὺν notionem auxilii accipiat (adiuvante virtute D. N.). At hanc significationem praep. σύν apud profanos quidem scriptores interdum habet (σὺν τῷ θεῷ adiuvante Deo), sed nusquam in Novo Test.; multo melius coniungitur : συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ πνεύματός μου σὺν τῇ δυνάμει τοῦ Κυρίου.

Domini N. peccator dicitur satanae tradi 5. *in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. I. Chr.* Quae ultima verba poenam esse medicinalem innuunt; ideo enim satanae traditur, ut ad poenitentiam adductus et cum Deo suo reconciliatus locum inter salvatos in die ultimi iudicii inveniat. Ex *Tert.* (de pudic. 13.), qui poenitentibus remitti peccata negavit, plane erroneam explicationem recepit *A^ter*, quae deinde in *Gl. ord.* transiit atque ex ea ab ipso *Thom.* velut probabilis recepta est. Spiritus sc. ab eo intelligitur non hominis peccatoris, sed spiritus Ecclesiae, « i. e. ut Spiritus Sanctus Ecclesiae salvus sit fidelibus in die iudicii, ne sc. perdant eum per contagionem peccatoris » (*Thom.*). At eiusdem, cuius *caro* interire debet, etiam spiritum intelligi, manifestum est; spiritus solius autem salutem ab Apostolo nominari monet *Chrys.*, « quia in confesso sit, illo salvo etiam sine ulla contradictione corpus salutis particeps fore » (cfr *S. Ambr.* de poen. I,17).

Verumenimvero probe attendatur oportet, Paulum his verbis nec ipsum sententiam ferre, nec Corinthiis praescribere, ut illam ferant. Eum ipsum sententiam non tulisse, verba clare docent (iam *iudicavi tradere;* non : iam tradidi); quid autem Corinthiis faciendum sit, statim dicet (*vv.* 7. et 13); id unum igitur enuntiat, quam gravem poenam, statim atque criminis fama ad eum perlata est, peccatori illi infligere cogitaverit, atque gravissimam hanc castigationem leviori illi opponit, qua Corinthii ob suam socordiam peccatorem nondum afflixerant sed eum affligere in sequentibus versibus iubentur (*cfr ad* 2 *Cor.* 2,10).

Multi quidem interpretes eandem poenam designari censent, si peccator *de medio fidelium tolli* (*v.* 2. 13) et *satanae tradi* (*v.* 5) dicitur. Multis verbis *Est.* demonstrare conatur, traditione satanae nihil aliud designari nisi « eiectionem peccatoris ac separationem a societate fidelium, i. e. excommunicationem maiorem, maxime eam, quae nominatim ac publice, sollemnibus adhibitis, adversus aliquem fulminatur ». Qua in sententia pauci cum eo consentiunt, atque illi ipsi, qui de una poena per totam pericopen agi censent, tamen aliquid plus, quam excommunicationem maiorem, qualis vulgo intelligi solet, describi merito tenent. Nam peccator satanae *in interitum carnis* tradi dicitur, ad quae verba explicanda non sufficit dicere, finem traditionis fuisse « destructionem carnalis cupiditatis, quae in illo homine dominabatur », sed antiqui interpretes omnes et moderni plerique simul modum indicatum vident, quo haec carnalis cupiditas destruatur. Ipso enim Estio fatente Graeci omnes cum *Chrys.* tenent, eum satanae sic tradi, « sicut et in beato Iob factum est sed non ob eandem causam; nam illic pro splendidioribus coronis, hic pro peccatorum remissione, ut flagellet eum satanas malo ulcere aut alio morbo ». Cum qua communi Graecorum explicatione ex Patribus latinis consonant *S. Pacianus* (ad

Sympron. Novatianum ep. 3,18.), *S. Ambrosius* (de poenit. I. 13.), *S. Augustinus* (c. ep. Parmen. III. 1.) etc., ex interpretibus longe plurimi (*A^ter* in 1 *Tim.* 1,20, *Pel. Prim. Sed. Rhab. Haym. Gl. ord. Herv*[1]. *Lomb*[1]. *H Car. Thom*[1]. *Lyr. Dion.*[1] *Cai. Lap. Sa, Men*[2]. *Tir. Gord. Nat. Pic. M Ev. Bisp. L R. Ramb.*, quibus, si quis voluerit, acatholicos multos addere poterit). Iuxta communem igitur non tantum Graecorum sed etiam Latinorum interpretationem satanae tradi is dicitur, qui ex ecclesia ita expellitur, ut simul corpus eius dominio satanae subiiciatur, qui eum morbis aliisve corporis afflictionibus vexet ad carnis cupiditatem destruendam. Eadem expressionis significatio altero in loco, ubi Paulus se Hymenaeum et Alexandrum satanae tradidisse scribit, ἵνα παιδευθῶσιν μὴ βλασφημεῖν (1 *Tim.* 1,20), ipso verbo παιδεύειν satis clare insinuatur, quippe quod corporalem castigationem connotet (*cfr* 11,32; 2 *Cor.* 6,9; *Hebr.* 12,4-11; *Luc.* 23,16. 23). Revera Patres Apostolis hanc potestatem adscribunt, « ut, sicut ab obsessis poterant daemones eiicere, ita enormiter delinquentes potuerint daemoni tradere corporaliter tribulandos » (*Dion.*), neque tamen, ut monet *Thom.*, Apostoli satanae peccatores tradiderunt, « ut eius potestati perpetuo essent subiecti, sed ut carnis vexatione ad poenitentiam converterentur ». Etsi igitur non negamus, traditos satanae etiam illos dici *posse*, qui ex Ecclesia expulsi eiusque gratiis privati incursionibus satanae facilius vincuntur (cfr *Grat.* Decret. II. c. 11. qu. 3 c. 21 et 32), omnino tamen ab Apostolo hac expressione graviorem et extraordinariam poenam designari tenemus, quae « in primitiva Ecclesia ad fidei confirmationem » (*Dion.*) a solis Apostolis iniungebatur. Neque ullo modo gravissima haec poena nudis verbis αἴρειν vel ἐξαίρειν ἐκ μέσου (*e medio tollere*) exprimitur; illis enim excommunicatus procul dubio tamquam vitandus, sed non tamquam a satana cruciandus designatur[1].

Interroganti, quomodo Apostolus tam gravi poena hominem affligere potuerit, antequam in eius crimen et contumaciam inquisiverit, iam respondimus, Paulum nec sententiam ipsum tulisse nec praecepisse, ut Corinthii suo nomine eiusmodi sententiam ferrent; id unum expressit, quanta castigatione tam enorme crimen, de quo publica fama constabat, dignum iudicaret. Quod si vero Corinthios eum eiicere iubet, id iuxta usitatum modum fieri debere per se erat clarum.

Ceterum si acatholici ex hoc loco colligunt, ius puniendi et excommuni-

1. *S. Aug.* (l. c.) duas explicationes videtur coniungere : « Quid ergo agebat Apostolus, nisi ut per interitum carnis saluti spirituali consuleret, ut *sive aliqua poena vel morte corporali,* sicut Ananias et uxor eius ante pedes Petri ceciderunt, *sive per poenitentiam*, quoniam satanae traditus erat, interimeret in se sceleratam carnis concupiscentiam? » Hinc utraque explicatio in *Gl. ord.* transiit, atque ita factum est, ut *aliqui* scholastici interpretes utramque eodem ordine traderent (*Herv. Lomb. Thom.*). Errat autem *Est.*, si in hac quaestione latinos interpretes graecis opponit, quum ne unus quidem ex antiquioribus Latinis sit, qui explicationem a Graecis datam praetermittat, nedum impugnet; immo *A^ter* (in 1 Tim. 1), *Pel. Prim. H Car.*, quos velut suae sententiae patronos allegat, eam ne commemorant quidem, sed solam communem proponunt, quam a se praeferri etiam alii, quos *Est.* in suam sententiam trahit (*Herv. Lomb. Thom.*), satis clare ostendunt.

candi penes totam ecclesiam esse, non animadvertunt, Paulum de se solo tamquam puniente loqui atque ecclesiam eum solum in finem congregari, ut traditio illa maiore cum sollemnitate fiat. Neque ex eo, quod fideles incestuosum eiicere iubentur, sequitur eos democratico quodam modo hac de re statuere debuisse; uti in multis aliis locis hierarchica ecclesiae constitutio, quae tot certis testimoniis scripturisticis demonstratur, cognita supponitur.

b.) *Praeceptum de peccatoribus ex ecclesia reiiciendis* (5,6-8).

5,6. ***Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?*** 7. ***Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.*** 8. ***Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae: sed in azymis sinceritatis et veritatis.***

5,6. οὐ καλὸν τὸ καύχημα ὑμῶν. οὐκ οἴδατε ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ; 7. ἐκκαθάρατε τὴν παλαιὰν ζύμην, ἵνα ἦτε νέον φύραμα, καθὼς ἐστε ἄζυμοι· καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. 8. ὥστε ἑορτάζωμεν μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ, μὴ ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας, ἀλλ' ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας[1].

Horrore et luctu perculsus iterum exclamat Apostolus : 6. *Non* (*est*) *bona gloriatio vestra* (per litoten pro : mala, immo pessima est gloriatio vestra). Etiam hic Apostolum Corinthios vituperare, quod de sapientia illius peccatoris gloriati sint, *Chrys.* aliique non recte suspicantur; de illa potius superbia loquitur, quam antea (4,6 sqq. 18 sq.) iam vituperaverat; profecto gloriari non potuerunt, qui in sua ecclesia tam scelestum hominem retinuerunt. Unde sua sponte nunc profluit praeceptum, ut eum eiiciant; proverbium tamen quoddam praemittit, quo cognoscant, quantum sit periculum si eum diutius in medio suo remanere sinant. *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit* (lege : *fermentat*)? Metaphora fermenti, quod toti consper-

1. *VV. LL.* — 6. οὐ καλὸν τὸ καύχημα ὑμῶν (non bona gloriatio vestra); cum Graecis, qui verbum ἐστίν praetermittunt, optimi quoque codd. *Vulg.* (*Fuld.*, *Am.* etc.) consentiunt; *S. Aug.* (c. ep. Parm. III. 5), *Ater* aliique Latini etiam negatione praetermissa legerunt : Bona gloriatio vestra! ut acerba habeatur ironia. — ζυμοῖ (fermentat) est lectio omnium fere codd. et PP. gr., pro qua D et aliqui PP. habent δολοῖ (*corrumpit*); qua de lectione *S. Hier* (in Gal. 5,9) : « *male* in nostris codicibus habetur *corrumpit*, et sensum potius interpres suum, quam Apostoli verba transtulit »; nihilominus lectio haec in omnes Vulg. codd. est recepta. — 7. ἐκκαθάρατε (*expurgate*) sine particula οὖν (igitur) B ℵ A D E F G, nonnulli minusc. et PP. *Vulg.* *Copt.* *Goth.*; sed *textus rec.* eam addit cum C L P, plerisque minusc., *Syr.*, *Aeth.* — τὸ πάσχα ἡμῶν (*pascha nostrum*) sine additamento B ℵ A C D E F G, pauci minusc., multi PP. gr. et lat., *Vulg.* etc.; sed *textus rec.* : τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν (pascha nostrum pro nobis) cum L P, plerisque minusc., *Syr.*, *Goth.*; bona est glossa, sed glossa.

sioni, cui immiscetur, aciditatem suam cito tribuit eamque sibi similem reddit, a Domino ipso in bonam (*Matth.* 13,33; *Luc.* 13,21) et in malam (*Matth.* 16,6 sqq., *Marc.* 8,15, *Luc.* 12,1) partem, sed a Paulo hic et *Gal.* 5,9 dumtaxat in malam trahitur. Antiquiores fere omnes et moderni multi peccatorem, plerique tamen moderni peccatum fermento designari censent; at nulla est ratio, cur ab antiquiore explicatione, qua concinnior redditur oratio, recedamus. Quod si enim obiicitur, tam scelestum peccatorem fermentum *modicum* non esse (*God.* etc.), non de qualitate sed de quantitate fermenti agi respondemus; unus solus peccator, si in ecclesia toleratur, omnia totius ecclesiae membra vitiis suis inficere sibique similia reddere potest.

Ex proverbio allato Apostolus ita deducit praeceptum, ut in eius forma ad legem iudaicam respiciat, quae ante festum paschatis omne fermentum e domibus removeri iubens symbolice indicavit, qua animi puritate festum celebrari et agnum paschalem mactari oporteat[1]: 7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut* (καθώς siquidem) *estis azymi.* Praecepti igitur sensus est, ut fornicarium eiiciant; atque recte monet *Chrys.*, Apostolum non dixisse καθάρατε (*purgate*) sed ἐκκαθάρατε (*expurgate* i. e. plane purgate), quia nihil eiusmodi remanere voluit. *Vetus* fermentum peccatorem appellat iuxta allegoriae, qua utitur, proprietatem, quoniam Iudaei instante festo paschali fermentum praecedentis anni reiicere debebant; cum *Thom.* tamen aliisque addere possumus, peccatorem veteri fermento assimilari, « quia peccato in vetustatem pristinae corruptionis redierat ». Porro eiectionis finis est, ut ecclesia iterum sit *nova conspersio* i. e. nova massa azyma, id quod requiritur, quia iuxta vocationem suam omnes fideles sunt azymi i. e. sancti. *Chrys.* quidem Apostolum ideo dumtaxat ita loqui censet, quia Christianos sanctos esse deceat; sed rectius dicemus, cum fidelibus in memoriam revocare, quid secundum suam vocationem *sint* (*cfr* 1,2 vocati sancti), ut indirecte eos ad puritatem et sanctitatem quaerendam exhortetur.

1. Proxime quidem usus azymorum tempore paschali Iudaeis erat praescriptus, ut celeris fugae suae ex Aegypto populus semper esset memor (*Deut.* 16,3); sed symbolicam eorum significationem Iudaei ipsi in suis precationibus ritualibus festi agnoscunt, quum orent, ut Deus auferat « fermentum, quod est in massa », ad quae verba glossa thalmudica : « fermentum in massa sunt pravi affectus, qui in cordibus hominem corrumpunt » (Cfr *Thalm. Babyl.* tr. Berach. fol. 17; *Ligthfoot* Horae hebr. ad Matth. 16,6). Quapropter iam *S. Iust.* (c. Tryph. 14. M. 6,504 sq.) Iudaeos monere potuit : « Hanc habent panes azymi significationem, ut ne vetera mali fermenti opera peragatis. Vos autem omnia carnali modo intelligitis, ac pietatem putatis esse, si haec facientes simul animos vestros dolo et omni omnino nequitia inficitis. Quamobrem praecepit Deus, ut post septem azymorum dies novum vobis fermentum subigeretis, i. e. alia opera perageretis, vetera autem et mala non imitaremini ».

Ad quam indirectam exhortationem confirmandam affert specialem rationem, qua Christiani ad continuam sanctitatem obligentur. Iudaei ante festum paschale removent fermentum, ut in azymis agnum paschalem manducent; Christiani vero semper festum paschatis celebrant : *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus*, vel accuratius ex graeco : *nam etiam pascha nostrum immolatum est, Christus*. Pascha hic esse pro agno paschali (cfr *Luc*. 22,7 « occidere pascha » etc.), clarum est; quamprimum autem in templi atrio agnus paschalis occisus et oblatus erat, fermentato vesci Israelitis non amplius licuit; iamvero etiam noster agnus paschalis, Christus, quem Iudaeorum agni praefigurabant, iam occisus est; quapropter nobis quoque fermentum retinere non amplius licet. Iudaei quidem, qui quotannis typicos suos agnos mactabant, per unam hebdomadem tantum sua festa paschalia celebrabant a fermento abstinentes; at nobis unus dumtaxat est antitypicus agnus, qui semel oblatus unica sua oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos (*Hebr*. 10,5); ideo nos semper a fermento abstineamus et in azymis festa peragamus oportet.

8. *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis*. Graecum ἑορτάζωμεν antiqua versio (cfr *S. Cypr*. de hab. virg. 16; *S. Aug*. c. ep. Parm. III. 2 etc.) accuratius expresserat : *festa celebremus*, quamvis illud *epulemur* quoque apte explicetur : « quia Christus immolatus est pascha nostrum, epulemur manducantes Christum non tantum sacramentaliter, sed etiam spiritualiter eius sapientia fruentes » (*Thom*.). Plerique illi quoque interpretes, qui in praecedentibus fermentum de peccatore explicant, in hoc versu peccatum intelligere malunt. Procul dubio fieri potuit, ut Apostolus ab una metaphorae significatione ad alteram vicinam transierit; atque aptissimum quoque est monitum, ut Christiani etiam ultima veteris fermenti vestigia ex animis suis removentes puram vitam agere studeant. At nihil obstat, quominus eum in eadem significatione permansisse dicamus; immo haec explicatio videtur praeferenda. Etenim praep. ἐν (uti hebr. בְּ) non tantum ab Alexandrinis (*Num*. 20,20; 3 *Reg*. 10,2 etc.) sed etiam in Novo Test. (*Luc*. 14,31; *Iud*. 14 etc.) de societate (i. q. cum) adhibetur; quare quum immediate antea fideles ipsi vocati sint *azymi*, conveniens est, ut eodem modo vocabulum hic de personis intelligatur. Attamen addamus oportet, sententiam hanc esse universalem, ita ut *fermento* non unus ille incestuosus, sed omnes designentur, qui vitae suae antiquae vitiis sunt infecti. Quae vitia duobus vocabulis exprimuntur : ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας; atqui *malus* (κακός) iuxta *Theoph*. vocatur quicumque vitiis indulget, *nequam* (πονηρός) vero, qui cum hypo-

crisi et dolo vitiis se tradit. Quibus opponuntur *azymi sinceritatis* (εἰλικρινείας) *et veritatis* (ἀληθείας); εἰλικρινής enim, candidus et integer, malo, ἀληθής, verus in quo dolus non est, hypocritae, qui vitia sua fuco pietatis tegere studet, opponitur. Peccatoribus igitur omnibus eiectis genuini tantum et sinceri Christiani continua sua festa celebrent.

Antiquiores interpretes omnes supponere videntur, solo proverbio allato (v. 6) Apostolum ad hanc allegoriam accuratius et uberius exponendam esse adductum: « Quando dicit: Festum celebremus, inquit *Chrys.*, hoc non dicit, quia pascha aut pentecoste erat, sed ut ostendat, tempus omne Christianis ob ubertatem bonorum collatorum esse festivum. Nam quod bonum nobis praesto non est? Filius Dei homo factus est pro te, a morte liberavit te, ad regnum te vocavit. Quia ergo tot tantaque consecutus iam es et consequeris, quomodo per totam vitam festum agere non debes? Nemo igitur sit tristis » etc. Quae verissime sunt dicta; nihilominus moderni recte censent, ipso tempore, quo has literas dedit, Apostolum permotum esse, ut hanc allegoriam expoliret. Etenim epistolam nostram brevi ante pascha scriptam esse, iure asserimus, quum 4,19 se *mox* Corinthum venturum esse promittat, sed 16,8 sq. addat, se usque ad Pentecosten Ephesi esse remansurum, quia magnus ibi ei remaneat labor. Ipsa igitur temporis conditio, pascha appropinquans, ei hanc allegoriam quasi suppeditavit. Recte quoque ex eadem colligimus, Christianos illo tempore, i. e. triginta circiter annis post Domini mortem, ritum azymorum retinuisse; allegoriam enim Corinthii, qui plerique ex ethnicis venerant, non intellexissent, si mero iudaicus fuisset azymorum usus in paschatis festo.

c.) Explicatio anterioris praecepti de peccatoribus vitandis (5,9-13).

5,9. *Scripsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis;* 10. *non utique fornicariis huius mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse.* 11. *Nunc autem scripsi vobis, non commisceri: si is qui frater nominatur est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.* 12. *Quid enim mihi est de iis, qui foris sunt, iudicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis?* 13. *Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.*

5,9. Ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ μὴ συναναμίγνυσθαι πόρνοις, 10. οὐ πάντως τοῖς πόρνοις τοῦ κόσμου τούτου ἢ τοῖς πλεονέκταις καὶ ἅρπαξιν ἢ εἰδωλολάτραις, ἐπεὶ ὀφείλετε ἄρα ἐκ τοῦ κόσμου ἐξελθεῖν. 11. νῦν δὲ ἔγραψα ὑμῖν μὴ συναναμίγνυσθαι, ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος ᾖ πόρνος ἢ πλεονέκτης ἢ εἰδωλολάτρης ἢ λοίδορος ἢ μέθυσος ἢ ἅρπαξ, τῷ τοιούτῳ μηδὲ συνεσθίειν. 12. τί γάρ μοι τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε, 13. τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρινεῖ; ἐξάρατε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν [1].

1. *VV. LL.* — 9. μὴ συναναμίγνυσθαι (non commisceri) est communis lectio codd. et PP. gr., uti etiam *Tert.* de pud. 16, *S. Aug.* c. ep. Parm. III. 6 etc.; sensu non differt altera μὴ συναναμίγνυσθε (*ne commisceamini*), quam cum D et paucis minusc. pleraeque verss. habent. — 10. καὶ ἅρπαξιν (et rapacibus) B ℵ A C D F G P, aliqui minusc., *It.*, *Aeth.*; sed *text. rec.* ἢ ἅρπαξιν (*aut rapacibus*) cum E L, plerisque minusc., PP gr. et verss.; testium auctoritate aequales sunt, sed prior videtur sensui

Praeceptum aliquod de peccatoribus vitandis Apostolus iam pridem Corinthiis tradiderat, qui illud non intelligentes conversationem cum ethnicis peccatoribus sibi interdici putarant; quare de ethnicis illud intelligi non potuisse docet (9. 10), sed de christianis peccatoribus valere, in quos solos iurisdictionem habeat (11. 12), sectionemque concludit incestuosi eiectionem iterum praecipiens (*v*. 13).

9. *Scripsi vobis in epistola : Ne commisceamini fornicariis*. Apostolum de *hac* epistola loqui, cum *Chrys*. aliisque Graecis etiam aliqui Latini (*Pel. Sed. Lap. Sa, Tir. Gord. Calm.* etc.) opinati sunt, sed reliqui (*A*[ler], *Haym. Herv. Thom.* etc., *Cai. Salm. Iust. Est.* etc.) et moderni omnes verba de anteriore quadam epistola hodie deperdita (*cfr p.* 5) recte intelligunt. Namque ut praetermittamus, formulam *scripsi in epistola* parum aptam videri, si Apostolus de praecepto paucis lineis antea scripto loqui voluit, notandum est, praeceptum in praecedentibus non contineri; *v*. 1-5 enim de solo incestuoso agunt, in *v*. 6-8 de ethnicis nemo cogitare potuit, integra demum praecedens sectio de peccatoribus eiiciendis, haec de iis vitandis tractat; *commisceri* enim (συναναμίγνυσθαι) idem est quod « familiaritate alicuius uti ».

In anteriore igitur epistola, quae nobis non est conservata, Apostolus praeceperat, ut fideles fornicariorum societatem et familiaritatem evitarent; at se de ethnicis peccatoribus nec cogitasse nec cogitare potuisse monet : 10. *non utique fornicariis huius mundi aut avaris aut* (rectius *et*) *rapacibus aut idolis servientibus : alioquin debueratis de* (*hoc*) *mundo exiisse*. Expressio *hic mundus* quid valeat, iam diximus (*cfr ad* 1,20); omnes eos complectitur, qui redemtionis gratiam nondum consecuti imperio principis saeculi huius etiamnum sunt subiecti; illam vero appositionem etiam ad reliquos peccatores (avaros, rapaces, idolis servientes) trahendam esse, vix opus est dicere. Iuxta lectionem igitur, quam praeferimus, omnia peccatorum genera quidem complexus est Paulus ex singulis unam speciem commemorans : eos sc., qui contra se ipsos peccant (fornicarii), qui proximi iura dolo aut violentia laedunt (avari et rapaces), qui Deo debitum honorem denegant (idolis servientes) cfr *Thom*. At attende,

aptior. — ἐκ τοῦ κόσμου ἐξελθεῖν (de mundo exire vel exiisse) communis lectio graeca omnino retinenda contra lectionem Vulg. : de *hoc* mundo exiisse. — 11. ὀνομαζόμενος ᾖ πόρνος (nominatus sit fornicator) lectio praeferenda receptae ὀνομαζόμενος ἢ πόρνος (nominatus aut fornicator). Pro lectione *Vulg. Clem. : qui frater nominatur, est fornicator* forte melius cum *Fuld.* aliisque codd. atque *Tert., Lucif., A*[bro], *Aug.* etc. legitur : *qui frater, nominatur fornicator cfr* Comment. — 13. τοὺς δὲ ἔξω (eos *autem*, qui foris sunt) est communis lectio codd. gr. et verss.; *Vulg.* sola, ut videtur, habet : *nam* eos, qui foris sunt.

iuxta eius sententiam non omnes peccatores ad *hunc mundum* pertinere; alios enim cognoscit, qui ad *mundum futurum* i. e. ad regnum messianicum sive ad Ecclesiam pertinent, qui nimirum fide et baptismo ab *hoc mundo* sese separaverunt in Ecclesiam ingressi, licet postea peccatis suis sese iterum ex parte principi huius saeculi addixerint. Quapropter ex his verbis apostolicis theologi recte colligunt, Ecclesiam non solis iustis constare, sed inter sua membra etiam peccatores, immo peccatores contumaces numerare posse. De peccatoribus *huius mundi* i. e. ethnicis ergo Apostolus in suo praecepto non cogitaverat, nec cogitare potuerat, quum optime sciret, fideles eorum societatem non posse evitare; paucissimi enim Christiani apostolico tempore inter innumeros fere degebant ethnicos et, quum non multi sapientes, non multi potentes aut nobiles in Ecclesiam intravissent (1,26), ab ethnicis dependebant; Corinthus porro ob libidinem incolarum suorum in toto mundo erat famosa; quare si Paulus ethnicos peccatores vitari iussisset, fideles non tantum in aliam civitatem sed etiam, uti recte habet *Theoph.*, in « alium orbem terrarum » (εἰς ἑτέραν οἰκουμένην) transmigrare debuissent. Lectionem latinam (*de hoc mundo*) esse parum aptam patet; de *hoc* mundo enim omnes Christiani exierant, neque in brevissima sententia eidem expressioni (*hic mundus*) duos diversos sensus attribuere licet.

A negativa ad positivam praecepti sui explicationem transiens Paulus se illud de christianis peccatoribus intelligi voluisse asserit : **11.** *Nunc autem* (νῦν δέ, sc. quum res ita se habeant, ut ethnicorum peccatorum societatem vobis interdicere non potuerim) *scripsi vobis* (i. e. sensus epistolae meae anterioris fuit), *non commisceri, si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax : cum eiusmodi nec cibum sumere.* Eum solum igitur Apostolus a familiari fidelium commercio excludit, qui frater nominatur (vel rectius : fratrem se nominat i. e. Christianum se esse profitetur) atque nihilominus gravibus istis peccatis deditus est.

Haec est communior huius sententiae interpretatio quum Graecorum (*Chrys. Theod.* etc.), tum Latinorum (*A*[ter], *Pel. Herv. Thom. Lap.* etc.), quam etiam moderni fere omnes praeferunt. At graecus textus : ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος ᾖ πόρνος, ita quoque explicari potest, ut ὀνομαζόμενος ᾖ coniungantur (= ὀνομάζηται) et ad πόρνος trahatur : « si quis frater fornicarius nominetur », quae fuit antiqua lectio latina (*cfr VV. LL.*). Quam interpretationem inter Graecos *Oec.* praetulit monens, non eum, qui fornicator esse ab aliquibus putetur, iuxta Apostoli praeceptum vitari debere, sed « eum, qui adeo publicus et manifestus fornicator sit, ut hinc etiam ab hominibus cognoscatur et *nominetur* ». Simili

modo verba explicant *S. Ambr.* (de poenit. I. 17), *S. Aug.* (c. ep. Parm. III. 2) aliique Latini. « In eo autem, inquit *Aug.*, quod ait : *nominatur*, hoc nimirum intelligi voluit, parum esse, ut quis sit talis, nisi etiam nominetur, i. e. famosus appareat ». Quae interpretatio in *Gl. ord.* recepta effecit, ut mediae aetatis interpretes alii (*Herv. Lomb. Thom.*) consuetam Vulgatae lectionem ita explicarent, ut in altero membro verbum *nominatur* quasi repeterent (« si is qui frater nominatur, est fornicator famosus »), alii antiquam lectionem reciperent (*H Car. Dion.* etc.). Revera prior explicatio, licet communior sit, minus apta tamen videtur; neque enim singulis fidelibus iudicium relinqui potest, utrum aliquis frater, qui in fornicationis suspicionem venit, velut fornicator sit vitandus necne; ab ecclesiae potius presbyteris ille, cuius societas propter haec vitia fugienda erat, fidelibus *nominari* debuit; non parva enim confusio in ecclesia corinthia, quae in schismata iam inclinabat, exorta esset, si singuli fideles de fratrum, quibuscum conversari sibi liceret, dignitate aut indignitate iudicassent. Thessalonicensibus quoque Apostolus praeceperat, ut eum, a cuius societate fideles abstinere deberent, *notarent* (σημειοῦσθαι), ut hac ratione iudicio communi, quod utique ab ecclesiae praesidibus, quibus epistolae ad Thess. destinatae erant, pronunciari debebat, notatus ab omnibus evitaretur; finis enim, quem in hac praescriptione Apostolus habuit (ἵνα ἐντραπῇ ut confundatur) obtineri non potuisset, si aliqui privatim dumtaxat eum vitassent (cfr 2 *Thess.* 3,14 sq.). Itaque cum *Est.* antiquam lectionem latinam praeferendam ducimus, sed cum *Aug.* addimus, « eam nominationem intelligi, quae fit in quemquam, quum sententia ordine iudiciario atque integritate profertur » (Serm. 351,10).

In enumeratione peccatorum, qui vitandi dicuntur, mirum videri potest, quod *idolis servientes* recenseantur; attamen non omnes ethnicos baptizatos statim omnem plane superstitionem, cui per longam vitam addicti fuerant, ita deposuisse, ut antiqui fermenti nullum remanserit vestigium, satis facile explicatur; Corinthios autem in maiore periculo fuisse, ne ad pristinam superstitionem reverterentur, iterata huius epistolae monita docent (10,7. 14). Ceterum S. Ioannes quoque quadraginta fere annis postea Christianos asiaticos monere debuit, ut sese ab idolis custodirent (1. *Ioan.* 5,21); quapropter non immerito *Chrys.* apud aliquos ex primis Ethnicochristianis idem fere, quod apud Samaritanos, obtinuisse censet, « qui ex dimidia parte piam religionem sectabantur ». Praeter tria peccatorum genera, quae de ethnicis loquens enumeraverat, Paulus etiam ebriosos et maledicos recenset, quia haec vitia Corinthi forte magis erant propagata. Cum

omnibus demum peccatoribus *nominatis* vel cibum sumere fideles vetat, uti S. Ioannes prohibet, ne haereticos salutent (2 *Ioan.* 10); sed ex Pauli verbis recte quoque colligit *Theod.* : « si cum eis communem cibum sumere non licet, multo minus mysticum et divinum »; itaque scripturistico fundamento non caret, quod excommunicatis « os, orare, vale, communio, mensa negatur » (cfr *Thom.*).

Iam alteram addit rationem, cur praeceptum suum de solis Christianis valere velit. Aliquem enim a commercio communi excludere est poena, punire vero potest solus superior vel iudex; atqui Apostoli, etsi eorum iurisdictio fideles complectitur, nullam potestatem in ethnicos exercere possunt, quorum iudex est solus Deus. 12. *Quid enim mihi de eis, qui foris sunt, iudicare?* Quid ad me spectat iudicium de iis, qui foris sunt? Iudaeis οἱ ἔξω omnes erant, qui ad eorum populum non pertinebant, et eadem ratione omnes, qui non sunt Christiani, Apostolo sunt οἱ ἔξω (cfr *Col.* 4,5; 1 *Thess.* 4,12; 1 *Tim.* 3,7). Quotquot extra Ecclesiam sunt, sive ethnici sive Iudaei, auctoritati Ecclesiae non sunt subiecti nec potest Ecclesia iudicium in eos exercere[1]; mirum igitur Corinthiis videri non debet, quod Paulus ethnicos iudicare detrectet, quum ipsi quoque eos solos iudicio suo ecclesiastico subiiciant, qui ad eorum coetum pertinent : *Nonne de iis* (rectius *eos*), *qui intus sunt, vos iudicatis?* Neque tamen ii, qui ad Ecclesiam non pertinent, iniudicati recedent, siquidem eorum iudicium Deo est reservatum : 13. *nam eos* (rectius : *eos autem*) *qui foris sunt, Deus iudicabit.* Atque suam auctoritatem iudiciariam in incestuosum statim exercere iubentur : *Auferte malum* (τὸν πονηρόν) *ex vobis ipsis.* Sollemni Paulus utitur formula, qua Deus per Moysen poenam mortis contra certos peccatores statuerat (*Deut.* 17,7. 13; 19, 19; 24,7 etc. iuxta Alex.). « Mosaicum autem testimonium, inquit *Theod.*, adiecit, ut praeceptum suum divina lege confirmaret », sed simul etiam docuit, « id nunc agere in Ecclesia excommunicationem, quod olim agebat interfectio » (cfr *S. Aug.*).

Animadverte, in *vv.* 12. 13 de vero et proprio iudicio agi, in quo a legitimo superiore sententia cum auctoritate fertur. Procul enim dubio iudicium, quo Deus eos, qui foris sunt, iudicabit, sensu proprio intelligatur oportet;

1. Ex his verbis apostolicis *Trid. Conc.* (Sess. XIV De poenit. c. 2) colligit, « Baptismi ministrum iudicem esse non oportere, quum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus; quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis qui foris sunt iudicare? Secus est de domesticis fidei » etc. Quibus Concilii verbis satis elucet, Patres sententiam S. Pauli de vero et proprio iudicio recte intellexisse; improprium enim quoddam iudicium minister in baptismo adultorum exerceat necesse est inquirens utrum voluntas baptizandi sufficiat, ut ei sacramentum valide conferri possit, necne.

atqui iudicio huic divino quum illud aequiparatur, quo Corinthii eos, qui intus sunt, iudicant, tum illud, quod Apostolus in eos, qui foris sunt, sibi competere negat; tota enim argumentatio Pauli rueret, si verbum iudicandi alio sensu in ultimo, alio in duobus prioribus membris sumeretur. A vero igitur longe aberrant acatholici interpretes (*God. Heinr.* etc.), qui verba *Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare* a Paulo non tamquam Apostolo sed tamquam simplici Christiano proferri atque singulis Christianis illud iudicium, de quo *v.* 11. sermo est, competere dicunt. Namque iudicium, in quo sententia cum auctoritate fertur, singulis Christianis in fratres suos attribuere absurdum est. Hinc id quoque colligimus, in hac sectione (9-13) de vera quadam excommunicatione agi, qua per legitimos superiores peccator aliquis fidelis a societate fratrum suorum excluditur eorumque familiari commercio privatur. De sola quidem privata conversatione Apostolus hoc in loco loquitur, at evidens est, eos, qui ad privatam mensam a fidelibus admitti nequiverunt, etiam ab agapis esse exclusos ac proin etiam a mysteriorum celebratione (*cfr ad v.* 11).

Apostolum severiorem, quam Dominum, poenam peccatoribus imposuisse *Cai.* contendit, siquidem Dominus fratrem, qui Ecclesiam non audierit, velut ethnicum et publicanum habere iubeat (*Matth.* 18,17), Paulus vero prohibeat, quominus fideles cum excommunicato cibum sumant, atque permittat, ut ethnicis ad mensam suam invitantibus obsequantur (10,27). At Dominus ad Iudaeos loquens, qui omnem cum ethnicis et publicanis conversationem evitabant nec umquam cum illis manducabant (*Matth.* 9,11; *Act.* 11,3 etc.), eodem modo, quo Paulus, peccatores ab Ecclesia eiectos a familiari fidelium conversatione exclusit. Neque mirum est, quod christiani peccatores iuxta praeceptum apostolicum a mensa fidelium excludantur, dum ethnici peccatores admitti possint; gravior enim est priorum, quam aliorum, culpa; atque ut hanc culpae suae gravitatem agnoscant et confundantur et ita ad poenitentiam adducantur, gravis eis imponitur poena. Praeterea etiam fidelibus ipsis fratres peccatores periculosiores erant, quam ethnici; quare priorum magis quam aliorum societas erat vitanda; ethnicos enim ob ignorantiam potius quam ex malitia in peccata ruere, non ignorabant fideles, ideoque eos misericordia digniores habebant, nec eos sibi velut exempla imitanda proponere nec eorum peccatis suas ipsorum culpas excusare poterant. Demum Patres iam monent, ethnicos a neophytis ad fidem allici et adduci debuisse, ideoque eorum societatem fidelibus non fuisse interdictam. Ceterum excommunicati, licet a familiari commercio essent exclusi, a caritate fratrum non excludebantur (2 *Thess.* 3,15.).

§ 3. *De litibus iudici ethnico non committendis* (6,1-11).

Iudiciaria auctoritate, qua Ecclesia mores disciplinamque membrorum suorum regebat et peccatores poenis coercebat, commemorata

Paulus ad aliud vitium corrigendum adducitur, quod inter fideles corinthios serpere coeperat. Neque enim tantum neophyti, ac si illis potestas iudicandi nulla esset, contra fratres peccatores iudicium non exercebant, sed suas ipsorum quoque lites causasque coram ethnicis magistratibus agebant. Iudaei illo tempore in imperio romano, quum Claudius eis, ut iuxta leges suas degerent et ubique iisdem iuribus, quibus Alexandriae, fruerentur, concessisset, in omnibus civitatibus sua habebant tribunalia, atque severe invigilabant rabbini, ne lites ad ethnicos magistratus deferrentur[1]. Ethnici vero, uti per se patet, coram suis magistratibus causas suas agebant, atque facile intelligitur, neophytos ethnicos in hoc usu, qui per se illicitus non fuit, perseverasse. At primis fidei temporibus hac agendi ratione scandalum dari facile potuit novaque discordiarum causa iudaicos inter et ethnicos neophytos exoriri. Quam ob causam Paulus, quantopere Christianos coram ethnicis litigare dedeceat, ostendit, quum ipsi inter se suas causas dirimere possint (6,1-6); ulterius deinde progressus a legibus christianis omnino alienum esse docet, lites controversiasque habere (6,7-11).

a.) Ne Christiani lites suas ethnicis iudicibus committant (6,1-6).

6,1. *Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos et non apud sanctos?* 2. *An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis?* 3. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis saecularia?* 4. *Saecularia igitur iudicia si habueritis : contemtibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* 5. *Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum?* 6. *Sed frater cum fratre iudicio contendit : et hoc apud infideles?*

6,1. Τολμᾷ τις ὑμῶν πρᾶγμα ἔχων πρὸς ἕτερον κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων καὶ οὐχὶ ἐπὶ τῶν ἁγίων; 2. ἢ οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσιν; καὶ εἰ ἐν ὑμῖν κρίνεται ὁ κόσμος, ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων; 3. οὐκ οἴδατε, ὅτι ἀγγέλους κρινοῦμεν; μήτι γε βιωτικά. 4. βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια ἐὰν ἔχητε, τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τούτους καθίζετε. 5. πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λαλῶ. οὕτως οὐκ ἔνι ἐν ὑμῖν οὐδεὶς σοφός, ὃς δυνήσεται διακρῖναι ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ; 6. ἀλλὰ ἀδελφὸς μετὰ ἀδελφοῦ κρίνεται, καὶ τοῦτο ἐπὶ ἀπίστων[2];

1. *Fl. Ios.* Antiqu. XIX. 5,3. — Tanchuma fol. 29 b. : « Statutum est, ad quod omnes Israelitae obligantur, quod is, qui litem cum alio habet, eam non debet coram gentilibus tractare, quoniam scriptum est : Haec sunt statuta, quae ipsis propones (*Exod.* 21,1). Traditio est R. Simeonem dixisse : Quocumque in loco inveneris iudices gentiles, etiamsi idem iudicium pronuntiant, quod Iudaei solent, tamen non debes te illis adiungere. Scribitur enim in verbis modo laudatis : ante facies *eorum* pones haec statuta, non vero coram facie gentilium » (Cfr *Schoettgen* Horae hebr. et thalm. p. 600). Cuius prohibitionis rationem hanc affert *Schulchan Aruch* IV. 26 : « qui adducit Israelis iudicia ad gentiles, polluit nomen Dei et honorat nomen idoli; occasionem dant, qui ita agunt, extraneis dicendi : ecce quam concordes sunt illi, qui verum Deum colunt ».

2. *VV. LL.* — 2. ἢ οὐκ οἴδατε (*aut* vel : *an nescitis*) est lectio meliorum codd. gr. et

Quum de vitio agatur, quod publicum erat omnibusque notum, Apostolus simili modo, quo in praecedente reprehensione (5,1), ex abrupto rem aggreditur neque ulla praemissa cautione oratoria a vehemente increpatione exorditur. 1. *Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos et non apud sanctos?* Horror, quem hic agendi modus in eius animo excitaverat, quum interrogationis abruptae forma tum verbis adhibitis exprimitur. Audaciam non vulgarem requiri insinuatur, ut Christianus eo usque sese abiiciat, ut dignitatis suae prorsus oblitus cum fratre coram ethnicis litiget. *Negotium habere* (πρᾶγμα ἔχειν) sensu forensi idem est quod litem habere; alterum vero, adversus quem negotium habetur, fratrem i. e. Christianum intelligi, contextus docet. Neque enim Apostolus prohibere potest aut vult, quominus « Christiani sub ethnicis principibus constituti eorum iudicio compareant, si vocentur; hoc enim esset contra subiectionem debitam (*Rom.* 13,1-7), sed prohibet, quominus fideles eligant voluntarie iudicium infidelium » (*Thom.* cfr *Theod.* etc.). Attamen ut non tantum Christiano indignum, sed etiam absurdum esse hunc agendi modum ostendat, eos *iudicari* (κρίνεσθαι, *S. Cypr.* : disceptare) i. e. ius quaerere dicit *apud iniquos* (ἐπὶ τῶν ἀδίκων) *et non apud sanctos.* « Vide, inquit *Chrys.*, non dicit : apud infideles, sed : *apud iniustos* (ἐπὶ τῶν ἀδίκων), voce illa usus, qua maxime illos absterrere potuit. Quia enim litigantes in iudiciis id maxime postulant, ut iustitiae ratio habeatur, ideo quasi dicit : Quo pergis et quid agis, o homo? Ut iustitiam assequaris, ad iniustos te convertis? » Eandem ob rationem in altero membro Christianos omnes *sanctos* vocat, quia omnes vocatione sua sancti sunt (1,2) atque sanctitas iustitiam complectitur.

Postquam vitium enuntiavit et generali quodam modo reprehendit, accuratius rem tranctans ostendit, illud Christianos dedecere, quum ipsi inter se lites suas dirimere possint (2-4), praecipitque quid hac in re facere debeant (5. 6). Admodum simplex et clara est Apostoli in hac particula argumentatio; a maiore ad minus concludens ostendit, eos, qui integrum mundum atque ipsos angelos iudicaturi sint, certe dignos esse, qui de rebus minimis et quotidianis iudicent; maximo-

verss.; male *text. rec.* omittit ἡ cum L P, plerisque minusc., nonnullis PP. gr. — τὸν κόσμον (mundum) est communis lectio graeca et verss.; quam inter latinos PP. tenent *S. Cypr.* (Test. c. Iud. III. 44), *S. Aug.* (Doctr. chr. IV. 18) etc.; eandem exhibet *Amiat.* cum aliis Vulg. codd. nonnullis; minus apte *Alcr* et *Vulg. Clem.* : *de hoc mundo.* — 5. οὐδεὶς σοφός (nemo sapiens) B ℵ C, paucissimi minusc., *It.* (ut videtur), Copt.; sed *text. rec.* σοφὸς οὐδὲ εἷς (*non... sapiens quisquam*) cum reliquis omnibus codd., *Syr.*, *Vulg.* etc.; altera haec lectio maiorem habet obiurgandi vim.

pere ergo Christianos dedecet ethnicos sibi eligere iudices, quia, uti ironice addit, illi ipsi Christiani, qui nihili aestimari soleant, minimis illis iudiciis dirimendis idonei sint.

Per increpatorias itaque interrogationes procedens, illa in memoriam eis revocat, quae de iudicio ultimo antea docuerat. Licet enim Corinthiis, quia solidum cibum ferre nondum potuerant, lac dumtaxat dedisset (3,1 sq.), de iudicio tamen, quod ad elementa fidei pertinebat (*Hebr.* 6,2), amplam et accuratam, uti ex nostro loco apparet, doctrinam tradiderat; neque id mirum, quoniam nulla alia doctrina ethnici vix conversi ab anterioribus suis viis pravis efficacius absterrebantur; quapropter etiam in suis epistolis tantum non omnibus terribilem illum diem frequenter commemorat. Hic tamen non ad eos terrendos de iudicio loquitur, sed ad magnam ostendendam dignitatem Christianorum, qui una cum Christo capite suo velut iudices tunc sedebunt : 2. *An nescitis, quoniam sancti de (hoc) mundo iudicabunt?* Non tantum de *hoc* mundo pravo et Christum aversante, sed de integro mundo sancti, i. e. Christiani omnes, qui Domino suo fideles adhaeserunt, in et cum Christo iudicabunt. Unde sua sponte derivatur conclusio : *Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis?* Expressionem *in vobis* (ἐν ὑμῖν) *Thom.* et *Oec.* cum aliis recte, si ad sensum attenditur, explicant : *per vos* (διὰ ὑμῶν), accuratius tamen exponimus : *inter vos* i. e. in vestro consessu seu coram vobis iudicibus. Id enim alterum membrum (ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων) postulare videtur; siquidem κριτήριον in versione alexandrina ubique (*Exod.* 21,6; *Iudic.* 5,10; 3 *Reg.* 7,7; *Dan.* 7,10 et hist. Sus. 49) et in Novo Test. (*Iac.* 2,6), uti saepe quoque apud profanos, locum iudicii seu tribunal designat. Sensus igitur graeci textus est : « Num vos, in quorum consessu mundus iudicabitur, indigni estis, qui in tribunalibus infimis sedeatis? » Quoniam vero in inferioribus et infimis tribunalibus de rebus quotidianis et minimis agitur, libere quidem, sed accurate Vulg. sensum apostolicum expressit. Profecto supremi tribunalis iudex etiam in infimo ius dicere potest.

Quam sententiam confirmans Paulus Corinthios commonefacit, ad quosnam iuxta doctrinam a se traditam iudicium eorum sese sit extensurum : 3. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis saecularia!* vel, uti antiqua versio ultimum membrum significantius reddidit : *nedum* (μήτι γε) *saecularia* (*S. Aug.* Doctr. christ. IV. 18). Mundo, i. e. universalitati creaturarum, quas sapientia divina ordine pulcherrrimo disposuit (κόσμος ἀπὸ τοῦ κομεῖν *Eusth.*), etiam angeli comprehenduntur (*cfr* 4,9), atque illi quoque, ut inscrutabilia iudicia investigabilesque viae Dei, de quibus nunc interdum conque-

rimur, cognoscantur divinaque totius mundi gubernatio, quam nunc non intelligimus, velut sapientissima et iustissima omnibus manifestetur, in ultimo iudicio comparebunt; « una enim, inquit *Lap.*, est ecclesia hominum et angelorum, unumque caput et iudex Christus, atque hoc etiam (iudicium angelorum) pertinet ad publicam gloriam divinae iustitiae et ad laudem angelorum ». Iamvero si sancti summas creaturas, angelos, aliquando iudicaturi sunt, digni profecto sunt, qui *saecularia* iudicent; vocabulum *saecularia* enim, quo Vulg. reddit gr. βιωτικά (i. e. ea, quae ad vitam quotidianam spectant), res illas minimas designat, de quibus homines litigare solent.

Quare cum ironia quadam praecipit : 4. *Saecularia igitur iudicia* (βιωτικὰ οὖν κριτήρια) *si habueritis, contemtibiles, qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Quoniam omnes sancti futuri sunt iudices mundi et angelorum, omnes quoque a fortiore velut iudices in tribunalibus illis, in quibus causae de rebus quotidianis tractantur (κριτήρια βιωτικά, saecularia iudicia), velut iudices sedere possunt; immo illi ipsi, qui vel ob ignorantiam vel ob paupertatem in ecclesia hodie despiciuntur et nihili aestimantur (οἱ ἐξουθενημένοι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, contemtibiles, qui sunt in ecclesia) in eiusmodi tribunalibus munere iudicum fungi possunt : *illos statuite ad iudicandum* (τούτους καθίζετε). Haec est communis Patrum et interpretum catholicorum interpretatio huius sententiae, eandemque tenent aliqui acath. (*God.* etc.); at plerique moderni acath., quibuscum ex cath. consentit *Mai.*, τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ (*contemtos in ecclesia*) intelligunt ethnicos, qui a fidelibus despiciantur, totamque phrasin (quum καθίζετε etiam praes. indic. esse possit) interrogative legunt : « Si igitur saecularia iudicia habueritis, ethnicos, qui in ecclesia contemnuntur, velut iudices constituitis? » Cui explicationi duo obstant : nusquam a Paulo ethnici *contemti in ecclesia* vocantur nec apte vocari potuerunt; particula quoque οὖν (igitur), quae hanc sententiam ex praecedentibus derivari indicat, inepte esset adhibita, si nova interpretatio a Luthero invecta admitteretur. Antiqua ergo retineatur oportet; nam in primitiva quoque ecclesia pauperes interdum esse despectos, ut a Paulo non sine divitum vituperio *despecti, qui sunt in ecclesia* nominari potuerint, satis constat (cfr 11,22; *Iac.* 2,2 sqq. etc.).

1. Quaeritur, quo sensu sancti mundum et angelos iudicare dicantur. *Thom.* in Comm. *tres*, in Summ. theol. (Suppl. qu. 89. a. 1.) *quinque* modos indicat, quibus aliquod iudicium sanctis competere possit; sed « *iudicium auctoritatis*, quod soli Christo conveniat », eis negat. Primum ex quinque istis modis (*iudicium comparationis*, in quantum ex comparatione

cum iustis peccatores ostenduntur digni poenis, cfr *Matth.* 12,41) praefcrunt Graeci (*Chrys. Theod.* etc.) atque aliqui ex Latinis (*A*[ter] *Rhab. Gl. ord. Cai.*). Alterum (*iudicium approbationis* sententiae a Christo latae, vel *interpretativum,* « interpretamur enim aliquem facere, qui facienti consentit ») nudum pauci tantum admittunt (*Herv. Mai.*), sed cum primo complures coniungunt (*Est. Nat. M Ev.* etc.). Tertium (*iud. assessionis* vel *similitudinarium,* « quia sc. similitudinem iudicis habet, qui ei assidet in eminente loco ») nudum tenet *Lyr.*, cum secundo coniungunt alii (*Dion. Ramb.*). Quartum, quod a primo vix differt (in quantum in viris perfectis continentur decreta divinae iustitiae, ex quibus homines iudicabuntur, sicut si liber, in quo lex continetur, iudicare dicitur), invenit *Rich. Vict.* Quintum demum (*iudic. promulgationis*) solis Apostolis et summis sanctis tribuit *Thom.*, « quatenus nimirum per eos sancti inferiores vel etiam peccatores spirituali quadam illustratione illuminabuntur, qualia praemia vel quales poenae eis debeantur » [1].

Longe plerique igitur interpretes vocem iudicandi sensu improprio explicant; de proprio tamen iudicio, quod « cum auctoritate et potestate » exerceatur, sermonem esse tenent *Gl. interl. Lomb.* aliique; atque recte censent *Iust. Lap. Men. Tir. Bisp.*, omnes istos improprios iudicandi modos argumentationi Apostoli non convenire. Profecto, nisi verbis ludere et sophismate uti voluit, in tota sua argumentatione, qua a maiore ad minus concludit, voci iudicandi eundem sensum attribuere debuit; atqui non est dubium, quin ostendere velit, Christianos vere et proprie de rebus quotidianis iudicare posse, ac proin verbum iudicandi in *vv.* 1. et 4. et in secundis membris *vv.* 2. 3. proprio sensu sumat; ergo etiam in prioribus membris *vv.* 2. 3. verbum eodem sensu adhibet, atque iuxta eius doctrinam sancti mundum et angelos vere et proprie iudicabunt (cfr *Iust.*).

« Absit, inquit quidem *Chrys.*, ut fideles sedeant et iudicent, Dominus enim iudicabit », sed sanctorum iudicio iudicium Domini non tantum non excluditur, sed supponitur, siquidem unum idemque cum illo est. Christus est caput corporis mystici, cuius iusti omnes sunt membra; atqui illud, quod caput facit, membra quoque faciunt, non propria utique auctoritate, sed auctoritate capitis sui. S. Paulus membra nunquam a capite separat neque sibi repraesentat sanctos nisi cum eorum capite Christo unitos atque in illo et cum illo agentes; Christiani ei sunt *illi, qui in Christo sunt* (οἱ ἐν Χριστῷ). Quod si autem in et cum Christo *con*crucifigi (συσταυροῦσθαι *Rom.* 6,6; *Gal.* 2,20), in et cum Christo *com*mori (συναποθνήσκειν 2 *Tim.* 2,11), *con*sepeliri (συντάπτεσθαι *Rom.* 6,4), *con*vivificari et *cor*resuscitari

1. Inter acath. etiam maior est sententiarum diversitas, quum non tantum aliqui de iudicio comparationis aut approbationis etc. loquantur, sed alii etiam de iudicio in futuro regno millenario a sanctis exercendo cogitent (cfr *Wolf.* Curae philol. III. 379; *Hofm.* etc.), alii ab Apostolo tempus praedici censeant, quo mundus a principibus et iudicibus christianis regatur et iudicetur (*Lightf. Vitr.* etc.), alii Christianis capacitatem tantum iudicandi mundi ab Apostolo attribui teneant (*Mosh. Ros.* etc.). Verum tamen iudicium inter modernos acath. agnoscunt *Mey. God. Heinr.* etc.

(συζωοποιεῖσθαι, συνεγείρεσθαι *Eph.* 2,5. 6; *Col.* 2,13; 3,1), *con*vivere (συζῆν 2 *Tim.* 2,12; *Rom.* 6,8), *co*haeredes fieri (συγκληρόνομοι γένεσθαι *Rom.* 8,17), *con*glorificari (συνδοξάζεσθαι *Rom.* 8,17), *con*sedere in coelestibus (συγκαθίζεσθαι ἐν ἐπουρανίοις *Eph.* 2,6) *cor*regnare (συμβασιλεύειν 2 *Tim.* 2,12) ab eo dicimur, quid miri in eo est, quod etiam in et cum Christo *con*iudicaturi simus[1]? Divinae naturae consortes facti (2 *Petr.* 1,4), tamquam filii adoptivi Patris et Iesu Christi fratres, omnes sancti cum fratre suo primogenito (*Rom.* 8,29) haereditabunt, regnabunt, iudicabunt. Quam sanctorum potestatem iudiciariam, cuius fundamentum est eorum mystica unio cum Christo, cave ne mere denominativam esse putes, ut sit nomen sine re; neque enim magis est mere denominativa aut analogica, quam omnium hominum peccatum et mors in Adamo, aut mors nostra mystica, qua vetus noster homo destruitur (*Rom.* 6,6 sq.), vel nova vita, quam gratia sanctificante ornati in Christo degimus, vel futura nostra haereditas vel futurum nostrum regnum. Sicut autem stella a stella differt claritate, ita etiam pro meritorum diversitate diversa erit sanctorum participatio quum in haereditate et in regno, tum in iudicio; ideoque Dominus (*Matth.* 19,28; *Luc.* 22,30) Apostolis iisque, qui omnia propter ipsum reliquerunt, eminentiorem iudiciariae potestatis et regni partem promittit, licet omnes sancti iuxta Paulum iudices futuri sint et iuxta ipsum Dominum regnum sint obtenturi (*Matth.* 25,34)[2].

2. Quaeritur, quinam angeli a sanctis iudicari dicantur. Quoniam improbabile putabant, homines fore angelorum iudices, aliqui antiqui interpretes, quos Graeci (cfr *Chrys. Cyr.* etc.) commemorant, angelorum nomine sacerdotes designari (cfr *Mal.* 2,7) opinati sunt; quam sententiam, utpote obsoletam, praetermittimus. De angelis igitur agi consentiunt interpretes, atque plerique quidem solos daemones in ultimo iudicio iudicatum iri censent, quum de eorum futuro iudicio constet (2 *Petr.* 2,3; *Iud.* 6). Ita cum *Chrys.* graeci omnes et inde a *Tertulliani* (cfr de cultu fem. I. 2) aetate plerique latini interpretes antiquiores (*Prim. Herv. Lomb.* etc.) recentiores (*Gagn. Cai. Sa, Mai. Calm. Nat.* etc.) et moderni (*Mai. M Ev. Bisp. Dr.* etc.) uti etiam plerique acath. (*Br. God. Schn.* etc.). Attamen omnes et bonos et malos angelos a Paulo intelligi tenent alii (*A^ter Thom. Lyr. Dion. Iust. Lap. Men. Tir.* etc.) idque, ni fallor, recte. Ut enim taceamus, nullo certo exemplo demonstrari, nomine angelorum, si sine addito

1. A *S. Dion. Alex.* (cfr *Eus.* H. E. VI. 42) martyres vocantur « Christi assessores et regni socii et iudiciariae potestatis participes et coniudicantes cum illo » (οἱ τοῦ Χριστοῦ πάρεδροι καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ κοινωνοὶ καὶ μέτοχοι τῆς κρίσεως αὐτοῦ καὶ συνδικάζοντες αὐτῷ). *S. Greg. M.* (Moral. X. 31) : « Tunc cum Christo iudices veniunt, qui nunc pro Christo iniuste iudicantur... Quisquis stimulo divini amoris excitatus hic possessa reliquerit, illic procul dubio *culmen iudiciariae potestatis obtinebit, ut simul tunc iudex cum iudice veniat* ».

2. *S. Aug.* (De Civ. XX. 5,3) : « Hic discimus cum suis discipulis iudicaturum Iesum... Nec quoniam super duodecim sedes sessuros eos esse ait, duodecim solos homines cum illo iudicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero universa quaedam significata est iudicantium multitudo ». Simili modo alii Patres multi.

ponitur aut ex contextu eius sensus clare definitur, usquam in Novo Test. solos daemones esse designatos, non satis apparet, cur boni angeli in ultimo iudicio non sint comparituri. Uti enim monet *Iust.*, eorum iudicio futuro « non obest, quod mali iam sint supplicio addicti et boni beata vita perfruantur; nam hoc ipsum de quamplurimis hominibus valet, quorum alii iam pridem cruciantur, alii beatorum coetui aggregati sunt, qui tamen omnes iudicis sententiam in extremo illo die accipient ». Omnino porro conveniens videtur, ut in ultimo die omnibus omnino creaturis in iudicium vocatis divina iustitia et sapientia glorificetur. Alii quidem interpretes etiam hic de iudicio approbationis vel comparationis etc. loquuntur, sed nulla est ratio, cur iudicio auctoritatis eodem, quod supra explicavimus, angelos omnes a sanctis iudicatum iri negemus. *Omne iudicium* enim Pater Filio hominis dedit (*Ioan.* 5,22. 27); atque in eo et cum eo tamquam capite suo sancti etiam angelos iudicabunt. Quanta igitur est dignitas, ad quam Dominus fideles suos servos evexit!

Iudicandis rebus quotidianis vel ipsos infimos Christianos idoneos esse, ironice Apostolus insinuaverat; ne quis vero putaret, eum revera praecepisse, ut iudicum munere fungerentur (imperativo enim usus erat : καθίζετε, constituite illos velut iudices) sententiam suam explicat : 5. *Ad verecundiam vestram dico.* Verum hoc non fuit praeceptum, sed ironica exaggeratio, qua eis pudorem incutere voluit (πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, ad confusionem vestram dico *cfr* 4,14). Quam confusionem auget addens : *Sic non est inter vos sapiens quisquam* (οὐδὲ εἷς ne unus quidem), *qui possit iudicare inter fratrem suum* (διακρῖναι ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, *iudicare inter fratrem et fratrem*[1]. *S. Aug.* Enchir. 78)? Tot fuerunt in ecclesia corinthia, qui de sua sapientia gloriabantur (3,18; 4,10), at in hac sapientium multitudine ne unum quidem inveniebant, quem minimarum illarum rerum iudicandarum capacem habebant? Ne unum quidem, qui inter fratrem suum accusatorem fratremque suum accusatum munere iudicis fungi poterat? Eandem ironiam continuans simul indicat, quid facere debeant; ex fidelibus unum eligi vult, qui cum auctoritate lites quotidianas iudicet. Quoniam Apostolus verbo διακρίνειν hic utitur, de arbitro a litigantibus libere electo eum loqui moderni censent (*Mai. Bisp.* etc.; — acath. plerique); at διακρίνειν ad iudicium verum et pro-

1. Κρίνειν vel διακρίνειν ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ est constructio prorsus inusitata. Ἀνὰ μέσον (*in medio*) genitivum postulat, qui multitudinem aliquam indicat (ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων *Marc.* 7,31, τοῦ σίτου *Matth.* 13,25). In formula κρίνειν ἀνὰ μέσον aut utraque pars, inter quas iudicatur, exprimitur (*Gen.* 16,5 κρίναι ὁ Θεὸς ἀνὰ μέσον ἐμοῦ καὶ σοῦ) aut plurali indicatur (*Gen.* 31,53 ὁ Θεὸς κρίναι ἀνὰ μέσον ἡμῶν). Constructio nostra igitur elliptica est; haud dissimili modo ἀνὰ μέσον adhibetur *Apoc.* 7,17 agnus stabat ἀνὰ μέσον τοῦ θρόνου cfr *ibid.* 5,6 ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου καὶ τῶν τεσσάρων ζώων.

prium quidem designandum ab Alexandrinis saepe adhibetur (pro שֹׁפֵט *Exod.* 18,6; *Ezech.* 44,24; 1 *Paral.* 26,29 etc.) eodemque sensu a profanis usurpatur; nullibi autem in Novo Test. de arbitro legitur adhibitum. Porro contextus quoque sensum arbitri excludit; ecclesia enim iudicem constituere iubetur, qui auctoritate igitur totius ecclesiae lites dirimat; sed arbiter eam solam habet auctoritatem, quam litigantes ei conferunt. Demum praxis primitivae ecclesiae explicationi nostrae favet; quodsi *Chrys.* de μεσίτῃ vel διαιτητῇ loquitur, isto nomine utitur, uti recte monet *Iust.*, vel quia iudex ille absque forensi strepitu privatim inter fideles munere suo fungebatur, vel quia non a rei publicae magistratibus, sed communi ecclesiae consensu et auctoritate apostolica dirimendis controversiis praefectus erat.

Quam necessarium autem sit, ut ipsi iudicem aliquem christianum statuant, ostendit iterum indignum eorum agendi modum carpens : 6. *Sed frater cum fratre iudicio contendit* (κρίνεται *S. Aug. : iudicatur,* litigat) *et hoc apud infideles!* Duplex esse eorum defectum insinuat; quam perversum sit *fratrem cum fratre* litigare, ipsis verbis adhibitis iam docet et in sequente particula uberius explicabit; neque parum crimen hoc augeri innuit, quia coram ethnicis lites suas agentes ecclesiam ipsam despectui exponant. Unicam quidem rationem, qua neophyti a causis suis ad ethnicos magistratus deferendis retineantur, Paulus in tota hac pericopa diserte explicat, indecentiam nimirum, quae in eo sita est, quod sancti, quibuscum Christus aliquando totum mundum sit iudicaturus, levissimarum causarum iudicandarum incapaces habeantur; at alteram tamen ultima verba addunt, quum neophytos publice litigantes in ipsorum ethnicorum offensionem incurrere significent. Ac profecto ethnici, qui sancta Christianorum vita ad evangelium amplectendum allici debebant, si neophytos post conversionem iisdem, quibus antea, iniustitiae et avaritiae vitiis deditos causas publice agere videbant, nec de Evangelio bene existimare nec illud adamare potuerunt. Gravissima erat haec ratio, quamvis Apostolus eam uberius non explanet; atque hanc ob causam etiam primitiva Ecclesia praeceptum, quod in hac pericopa continetur, magna cum diligentia observavit; tribus enim primis saeculis Christianos in suis litibus ius a magistratibus non petiisse constat, et saec. 4. et 5. quoque episcopi in rebus civilibus ius dicere solebant (cfr *Iust.*, et *Devoti* Institut. canon. III. tit. I. § 12-18).

b.) *Christianos lites agere dedecet* (6,7-11).

6,7. *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* 8. *Sed vos iniuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus.* 9. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri.* 10. *neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* 11. *Et haec quidam fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi et in spiritu Dei nostri.*

6,7. Ἤδη μὲν οὖν ὅλως ἥττημα ὑμῖν ἐστίν, ὅτι κρίματα ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν. διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσθε; διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀποστερεῖσθε; 8. ἀλλὰ ὑμεῖς ἀδικεῖτε καὶ ἀποστερεῖτε, καὶ τοῦτο ἀδελφούς. 9. ἢ οὐκ οἴδατε, ὅτι ἄδικοι Θεοῦ βασιλείαν οὐ κληρονομήσουσιν; μὴ πλανᾶσθε. οὔτε πόρνοι οὔτε εἰδωλολάτραι οὔτε μοιχοὶ οὔτε μαλακοὶ οὔτε ἀρσενοκοῖται 10. οὔτε κλέπται οὔτε πλεονέκται οὔτε μέθυσοι, οὐ λοίδοροι οὐ ἅρπαγες βασιλείαν Θεοῦ κληρονομήσουσιν. 11. καὶ ταῦτά τινες ἦτε· ἀλλὰ ἀπελούσασθε, ἀλλὰ ἡγιάσθητε, ἀλλὰ ἐδικαιώθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἐν τῷ πνεύματι τοῦ Θεοῦ ἡμῶν[1].

Praecedentis sententiae prius membrum (*sed frater cum fratre litigat*) uberius explicans Apostolus docet, imperfectionem iam in eo esse, quod iustas lites habeant (*v.* 7), sed gravissimum peccatum illos committere, qui iniustitiis fraudibusque suis lites provocant (*v.* 8-11).

7. *Iam quidem omnino delictum* (ἥττημα) *est* (*in*) *vobis, quod iudicia* (κρίματα lites cfr *Apoc.* 18,20) *habetis inter vos.* Cum *Chrys.* aliqui Graeci (*Oec. Theoph.*) et cum *Tert.* (De cor. mil. 11) et *S. Aug.* (Enchir. 78), cuius verba in *Gl. ord.* transierant[2], aliqui Latini (*Est. Calm.*

1. *VV. LL.* — 7. ἤδη μὲν οὖν ὅλως (iam igitur omnino) B A C E L P, plerique minusc. et PP., *Syr. Aeth.*; sed rectius : ἤδη μὲν ὅλως (*iam quidem omnino*) ℵ D, pauci minusc., *It. Vulg. Copt.*, *Arm.*; quid enim hoc in loco particula οὖν sibi velit, non apparet. — ὑμῖν (vobis) B cum reliquis maiusc. et multis minusc. et verss.; sed ἐν ὑμῖν (*in vobis*) habet *text. recept.* cum plerisque minusc., *It. Vulg.* — 8. καὶ τοῦτο (*et hoc*) B ℵ A C D E P, pauci minusc., *it. Vulg. Copt.* melius legitur, quam καὶ ταῦτα (et haec) *text. rec.* cum L, plerisque minusc., *Arm.*, nonnullis PP. — 10. In ordine peccatorum variant aliqui codd. et PP.

2. Verba *S. Aug.* (Enchir. 78) sunt haec : « Possel putari, indicium habere adversus alterum non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle iudicari, nisi (Apostolus) secutus adiungeret : *Iam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis vobiscum.* Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret, iustum se habere negotium, iniquitatem se pati, quam vellet a se iudicum sententia removeri, continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit atque ait : *Quare non magis iniquitatem patimini?* Ut ad illud redeatur, quod Dominus dicit : *Si quis voluerit tunicam tuam tollere* etc. (*Matth.* 5, 40) et alio in loco : *Qui abstulerit tua*, inquit, *noli repetere* (*Luc.* 6,30). Prohibuit itaque suos de saecularibus rebus cum aliis hominibus habere iudicium : ex qua doctrina Apostolus dicit esse delictum. Tamen quum sinit in Ecclesia talia iudicia fieri inter fratres fratribus iudicantibus, extra Ecclesiam vero terribiliter vetat, manifestum est etiam hic, quid secundum veniam concedatur infirmis ».

Nat. Pic. M Ev. etc.) verba Apostoli severius interpretantes etiam illos, qui iustis litibus sua repetunt, peccati reos esse censent : « igitur ex Apostoli sententia, inquit *Est.*, sicut eam interpretati sunt Aug. et alii, delictum i. e. peccatum est, in iudicio sua repetere; non quod id per se malum sit, at quia malum non unum, sed multa fere coniuncta habet ». Attamen de peccatis, quae litis alicuius occasione committi possunt, Apostolus non loquitur; interpretes vero, qui severam hanc interpretationem sequuntur, tot exceptiones, quibus litigantes a peccato excusentur, statuunt, ut eam erroneam esse satis manifestent. Rectius igitur non de peccato, sed de imperfectione hic agi dicemus (*Theod.* « haec perfectionis sunt », *Thom. Dion. Iust. Lap.*, moderni plerique); ac revera vox graeca ἥττημα, quae a Vulg. *delictum* redditur, inferiorem dumtaxat conditionem per se significat[1]; itaque Apostoli mens est, Corinthios eo ipso, quod litigent, a perfectionis tramite deviasse nec amplius in eis perfectam Christiani imaginem inveniri.

Hanc explicationem postulat ratio addita : *Quare non magis* (potius) *iniuriam accipitis? quare non magis* (potius) *fraudem patimini?* Namque de praecepto non est, ut aliquis iniuriam accipiat et fraudem patiatur. Quodsi enim *Est.* verba Domini (*Matth.* 5,39 sqq.) : « Ego dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, praebe illi et alteram » etc., « praeceptum continere asserit, ut saltem ad venialem culpam obligent, si non praestentur secundum animi praeparationem », iustos limites transgreditur. Procul dubio omnis vindicta aut ultio illis verbis prohibetur; paratos quoque nos esse iubent ad remittendum de iure nostro, si vera caritas proximi et gloria Dei id exigant; at consilium dumtaxat exprimunt, ut illis in occasionibus, in quibus nec caritas nec gloria Dei periclitantur, iure nostro cedamus; quin etiam fieri potest, ut ob maius bonum obtinendum iniuriam refutare et ius repetere debeamus; id enim exemplo suo nos Dominus (*Ioan.* 18,23) et Paulus (*Act.* 16,37; 22,24) ipsi docuerunt (cfr *Thom. Mald.* in Matth. 5.).

Iam quaenam lites absolute prohibeantur, sequentia verba docent :

1. Vox ἥττημα (ab ἡττᾶσθαι inferiorem esse, profligari) semel tantum ab Alexandrinis (*Is.* 31,8) ita adhibetur, ut hebr. מַס respondeat : οἱ νεανίσκοι ἔσονται εἰς ἥττημα, quam sententiam aliqui non male explicant : « iuvenes rediguntur ad *parvum numerum* » (*Vulg.* : iuvenes vectigales erunt). In Novo Test. bis adhibetur, nostro sc. in loco et *Rom.* 11,12; in altero hoc loco a *Vulg.* redditur *diminutio* et a plerisque recte explicatur *minor numerus* sc. Iudaeorum, qui ibi opponitur *plenitudini eorum* i. e. integro populo; alii tamen vertere et explicare malunt : *clades eorum*. Sed quidquid est, nullo exemplo scripturistico demonstratur, ἥττημα significare *peccatum*. A profanis scriptoribus non adhibetur; apud scriptores ecclesiasticos iuniores sensu peccati usurpatur.

8. *Sed vos iniuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus!* Tantum aberat, ut consilia Domini observantes Corinthii ad veram perfectionem anhelarent, ut illud, quod ab aliis ferre noluerunt, aliis inferre non dubitarent iustitiamque litibus suis aperte violarent; quae agendi ratio multo maiore vituperio erat digna, quia iustitiam, quae erga omnes homines observetur oportet, ne erga eos quidem observarunt, quibuscum intimiore religionis vinculo erant coniuncti. « Neque enim, inquit *Chrys.*, similiter de peccatis iudicatur, quum committuntur in quemvis obvium, et quum in proprium membrum committuntur; illic sola peccati natura consideratur, hic etiam personae laesae qualitas ». Ad omnes enim bonum oportet Christiani operentur, maxime autem ad domesticos fidei (*Gal.* 6,10), atque similiter ab omnibus quidem, maxime autem a fratribus laedendis abstinere nos debemus. Quantum demum sit crimen iniustas lites fratribus intendere, Corinthii ex doctrina accepta scire possunt ac debent : 9. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt* (haereditabunt κληρονομήσουσιν)? *Iniqui* (ἄδικοι) hoc loco, uti ex contextu patet, non omnes peccatores, sed *iniusti*, uti legit *S. Cypr.*, intelliguntur.

Quoniam iniustitia, qua ius proximi laeditur, grave est peccatum hominemque gratia sanctificante et iure ad aeternam haereditatem privat, Apostolus occasionem arripit, ut eos quoque admoneat, qui gravibus aliis peccatis sese e regno Dei excludunt, atque ita viam sibi aperit ad illos vituperandos fideles, qui fornicationi erant dediti. Particula igitur, quae sequitur (*vv.* 9-11) praecedentem increpationem terminat et confirmat, alteram quasi praeparat et introducit (*cfr ad* 4,21). Graeci Apostolum his verbis « eos innuere censent, qui Deum utpote benignum homines puniturum esse negabant » (*Chrys. Theod.* etc.); accuratius, opinor, dicemus, eum illos prae oculis habere, qui ad christianam libertatem perverse interpretandam inclinabant. Ex doctrina enim paulina, Legem esse abrogatam, male intellecta aliquis deducere potuit, Christianos nulla amplius lege teneri; Paulus ipse Galatas iam monendos censuerat, ne, quamvis in libertatem sint vocati, « libertatem in occasionem carnis darent » (*Gal.* 5,13). Cuius antinomistici erroris, qui paucis annis postea in ecclesiis asiaticis a SS. Iacobo, Iuda, Petro, Ioanne impugnari debuit, prima quaedam vestigia Corinthi quoque videntur apparuisse, sed ab Apostolo statim hoc gravissimo monito sunt repressa.

Nolite errare doctrinam meam pervertentes; *neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri,* 10. *neque molles* (μαλακοί, qui turpia patiuntur), *neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici* (λοίδοροι), *neque rapaces re-*

gnum Dei possidebunt (κληρονομήσουσιν, haereditabunt). Duo peccatorum genera ita enumerantur, ut peccata contra sextum praeceptum primo, peccata contra iustitiam secundo in loco ponantur atque ordo, quo Apostolus in hoc capite de iis agit, quasi invertatur. Quinque autem impuritatis species recensentur, nam *idolis servientes* in hac serie illi apte intelliguntur, qui scortis in celeberrimo Aphroditae corinthiae fano libidini inservientibus abutebantur; gradatio igitur quaedam habetur a simplici fornicatione ad fornicationem cum scortis deae dicatis, ad adulterium, ad peccata contra naturam. Peccata contra iustitiam certo ordine recenseri non videntur; quin etiam medios inter iustitiae violatores (eodem fere modo, quo 5,11) ebriosi et maledici positi sunt. Omnes, qui hisce peccatis sese implicant et dedunt, ad pristinam vitam suam ethnicam revertuntur ideoque se ipsos a regni Dei haereditate excludunt.

Cuius infelicissimi status pristini eos commonefaciens Apostolus summum illud beneficium celebrat, quo a Deo ornati sunt, ut efficacius eos ab ethnicis vitiis absterreat. **11.** *Et haec quidam fuistis*, ταῦτά τινες ἦτε « eiusmodi farinae homines fuistis », sed durum opprobrium inserta vocula τινὲς (*quidam*, pro quo pronomine multi codd. latini male habent *quidem*) emollit; neque enim omnes neophyti ethnici ante conversionem suam tam gravibus delictis onerati fuerant; *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi et in Spiritu Dei nostri*. De baptismi effectu sermonem esse, interpretes consentiunt; ter autem repetita particula ἀλλά (*sed*) gradationem aliquam, qua a minore ad maius procedatur, indicari videtur, atque eiusmodi gradationem multi (*Chrys.* etc., *Est.* etc.) agnoscunt. At quaē haec sit, equidem non perspicio, quare cum aliis (*Thom. Cai.* etc., *M Ev. Mai.* etc.) tribus expressionibus unum idemque beneficium, quo ex tristi sua anteriore conditione ethnici neophyti in laetissimam novam sint translati, describi censeo, ita ut triplici particulae repetitione singula huius beneficii momenta velut aliquid magni efferantur. Efficientes enim, ut baptismo a peccatis pristinis abluerentur (ἀπελούσασθε i. e. effecistis, ut ablueremini, cfr *Act.* 22,16 βάπτισαι καὶ ἀπόλουσαι, fac, ut baptizeris et abluaris), gratia sanctificante ornati eodem temporis momento Dei servitio sunt consecrati (*sanctificati estis*) et iusti coram eo constituit (*iustificati estis*) *cfr ad* 1,30 et 1,2. Alii ita explicare malunt, ut duobus prioribus membris negativum (*abluti estis*) et positivum (*sanctificati estis*) iustificationis momentum exprimatur, ultimo demum (*iustificati estis*) utrumque comprehendatur. Cui explicationi libenter

subscriberem, nisi illud obstare videretur, quod in primo membro aoristus *medii*, in duobus aliis aor. *passivi* adhibeantur; primum igitur membrum (effecistis ut ablueremini) bonam voluntatem in baptizandis requisitam adfuisse innuit, duo altera, quae passivo modo exprimuntur, totum effectum baptismi a solo Deo esse docent. Quoniam baptismus in nomine trium personarum divinarum confertur, *Theod.* in ultimis huius versus verbis allusionem ad hanc baptismi formulam haud immerito videt : « aperte, inquit, aequalitatem Filii et Spiritus (Apostolus) ostendit coniunxitque etiam Dei et Patris nomen; per SS. Trinitatis enim invocationem aquarum natura sanctificatur et exhibetur peccatorum remissio »[1]. Itaque membrum additum *in nomine D. N. I. Chr. et in Spiritu Dei N.* cum primo verbo *abluti estis* proxime coniungimus, ita tamen (id quod per se patet), ut simul ad duo alia pertineat; neque ulla est ratio, cur ultimo membro (*in Spiritu Dei nostri*) charismata indicari cum *Iust.* dicamus, quae Spiritus S. baptizatis magna cum liberalitate contulerit. Meritoria enim sanctificationis et iustificationis causa est Dominus N. I. Chr., Spiritus vero qui a Deo Patre procedit cuique sanctificationis et iustificationis opus appropriari solet, quasi efficiens causa nominatur; siquidem « sanctissimae Domini passionis merito *per* Spiritum S. caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhaeret » (*Conc. Trid.* Sess. VI. De iustif. 7.).

Vix alius est Scripturae locus, qui imputativam, quam sibi Protestantes fingunt, iustificationem hoc nostro efficacius excludat. Peccata enim in iustificatis non tegi sed *ablui* dicuntur, atque homo non extrinsece tantum iustus appellatur vel reputatur, sed vere intrinsece sanctificatus est : a statu peccatoris, qui primis verbis describitur (*et haec fuistis*), in statum iusti transiit per completam peccatorum ablutionem et per novi vitae supranaturalis principii infusionem. Contra quae immerito aliqui acath. (*Ruck. Olsh.* etc.; mirum quod etiam *Bisp.*) verbo ἡγιάσθητε (sanctificati estis) mere legalem quandam sanctitatem exprimi asserunt (sanctorum coetui estis aggregati); ipse iam locus, quem vocabulum medium inter ἀπελούσασθε et ἐδικαιώθητε occupat, impedit, quominus ei similis significatio (sicut 7,14) attribuatur. Multo minus ultimum verbum ἐδικαιώθητε significare potest : « data est vobis spes fore, ut Deus iudicio suo iustos vos declaret » (« als drittes eröffnet ἐδικαιώθητε die Aussicht auf Gottes Rechtferti-

1. Cfr *Ater* : « Haec omnia beneficia puritatis in baptismate consecuti noscuntur, quod est fundamentum evangelicae veritatis. Illic enim omnibus peccatis depositis abluitur credens et iustificatur in Domini nomine et per Spiritum Dei nostri Deo filius adoptatur. Per hoc admonet illos, quanta et qualis sit gratia, quam per veram traditionem consecuti sunt ».

gungsurtheil » *Mey. Heinr.*); de re enim iam accepta sermo est, minime vero de futura aliqua declaratione. Sed singula acatholicorum effugia enumerare superfluum est; id unum addamus, etiam inter acatholicos non deesse, qui propter nostrum locum iustificationem imputativam a Paulo doceri negant (*Beck* apud *God.*).

§ 4. *De fugienda fornicatione* (6,12-20).

Ad eorum, qui ethnicorum exempla sequentes fornicationi sese dederant, increpationem transiens Apostolus excusationes, quibus vitium suum coram se ipsis forte diminuere conabantur, magna cum prudentia eis praeripit non de re indifferente agi ostendens, id quod ethnici putabant et forte etiam aliqui neophyti sibi persuadere volebant (6,12-14). Quo obstaculo remoto duobus argumentis ex dignitate corporis, utpote membri Christi et templi Spiritus S., desumtis foeditatem immanitatemque huius vitii demonstrat (6,15-20).

a.) *Fornicatio nequaquam est res indifferens* (6,12-14).

6,12. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt : Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* 13. *Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc et has destruet : corpus autem non fornicationi, sed Domino : et Dominus corpori.* 14. *Deus vero et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam.*

6,12. Πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει· πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐκ ἐγὼ ἐξουσιασθήσομαι ὑπό τινος. 13. τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ, καὶ ἡ κοιλιά τοῖς βρώμασιν. ὁ δὲ Θεὸς καὶ ταύτην καὶ ταῦτα καταργήσει. τὸ δὲ σῶμα οὐ τῇ πορνείᾳ, ἀλλὰ τῷ Κυρίῳ, καὶ ὁ Κύριος τῷ σώματι· 14. ὁ δὲ Θεὸς καὶ τὸν Κύριον ἤγειρεν καὶ ἡμᾶς ἐξήγειρεν διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ [1].

Iam inde a *v.* 9. Apostolum increpationem fornicationis praeparasse diximus, quum ibi iam aliquos respiceret, qui a christiana libertate perverse interpretanda non plane alieni erant. Verbis enim nonnullis, quibus Paulus forte ipse de rebus sola rituali lege Iudaeorum prohibitis usus erat, vitia sua se tegere posse arbitrabantur. Itaque sententiam istam ne illis quidem in rebus, quae per se sint licitae, semper valere sed arctioribus limitibus circumscribendam esse monet. 12. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Prius membrum interrogative legi oportere, ut alterum quasi responsio sit Apostoli, *Theod.* censet;

1. *VV. LL.* — 14. καὶ ἡμᾶς ἐξήγειρεν (et nos suscitavit) B et antiquiores *Vulg.* codd. (*Fuld.*, *Am. Harl.* qui saepe *b* et *v* confundunt); omnino legendum : καὶ ἡμᾶς ἐξεγερεῖ (*et nos suscitabit*) cum ℵ C K E L, plerisque minusc., *It. Vulg.* (*Clem.*) *Syr. Copt. Aeth.*; ita etiam *text. rec.*, qui tamen pro ἡμᾶς habet ὑμᾶς. Minus recte exhibent : ἐξεγείρει (suscitat) A D P Q cum paucis minusc. et duobus codd. *It.*

priore obiectionem aliquam vel excusationem peccatoris contineri, quae altero membro corrigatur et immerito afferri doceatur, *Iust.* et plerique moderni tenent. Sed cur eiusmodi dialogismus statuatur, nulla videtur adesse ratio; velut suam potius sententiam Apostolus principium hoc affert et limites, quibus etiam in adiaphororum usu circumscribatur oportet, indicat. De adiaphoris autem verba haec ab Apostolo usurpari, quamvis aliqui fideles latiorem sensum eis attribuerint, clarum est. Iam vero adiaphora omnia, si nuda in se considerantur, sunt licita, *sed non omnia expediunt* vel potius *prosunt* (συμφέρει). Non omnia omnibus! Certis enim in adiunctis res adiaphora et per se licita alicui non tantum non prodesse sed obesse et nocere potest, ut ab eius usu abstinere teneatur, quamvis aliis licita remaneat. « Quia enim non omnia prosunt, manifestum est, non omnibus, sed iis, quae mihi prosunt, uti mihi licere » (*Theod. M.*). Neque tantum per se ipsam res adiaphora alicui interdum fit illicita, sed etiam per modum, quo adhibetur; hinc principio repetito Paulus aliam exceptionem opponit : *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate*[1], vel accuratius iuxta graecum (ἀλλ' οὐκ ἐγὼ κτλ) : *sed non ego sub alicuius rei potestate redigar*, i. e. res mihi subiecta sit oportet, non ego rei subiectus. Si qua igitur res per se licita tantopere me allicit, ut in eius usu perfectam meam libertatem servare non possim sed eius quasi servus fiam, ab ea me abstineam oportet. Quamquam omnes cibi per se sunt adiaphori, certi tamen certis personis illiciti fieri possunt, sive quia illis non prosunt sed nocent, sive quia illos quasi captivant efficiuntque, ut intemperantiae indulgeant[2].

Quorsum hic versus, quem iisdem fere verbis Apostolus in suo tractatu de idolothytis (10,22. 23) repetit, et duo sequentes pertineant, antiqua est controversia. A *Gl ord.* (cfr *Herv. Lomb. Thom.*) tres iam proponuntur sententiae, quibus ex Graecorum interpretatione quarta accedit. Omni probabilitate duae ex illis destituuntur, quamvis una etiam modernis nonnullis acath. arriserit; supponitur enim, Paulum hic iam aut thema de idolothy-

1. Paronomasiam, qua Paulus in hac sententia utitur (πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐκ ἐγὼ ἐξουσιασθήσομαι ὑπό τινος), quamque iam aliis verbis *Theod.* imitatus est (Τοῦτο λέγεις, ὅτι... αὐτεξούσιος εἶ... ἀλλ' οὐ λυσιτελεῖ σοι πανταχοῦ τῇ ἐξουσίᾳ κεχρῆσθαι), latine aliqui imitari haud plane feliciter conati sunt : « omnia in *mea potestate* sunt, sed ego *sub nullius redigar potestate* » (*Iust.*), aut « omnia mihi licent, sed non ego *alicuius licentiam experiar* »; male *Cai.* « omnia mihi *licent*, sed non ego *ab ullo fiam licentiosus* ».

2. *Infra* (10,22. 23), ubi de idolothytis agit, Apostolus idem principium bis ita repetit, ut secundo in loco aliam conditionem adiungat : « omnia licent, sed non omnia *aedificant* » sc. proximum. Ad tria igitur iuxta Apostolum in adiaphororum usu attendatur oportet : num res hic et nunc mihi (i. e. meae saluti) prosit an noceat; num in eius usu temperare me possim annon; num res proximo aedificationi sit an scandalo. De tertia conditione hic non fit sermo, quia fornicarios esse vitandos iam antea dictum erat (5,9 sqq.).

tis inchoare voluisse, sed *v.* 13. ab illo aberrasse et tandem 8,1 ad illud revertisse (*Lomb*[2]. *Thom*[2]. etc.; — *Neand.* etc.), aut etiam eum illis praelusisse, quae infra (9,1 sqq.) uberius explicat, cur ab ecclesiis, quamvis id liceat, sustentari noluerit (*A[ter]. Gl ord*[2]. *Herv*[2]. *Lomb*[3]. *Thom*[3]. etc.); quae hypotheses non tantum prorsus sunt gratuitae sed etiam Apostolo parum dignae; tam leviter enim non relinquit thema suum atque digressiones, quas interdum inserit, cum argumento tractato intime cohaerent. Probabilior est alia sententia, quae *vv.* 12. et 13[a]. ad praecedentem tractatum de iudiciis ita pertinere tenet, ut Apostolus explicet, iusta iudicia licita quidem esse, sed tamen ab iis esse abstinendum, quia pacem inter fideles turbent (non expediunt) et pacem propriam auferant (sub nullius redigar potestate) et de rebus minimis cito perituris (esca ventris etc.) agantur (*Gl ord*[1]. *Herv*[1]. *Lomb*[1]. *Thom*[1]. *Lyr. Dion. Cai. Est. Lap. Men. Tir. Pic. M Ev. LR. Ramb.*). Cui explicationi tamen quam maxime obstat intimus, qui inter 13[a] et 13[b] adest, nexus; obstant quoque *v.* 8. sqq., qui Paulum de iustis iudiciis non amplius loqui clare demonstrant; miro igitur saltu ad *v.* 7. rediisset, ut statim ad prorsus aliam rem transiret. Itaque omnino cum Graecis et longe plerisque modernis tenemus, Paulum hic de fornicatione agere coepisse; in eo tamen Graeci a vero aberrant, quod Apostolum ad thema de incestuoso (5,1 sqq.) revertisse dicant; nam illo in loco de fornicatione ipsa non agit, sed de fornicatoribus aliisque peccatoribus vitandis.

Itaque adiaphororum quoque usum suos habere limites Apostolus hucusque ostendit cum iis, quos increpare vult, quasi supponens de re indifferente agi; at hanc hypothesin falsissimam esse neque ullo modo fornicationem adiaphoris posse accenseri, nunc demonstrat. Famem quidem aut ciborum appetentiam explere res est adiaphora, sed de libidinis desiderio longe aliter iudicetur oportet. 13. *Esca* (τὰ βρώματα, cibi s. escae) *ventri et venter escis; Deus autem et hunc et has destruet.* Haec quoque verba moderni plerique (*Mai. Bisp. Dr. Ramb.;* — acath. multi) velut obiectionem vel excusationem a fornicariis proferri censent, quam Apostolus in sequentibus refutet aut corrigat; fornicarios enim inter ciborum appetentiam et libidinis desiderium paritatem statuisse, ut ex manducationis liceitate ad fornicationis permissionem concluderent, Paulum vero illam paritatem negasse. Attamen dialogismum in hac particula sine sufficiente ratione admitti iam diximus, atque difficillimum est creditu, in ecclesia, quae ipsos ethnicos fornicarios sibi vitandos esse crediderat (5,9), aliquos fideles eo usque progressos esse, ut publice tam foedo argumento foedam doctrinam excusarent; alio modo, opinor, Apostolus locutus esset, si quis publice Corinthi hanc excusationem proferre ausus esset. Quare Apostolum haec omnia velut suam sententiam enuntiare cum antiquio-

ribus interpretibus rectius dicemus; etenim exemplo quodam ea, quae adiaphora sunt, illustrat, ut fornicationem non esse adiaphoram clarius appareat. Ciborum scilicet usus omnino est licitus, quia cibos ad ventrem satiandum, ventrem ad cibos concoquendos destinatos esse constat; qui igitur manducat, iuxta finem, quem Deus et ventri et cibis praefixit, omnino agit. Praeterea cibi et venter, si sub hac speciali ratione, quatenus nutritioni inserviunt, considerantur, sunt res periturae; quia in altera vita resuscitati « quemadmodum nec uxores ducent nec nubent, ita nec comedent nec bibent » (*Theod.*), Deus et ventrem et cibos *destruet* (καταργήσει inertes faciet i. e. muneribus suis eos privabit); res vero, quae ipso usu suo in corruptionem et interitum eunt, *per se* ad salutem non conferunt (cfr *Matth.* 15,11. 17; *Col.* 2,20 sqq.; *S. Hier.* ad Algas. ep. 121,10). Iam prorsus diversa est corporis et fornicationis relatio : *corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori;* 14. *Deus vero et Dominum suscitavit et nos suscitabit per virtutem suam.* De speciali membro Apostolus non loquitur, sed de toto corpore, quoniam integrum libidine afficitur, id quod eodem modo in manducatione vel aliis membrorum functionibus non obtinet. « Corpus autem non ideo formatum est, ut luxuriae et fornicationi operam det, sed ut Christum caput sequatur et ut Dominus supraponatur corpori » (*Chrys.*), vel ut habet *Thom.* « corpus ad hoc est ordinatum, ut sit Domini N. I. Chr., et Dominus ad hoc est datus hominibus, ut humana corpora suae gloriae conformet ». Revera corpus nostrum, sicuti Apostolus statim explicabit, destinatum est, ut membrum Christi fiat et sit; Dominus autem corpore nostro iam nunc tamquam membro suo uti vult, ut postea in resurrectione illud corpori claritatis suae configuret (*Phil.* 3,21; *cfr infra* 15, 42 sqq.). Neque enim, sicut venter et cibi, corpus fine suo aliquando privabitur, sed idem Deus, qui Dominum N. a mortuis suscitavit, eadem omnipotente virtute etiam illud suscitabit. Qui igitur fornicatur, corpus ad finem adhibet, ad quem destinatum non est, neque re peritura sed aeternum duratura abutitur; neutro modo ergo fornicatio adiaphoris potest accenseri.

Nullo modo mihi probatur sententia *Chrys.*, licet eam praeter *Theoph.* et *Dam.* etiam aliqui Latini (*Lap.* etc.) sequantur, qui « ventrem » metaphorice pro « gula » vel ingluvie sumi atque Paulum non de parte corporis sed de voracitate loqui putat; quod si enim monet, integrum nostrum corpus resuscitatum iri, id non est ad rem, quum omnes hoc concedant; sed iuxta Apostolum venter in altera vita non amplius eodem munere fungetur, quo hic fungitur, quia corpora resuscitata absque cibo conservabuntur. Neque multis illis Latinis assentior, qui cum *Chrys.* totam hanc particulam (12-14) maxime contra gulam dirigi volunt, quia ciborum et potus abusu homo ad fornicationem abducatur. Nam satis clarum est, sententiam *v.* 13[a]. ex-

pressam ab Apostolo cum solum in finem afferri, ut ex oppositione differentia inter manducationem, quae est res indifferens, et inter fornicationem manifestetur. Animadverte, Apostolum *v.* 14. dicere : (Deus) « et *nos* suscitabit per virtutem suam »; se ipse ergo inter resuscitandos hic recenset. Plerique acatholici assentientibus paucis modernis cath. (*Mai. Bisp.*) ex 15,51 (cfr 2 *Cor.* 5,4; 1 *Thess.* 4,14 sqq. etc.) deducere volunt, Apostolum credidisse et docuisse, Christum iam mox ad iudicium agendum regnumque gloriosum stabiliendum esse reversurum; quare etiam saltem in antiquioribus epistolis sese ipsum inter eos numeraverit, quos dominus adveniens vivos esset reperturus. Iamvero ex nostro loco clare patet, pronomen *nos* etiam in illis locis sensu, quem vocant, communicativo esse adhibitum, nec quidquam de tempore adventus Domini ab Apostolo doceri.

b.) *Fornicatio est contumelia membro Christi et templo Spiritus S. illata* (6,15-20).

6,15. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit.* 16. *An nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una.* 17. *Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est.* 18. *Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* 19. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* 20. *Emti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.*

6,15. οὐκ οἴδατε, ὅτι τὰ σώματα ὑμῶν μέλη Χριστοῦ ἐστίν; ἄρας οὖν τὰ μέλη Χριστοῦ ποιήσω πόρνης μέλη; μὴ γένοιτο. 16. ἢ οὐκ οἴδατε, ὅτι ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν σῶμα ἐστίν; Ἔσονται γάρ, φησιν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. 17. ὁ δὲ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ ἓν πνεῦμα ἐστίν. 18. φεύγετε τὴν πορνείαν. πᾶν ἁμάρτημα, ὃ ἐὰν ποιήσῃ ἄνθρωπος, ἐκτὸς τοῦ σώματός ἐστιν· ὁ δὲ πορνεύων εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει. 19. ἢ οὐκ οἴδατε, ὅτι τὸ σῶμα ὑμῶν ναὸς τοῦ ἐν ὑμῖν πνεύματος ἁγίου ἐστίν, οὗ ἔχετε ἀπὸ Θεοῦ, καὶ οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν; 20. ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς. δοξάσατε δὴ τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν [1].

Vanis, quibus aliquis forte se ipse decipere vitiumque suum coram se ipso tegere potuit, excusationibus remotis S. Paulus duobus gravissimis argumentis quam foedum peccatum sit fornicatio ostendit,

1. *VV. LL.* — 16. ἢ οὐκ οἴδατε (*aut* nescitis) B א A C F G P, multi minusc., *It.* (cfr *S. Cypr.* Test. c. Iud. III. 62, *S. Lucif.* etc.), *Vulg.* (quae minus bene vertit : *An nescitis*), *Copt.* etc.; sed parum recte ἤ (aut) omittunt D E K L aliique minusc. — 19. ὅτι τὸ σῶμα ὑμῶν (quod corpus vestrum) B א A C D E F G K L, multi minusc., *It.* (*Aug.* etc.), *Syr.* (codd.), etc. Minus recte ὅτι τὰ σώματα ὑμῶν (quod corpora vestra) L, alii minusc., *Memph.*, *Syr.* (codd.), *Arm.* atque etiam aliqui latini PP. Sola *Vulg.* legit : *membra vestra.* — 20. ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς (emti enim estis pretio) est communis lectio codd. graec. et verss.; additum Vulgatae : pretio *magno* ignorant etiam *Tert. Cypr. Aug. Ater, Prim.* etc. — δοξάσατε δή (glorificate igitur) est communis lectio graeca; δή (igitur) male omittitur ab א, paucis minusc., *Vulg.* — δοξάσατε δὴ τὸν θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν (glorificate igitur Deum in corpore vestro) sine ullo alio additamento videtur genuina lectio (B א A C D E F G, aliqui minusc., *Copt.*, *Arm.* etc.) cfr *Comment.*

quoniam et Christo, cuius sumus membra (15-17), et Spiritui S., cuius sumus templum (18-20), iniuriam inferat.

Dignitatem igitur corporis nostri, utpote membri Christi, ante omnia Corinthiis in memoriam revocat ultimis *v.* 13. verbis (*Dominus corpori*) uberius explicatis : 15. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Totum primum argumentum, quum huic sententiae innitatur, omni sua probandi vi privari evidens est, si mere denominativa tantum aut analogica quaedam corporis nostri cum Christo unio illis in verbis invenitur; ut argumento apostolico vis probandi competat, *nomen* unionis non sufficit, sed corpus nostrum cum Christo *vere* uniri debet. Quam unionem mysticam aeque parum quidem, atque alia mysteria, perspicimus, verum negare non possumus, quum haud semel ab Apostolo asseratur aut supponatur. Christus totius Ecclesiae, tamquam corporis sui mystici, est caput, omnesque et singuli fideles sunt membra Christi non tantum relate ad animas, sed etiam relate ad corpora : sicut Verbum integram naturam humanam, animam et corpus, assumsit, ita etiam Christus nos integros, animam et corpus, secum unire voluit. Iisdem verbis, quibus Adam Evam ex sua costa formatam « os ex ossibus suis et carnem de carne sua » dixit (*Gen.* 2,22), Apostolus nos « membra corporis Christi, de carne eius et de ossibus eius » dicit (*Eph.* 5,30[1] *cfr infra* 12,27 etc.). In Christo enim regenerati novam formam accipimus, qua non tantum anima ad vitam supranaturalem elevatur, sed etiam corpus futurae gloriae capax redditur; « neque enim tantum per Spiritum S. animam in vitae novitatem reformari, sed et crassum hoc et terrenum corpus cognata quadam participatione sanctificari et ad incorruptionem vocari oportebat » (*S. Cyr. Alex.* in Ioan. 6,54), ut sicut portavimus imaginem hominis terreni in corpore nostro corruptibili, ita aliquando portare possimus imaginem hominis coelestis in corpore incorruptibili (15,42 sqq.). Ad quam incorruptionem ut adducatur corpus nostrum,

1. In quae verba contra eos, qui resurrectionem negabant, egregie *S. Iren.* c. haer. V. 2,3 : « Quando ergo et mixtus calix et factus panis percipit verbum Dei et fit eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia : quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quae est vita aeterna, quum sanguine et corpore Christi nutriatur et membrum eius sit? Quemadmodum et B. Paulus ait : quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius, non de spirituali aliquo et invisibili homine haec dicens (Spiritus enim neque carnem neque ossa habet), sed de ea dispositione, quae est secundum verum hominem, quae ex carnibus et nervis et ossibus consistit, quae de calice, qui est sanguis eius, nutritur et de pane, quod est corpus eius, augetur » etc. Cfr etiam *S. Leo M.* serm. 63,7 (de pass. Dom. serm. 12) : « non enim aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus transeamus : et in quo commortui et consepulti et conresuscitati sumus, ipsum per omnia *et Spiritu et carne* gestemus ».

« Christus in eo inhabitat vivens simul et vivificans, ut obrepentem membris nostris mortem per se ipse destruat » (*S. Cyr.* i. h. l.), atque carne sua et sanguine suo nos nutriens « nobis veluti quoddam semen immortalitatis inserit, quod totam quae in nobis est corruptionem abolet » (*S. Cyr.* in Ioan. 6,55). Itaque integri Christo, velut oleaster olivae, inserimur et unimur, ut integri « socii radicis et pinguedinis olivae facti » (*Rom.* 11,17) transmutemur; atque sicuti anima nostra, ita etiam corpus nostrum est membrum Christi in nobis inhabitantis nosque vivificantis.

Tanta est dignitas corporis nostri; quanta igitur turpitudo horrenda fornicationis, qua membrum Christo eripitur, ut meretrici tradatur : *tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* « Nihil hoc verbo horribilius » (*Chrys.*); « quis enim non perhorrescet hoc audiens : membra Christi avellere eaque membra meretricis facere »? (*Theoph.*) [1]. Latinum *tollens* integram vim graeci ἄρας non exprimit, quod potius est i. q. *auferens :* membra Christo, cuius sunt, auferuntur, ut meretrici tradantur; duplex igitur adest crimen, quare cum horrore Apostolus exclamat : *Absit!* Ne quis vero putet, eum rem exaggerasse, quum per fornicationem membra Christi membra meretricis fieri diceret, assertum suum demonstrat : 16. *An nescitis, quoniam qui adhaeret* (ὁ κολλώμενος, expressius *It. :* qui agglutinatur) *meretrici, unum corpus efficitur* (ἐστί, *est*)? *Erunt enim, inquit*[2], *duo in carne una.* Melius legi : « *aut* nescitis », iam diximus; neque enim novum argumentum affertur, sed Minor praecedentis enthymematis quasi suppletur atque simul probatur : Christiani corpus est membrum Christi, atqui homo fornicans facit corpus suum meretricis membrum, ergo Christianus fornicans membrum Christi facit membrum meretricis. Minoris autem probatio desumitur ex Adami verbis, quibus vir et mulier in unione matrimoniali unum fieri dicuntur (לְבָשָׂר אֶחָד, εἰς σάρκα μίαν, in carnem unam vel caro una).

1. Cfr S. Cyr. A. i. h. l. : « Corporis nostri membra, si ob suam puritatem Christi membra permanserint, vitam illius et gloriam certe participabunt; transformabit enim corpus humilitatis nostrae, ut fiat conforme corpori gloriae suae. Sin vero meretricis membra evaserint, qui fieri poterit, ut transformationem et spiritualem cum illo confirmationis splendorem consequamur? »

2. Subiectum huius verbi Apostolus procul dubio voluit esse *Deus*, sicut etiam Dominus ipse eadem Deo loquenti attribuit (*Matth.* 19,4). Iuxta suum autem contextum (*Gen.* 2,23. 24) ab Adamo potius videntur esse prolata idque diserte dicit *Conc. Trid.* (Sess. XXIV. Doctr. de Sacr. Matrim.) : « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, quum dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis... et erunt duo in carne una ». At difficultatis, si qua est, solutio in ipsis Tridentini verbis indicatur, quibus Adam haec « divini Spiritus instinctu » pronuntiasse asseritur; *cfr* ea, quae in Trid. sequuntur.

Qua vero ratione Apostolus id, quod de legitimo matrimonio dictum est (*Gen.* 2,24), ad fornicationem transtulerit, merito quaeritur. Plerique interpretes quum graeci (*Chrys. Theod.* etc.) tum latini (*A^ter* etc.; *Herv.* etc.; *Cai. Est.* etc.; *Mc Ev. Bisp.* etc.; — acath. quoque) eam interpretationem sequuntur, quam his verbis exprimit *Thom.*: « per mixtionem carnalem una caro efficiuntur et sic membra unius fiunt membra alterius. Sunt enim haec verba Adae de viro et uxore loquentis, quae Apostolus hic etiam ad fornicationem refert, quia secundum speciem naturae non differunt *utriusque actus* ». Quae explicatio nescio an verbis Geneseos omni ex parte satisfaciat, quum solum externum actum unionis respiciat; nam Adae verba ipsam matrimonii essentiam attingunt, quae sine ulla commixtione stare potest. Revera Dominus (*Matth.* 19,4), postquam illa verba (*erunt* duo in carnem unam) attulit, statim subiunxit: « itaque iam non *sunt* duo, sed una caro », evidenter ostendens, istam unitatem corporis *semper* in matrimonio adesse nec ab illo actu dependere; neque minus clare idem elucet ex Apostoli argumentatione (*Eph.* 5,28 sqq.), ubi viros uxores, sicut corpora sua, diligere iubens velut praecepti rationem verba Adae affert, atque unitatem viri et mulieris cum unione Christi et Ecclesiae comparat. Adae igitur verba non tam unionem, ut ita dicam, materialem aut vinculum materiale, quam unionem moralem et vinculum morale exprimunt. Quapropter etiam *Iust.* explicatio non plane satisfacit: « Sexuum commixtio, inquit, duo corpora coniungit ad unum quidpiam efficiendum, atque ob id rationem habent unius perfectaeque causae, adeoque mira inter illos debet esse amoris ac benevolentiae coniunctio, ut in duobus corporibus sit una atque eadem mens. Quod quamquam minus perfecte, suo tamen modo in illis usu venit, qui nefarie coniunguntur et fiunt quodammodo sibi invicem membra ». Melius, ni fallor, *Pel.*: « quomodo cum uxore licite, ita et illicite cum meretrice una caro efficitur *per amorem* ». Quae tamen explicatione indigent.

In matrimonio nimirum legitimo et etiam in fornicatione unio quaedam habetur animorum viri et mulieris, quae mutuam corporum traditionem respicit; atque hac ratione verba Adae, quae solum legitimum matrimonium directe considerant, indirecte etiam fornicationem attingunt, ita ut Paulus ea ad illam referre potuerit. Attamen consideretur oportet, inter duas illas uniones quam maximam intercedere differentiam, quam Apostolus quoque saltem innuit. In legitimo enim matrimonio animorum unio secundum supremam hominis potentiam, quae est voluntas, efficitur, et quia vinculum hoc est spirituale, ipsa quoque unio est spiritualis quaedam, ut a Paulo cum mystica Christi

et Ecclesiae unione aptissime comparari potuerit (*Eph.* 5,22 sqq.). Sed in fornicatione animi viri et mulieris iuxta infimam potentiam uniuntur, quae est sensualitas vel potius concupiscentia carnalis; quo carnali vinculo unio ipsa quoque fit carnalis et effectus unionis est *una caro,* i. e. unum *corpus*. Ad hanc enim communem vocis significationem[1] Apostolus, ut hanc fornicariam unionem a legitimi matrimonii coniunctione distinguat, sese alludere ostendit, quum pergit: 17. *Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est* sc. cum eo. Uti vinculum, quo fornicarii uniuntur, est infimum, mera sc. concupiscentia carnis, atque vinculum, quod nos Domino agglutinat, est summum, supranaturalis sc. caritas, quae per S. Spiritum diffunditur in cordibus nostris, ita etiam fornicarii inter se in unam *carnem* coalescunt, nos vero per Domini ipsius caritatem nobiscum communicatam ita cum eo unimur, ut unus simus cum eo *spiritus*. Attamen quia corpus nostrum spiritui nostro deservit, consequens est, ut etiam corpora nostra sint membra eius, cui per spiritum unimur (cfr *Thom.*), ac proin revera Christianus fornicans membra Christo aufert, ut ea meretrici tradat. Non mirum ergo, quod tam gravi crimine intime commotus Apostolus exclamet: 18. *Fugite fornicationem!* Ad quae verba tantum non omnes interpretes expressionem ab Apostolo adhibitam *fugite* perpendendam esse monent; Patrum sententias quasi complectitur *Thom.* his verbis: « cetera vitia vincuntur resistendo, quia quanto magis homo particularia considerat, tanto minus in eis invenit, unde delectetur; sed vitium fornicationis non vincitur resistendo, quia quanto magis homo ibi considerat particularia, eo magis incenditur; sed vincitur fugiendo i. e. totaliter vitando cogitationes immundas et quaslibet occasiones ».

Neque tamen ignorans, hoc vitium ex eorum esse numero, quae homines magis alliciunt, Apostolus unico argumento non contentus alio non minus gravi foeditatem eius demonstrare voluit. Fornicator enim in suum ipsius corpus peccat (*v.* 18), atqui corpus Christiani est templum, in quo Spiritus S. tamquam in domo propria, utpote

1. בָּשָׂר (σάρξ, *caro*) plerumque corpus vivum designat, sed non desunt loci, in quibus pro אָדָם (ἄνθρωπος, *homo*) adhibetur, etiamsi frequentem expressionem כָּל־בָּשָׂר (omnis caro i. e. omnis homo) omittamus. In Ps. 55. (56.) verba v. 5. « in Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi *caro* » (בשׂר), velut versus intercalaris repetuntur *v.* 12: « in Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi *homo* (אדם) ». Iam in Adami verbis altera haec significatio aptior videtur; voluntatum enim unione vir et uxor fiunt quasi *unus homo,* quum duo eorum corpora una quasi mente et voluntate regantur. Apostolus autem de fornicariis loquens, qui sola concupiscentia carnali coniunguntur, consuetam potius significationem efferre voluit; ab altiore vocabuli significatione fere abstrahens inferiorem hominis partem consideravit.

pretio emta, inhabitat (*v.* 19); fornicatio ergo Christiani est sacrilegium, cuius gravitas augetur ex eo, quod Spiritus S. in nobis inhabitans in corpore nostro glorificari debeat (*v.* 20).

Maior argumenti apostolici est haec : *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in suum corpus peccat* (εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει). Qua de sententia *S. Augustinus* (Sermo 162,1.) « nescio, inquit, si possit ad liquidum dissolvi, quamvis possit donante Domino aliquid inde probabiliter dici : ita enim profunda est ». Iamvero probabilior explicatio videtur haec esse : In omnibus omnino peccatis, uti recte monet *S. Aug.* (l. c.), homo corpore suo tamquam instrumento utitur, siquidem anima, quamdiu cum corpore coniuncta est, in omnibus suis actionibus organo corporali indiget; hoc igitur sensu nullum peccatum *extra corpus esse* potest. At in omnibus peccatis, praeter fornicationem, homo re aliqua extra corpus eius sita indiget, in quam vel inordinate tendit vel qua indebito modo utitur : gulosus cibis, avarus opibus abutitur, superbus in excellentiam sibi non debitam tendit aut debitam inordinate prosequitur etc. Quapropter homo aut res illas fine, quem Deus eis praestituit, privare aut eis contra divinam voluntatem novum finem assignare, ideoque eis iniuriam inferre et *in eas peccare* recte dicitur. Aliter autem in fornicario res se habet, nam re extra corpus suum sita non indiget, sed solo corpore suo utitur illudque ad finem adhibet, quem Deus corpori non praefixerat; sicut alii igitur rebus extra corpus sitis, ita fornicarius corpori suo iniuriam infert ac proin *in* (i. e. contra) *suum corpus peccat* (εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει). Quod si quis obiicit, fornicarium etiam corpore meretricis abuti, Apostolus hanc obiectionem iam praeoccupavit dicens : « An nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus est » cum ea?

Ex graecis PP. et interpretibus *Oec.* decem et septem diversas huius difficilis sententiae explicationes iam collegit, quibus Latini antiqui et moderni non pauciores alias addiderunt. Quae omnes quum recenseri et diiudicari nequeant, eas solas proponemus, quae praeclarioribus interpretibus probabantur. Nonnulli (*Lap. Sa, Men. Tir.* etc. *Mai* etc.) difficultatem effugiunt potius, quam solvunt, aliquam exaggerationem, quam etiam *Aug.* (l. c.) iam insinuare videtur, in verbis apostolicis admittentes (« omnia peccata, i. e. *pleraque* omnia peccata, quae ordinarie et communiter homines facere solent, extra corpus sunt ». *Lap.*); at Apostolus de « *omni peccato, quodcumque fecerit homo* » loquitur (πᾶν ἁμάρτημα, ὃ ἐὰν ποιήσῃ ἄνθρωπος). Quatuor explicationes *Thom.* affert, quarum prima, quae ei praeplacere videtur, haec est : « Quaedam peccata non consummantur in carnali delectatione, sed in spirituali sola, ideo spiritualia vitia dicuntur, uti superbia etc.; fornicatio autem completur maxime in carnali delectatione, et secundum hoc posset intelligi, quod omne peccatum extra corpus esse dicitur, quia completur praeter sui corporis delectationem.

Qui autem fornicatur, in suum corpus peccat, quia eius peccatum in carne consummatur ». Obiicienti, gulam quoque delectatione carnali compleri, respondet *Thom.*, gulam sub luxuria contineri, quia ad eam ordinetur; sed haec responsio non sufficit, siquidem non omnis gula ad luxuriam ordinatur. Praeterea animadverto, iuxta Apostolum a fornicario « in corpus » peccari, sed explicatio *Thom.* scriptum esse supponit « in corpore » vel « corpore peccari ». — Quapropter *Thom.* alteram proponit, quae multis probatur sed diversissimis modis exponi solet. *Chrys. Theod.*, aliique Graeci, *Aug. A*ter eam iam habent; ex Aug. in *Gl ord.* transumta repetitur media aetate a *Herv. Lomb. Lyr.* etc.; atque post *Est. Iust.* etc. inter modernos quoque (*M Ev.*, *Bisp. L R. Dr.* etc.) praevaluit. Ita eam proponit *Est.* : « Is, qui fornicatur aut quocumque modo peccat per immunditiam carnalem, peccat in corpus suum, quia illud dehonestat et ignominia afficit, excitans in se brutalem ac foedam libidinem, qua nimirum ita prorsus absorbetur animus, ut in eo nihil aliud agere possit. Quod in aliis peccatis *non ita* contingit, ne in gula quidem et ebrietate. Quo fit, ut voluptas aliorum sensuum etiam immoderata non habeat huiusmodi turpitudinem, sicut voluptas venerea. Quae propter hanc causam etiam in actu coniugali non potest non esse pudenda, tametsi in coniugibus per bona matrimonii, quae sunt fides, proles, sacramentum, excusetur hoc malum a peccato saltem mortali ». Quae explicatio duobus incommodis laborat; primum ex ea, uti innuit *Est.* ipse, necessario sequitur, *per se* etiam coniuges actu coniugali in suum corpus peccare, id quod dici nequit; porro S. Paulus fornicarium *gravius*, quam gulosum vel ebriosum, in corpus suum peccare non dicit, sed simpliciter negat, alios peccatores praeter fornicarium in corpus suum peccare; gulosus porro et ebriosus etiam corpus suum dehonestant et ignominia afficiunt, ita absorbentur, ut nihil aliud agere, immo nihil aliud ne cogitare quidem possint etc. — Tertiam *Thom.* explicationem iam praetulit *Oec.* : « in corpus suum peccat, i. e. contra uxorem suam, quae dicitur corpus viri, contra quam non ita directe sunt alia peccata, sicut viri fornicatio ». At Paulus de solis adulteris non loquitur. — Quarta *Thom.* explicatio est secunda *S. Aug.* (l. c.) : « Verba possunt intelligi de fornicatione spirituali, per quam anima mundo adhaeret et recedit a Deo. Est ergo sensus : Qui fornicatur recedens a Deo propter amorem mundi, in corpus suum peccat, i. e. per corporalem concupiscentiam. Omne autem aliud peccatum, puta quod homo committit ex oblivione vel ex ignorantia aut negligentia, est extra corpus i. e. corporalem concupiscentiam ». Quam explicationem et a verbis et a mente Pauli longe aberrare, demonstratione non indiget. — Ex *S. Athan. Oec.* hanc affert : « Cetera peccata solam animam afficiunt et in solam animam nocumentum transmittunt; qui vero scortatur, corpus una cum anima afficit iniuria, corrumpens illud ac debilitans et animalem ac vitalem auferens vigorem ». Sed quid de gula, suicidio aliisque bene multis peccatis dicemus? — Ad explicationem nostram proxime accedunt *Nat.* (« Qui fornicationem committit, corpore suo adversus semet ipsum abutitur; illud non solum organum, sed etiam obiectum peccati facit ») et *Ramb.* (« Dans tout autre péché l'homme abuse d'une chose étrangère au corps, et qui est l'objet ou l'instrument de la passion; mais dans celle-ci, c'est de son corps qu'il abuse »); vicina quoque est aliquorum acath. (*Mey.* etc.) explicatio; sed, ut videtur, omnes non satis attendunt, « in alias res » peccari non tantum earum abusu, sed etiam earum non-usu, si usus est a Deo praescriptus; hac enim quoque ratione res suo fine privari possunt. — Inter reliquos acath. plerique unam ex sententiis iam expositis sequuntur; nonnulli novas quaesiverunt, quae non multum valent : sola fornicatione corpus Christiani a corpore Christi separari, absurde statuit *Fritzsche*; in sola fornicatione rem, qua peccatur, apud peccatorem remanere, vix minus

absurde statuit *Hofm.*; duo corpora, unum periturum, alterum immutabile, quod sit resurrecturum (*cfr* 15,50), sibi fingit et hoc alterum sola fornicatione attingi statuit *God.*; inter personalitatem et corpus distinguens (*cfr* 2 *Cor.* 12,2) omnia illa peccata extra corpus esse statuit *Heinr.*, quae ex inordinata voluntate personalitatis procedant; quid sibi hoc velit, equidem non intelligo; sed haec recentissima exempla sufficiunt.

Ex Pauli asserto, solum fornicarium *in suum corpus peccare*, consequens quidem est, fornicationi singularem inesse malitiam, qua a reliquis omnibus peccatis distinguitur; sed inde concludere non licet, eam omnium peccatorum esse gravissimum. Quaenam potius sit eius gravitas, Apostolus ex speciali huius peccati ad corpus relatione deducere vult, illud tacite supponens, quod per se clarum est, iniuriam eo graviorem esse, quo maiore dignitate res vel persona pollet, cui infertur. Ideo in Minore argumenti sui ostendit, quanta sit dignitas corporis, in quod fornicarius christianus peccat : 19. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus S. qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* 20. *Emti enim estis pretio* (*magno*). Graeca lectio : ἢ οὐκ οἴδατε (*aut* nescitis), quam Vulg. (*an* nescitis) non satis accurate reddidit, idem argumentum continuari docet; unde etiam elucet, quum syllogismi Minorem hic habeamus, graecam lectionem : τὸ σῶμα ὑμῶν vel τὰ σώματα ὑμῶν (*corpus* vestrum vel *corpora* vestra), quam prima quoque latina versio expressit (*Tert. Cyp. Lucif. Aug.* etc.), esse praeferendam. Porro vere admirabili modo Apostolus brevi hac sententia dignitatem corporis nostri celebrat, quum ad eam efficiendam tres divinas personas concurrisse ostendat : Spiritus S. in nobis inhabitat, sed Deus Pater eum nobis dedit, atque Filius nos emit, ut tamquam in domo propria Spiritus in nobis resideat. Corpus igitur Christiani est templum inhabitantis in eo Spiritus S. (τοῦ ἐν ὑμῖν πνεύματος ἁγίου), qui proxime quidem in animo per gratiam sanctificantem residet eumque caritate divina diffusa sibi templum consecrat, sed simul ipsum quoque corpus sanctificat, ut sanctificati animi sit aptum instrumentum; « in membris corporalibus, inquit *Thom.*, inhabitat, in quantum exsequuntur opera caritatis, quae per eum in cordibus diffusa est ». Neque tamen per solos suos effectus Spiritus in nobis residet, sed ipsa quoque persona Spiritus S. singulari et speciali modo in iustificatis habitat, atque cum S. Spiritu et per Spiritum S. duae aliae personae in nobis speciali modo praesentes sunt : nam « sumus, inquit *S. Cyr. Alex.* templa Dei vivi (2 *Cor.* 6,15), quia in nobis inhabitat *per* S. Spiritum Christus habens secum in propria natura illum quoque, ex quo substantialiter emanavit, Deum Patrem ». Itaque toti SS. Trinitati velut templum corpus Chri-

stiani consecratum est per Spiritum, *quem habetis,* inquit Paulus, *a Deo.* « Donatorem quoque nominavit, ut nos exaltaret simul et terreret magnitudine depositi et deponentis dignitate » (*Dam.*)[1]. Ceterum quoniam « habere id solum dicimur, quo libere possumus uti vel frui » (*Thom.*), Spiritus a Patre ita nobis est datus, ut per eum divinae naturae consortes effecti cum eo intimius semper uniamur, per eum magis magisque sanctificemur, in eo futurae corporis nostri gloriae pignus possideamus (2 *Cor.* 5,5).

Iam corpus nostrum eo ipso, quod est templum Spiritus S., etiam in eius possessionem transiit, at illud non vi occupavit, sed emtionis iure tenet : *non estis vestri; emti enim estis pretio* (*magno*). Magnum esse pretium, quo emti sumus, aliunde scimus (1 *Petr.* 1,18. 19), Paulus vero hic non expressit, quia illud unum docere voluit, Spiritum corpus nostrum omnimodo iure possidere. Olim scilicet una cum anima nostra etiam corpus nostrum in potestate fuit principis huius saeculi, cuius servituti eramus subiecti; ex illa autem nos emit Christus pretio soluto atque ipse nos possidere incepit misso Spiritu suo, qui in nobis habitaret.

Haec est igitur dignitas corporis nostri : Christus illud sanguine suo emit, Pater misit Spiritum S., ut in illo habitaret, Spiritus S. et gratia et praesentia sua illud consecrat templum SS. Trinitati : quanta ergo est gravitas iniuriae, quae huic corpori infertur! At hac conclusione, quae sua sponte ex praemissis illucescit, praetermissa Apostolus aliquid plus postulat : *Glorificate* (δή, igitur) (*et portate*) *Deum in corpore vestro.* Neque enim tantum ab omnibus nos abstineamus oportet, quibus dignitas corporis nostri, utpote templi Spiritus S., laeditur et violatur, sed eum quoque, qui divina sua praesentia nos glorificat, in corpore nostro, utpote in sanctuario eius, glorificare debemus, id quod faciemus, si illud integrum velut speciali servitio Dei dedicatum consideramus neque illo umquam, nisi iuxta divinam voluntatem utamur. Alterum membrum (*et portate*), quod in graecis quidem codd. et in aliis verss. desideratur, in latinis vero exemplaribus iam a Tertulliani tempore legitur, metaphorice eandem ideam exprimit; corpus enim iumento comparatur, quod a sessore plane dependens ab eo sese regi sinit atque ei soli inservit. Nonnulli graeci codd. et Patres aliud additamentum habent : Δοξάσατε δή τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν

1. Cfr *S. Aug.* serm. 71,12 : « Insinuatur nobis in Patre auctoritas, in Filio nativitas, in Spiritu S. Patris Filiique communitas, in tribus aequalitas. Quod ergo commune est Patri et Filio, per hoc nos voluerunt habere communionem et inter nos et secum, et per illud donum nos colligere in unum, quod ambo habent unum, hoc est per Spiritum Sanctum, Deum et donum Dei ».

καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ; quae explicans *Theod.* : « Et animorum, inquit, et corporum opifex est Deus, qui ea non solum fecit, sed etiam a diaboli potestate redemit. Oportet ergo nos et corpore et animo illum glorificare, illa facientes et dicentes, quae omnium linguas ad Deum laudandum excitant ». Quae quidem verissima sunt, sed quia in hac sectione Apostolus de corporis solius dignitate egit, illud ἐν τῷ πνεύματι κτλ. minus recte videtur additum.

Eadem ratione, qua supra (*cfr ad* 3,16, ubi integra ecclesia corinthia templum *Dei* vocatur, quia *Spiritus S.* in ea residet) divinitatem Spiritus S. demonstrari diximus, eam ex nostro quoque loco legitima conclusione derivari clarum est. Porro animadverte, ex verbis Apostoli (An nescitis, quoniam corpus vestrum est templum Spiritus S. etc.), non sequi, unumquemque de Spiritus S. praesentia certum esse; integram enim ecclesiam alloquitur, non singulos fideles; verba igitur eius nihil aliud dicunt, nisi Corinthios hanc doctrinam de Spiritu S. in iustis inhabitante non posse ignorare.

Multi interpretes (*Est. Iust.* etc. *Bisp.* etc.; — ex acath. *Mey. Heinr.* etc.) in *v.* 19. duo argumenta afferri censent (*estis templum*, *non estis vestri*), ut fornicatio velut sacrilegium et velut iniustitia designetur. Rectius tamen, ni fallor, tria momenta distinguuntur (inhabitatio ex parte Spiritus, donatio Spiritus ex parte Patris, emtio ex parte Filii), quae tamen unum solum argumentum constituunt, quum ex omni parte dignitatem corporis demonstrent clariusque manifestent.

« Hic, inquit *Theod.*, Apostolus primam epistolae partem terminat. Nos autem eius admonitionis memores et corpora nostra exhibeamus hostiam vivam, sanctam, Deo bene placentem, et animum omnium beneficiorum recordatione sanctificemus, ut et in hac vita vere Dei templa simus et promissis bonis fruamur gratia et benignitate Domini N. I. Chr. ».

ALTERA PARS EPISTOLAE.

DE QUAESTIONIBUS APOSTOLO AB ECCLESIA CORINTHIA PROPOSITIS (7,1-15, 58).

§ 1. *De matrimonio et coelibatu* (7,1-40).

A cap. 7. initio alteram epistolae partem inchoari atque Apostolum quaestionibus ab ecclesia corinthia propositis respondere, tantum non omnes interpretes antiqui et moderni recte tenent. Etenim verba, quibus exorditur : 1. *De quibus autem scripsistis mihi* (haec dico; περὶ δὲ ὧν ἐγράψατέ μοι — λέγω τάδε) omnia illa doctrinae capita, quae sequuntur, complecti, ipse tractandi modus ostendit. Utrum quidem Corinthii varia argumenta eo ordine, quo Apostolus illa tractat (: 1. De matrimonio et coelibatu, 2. de idolothytis, 3. de decoro in coetibus sacris servando, 4. de charismatis, 5. de futura resurrectione), an alio proposuerint, ignoramus; veri tamen simillimum est, Paulum fornicariorum reprehensione adductum esse, ut primo in loco de matrimonio et coelibatu ageret; quae enim de castitate extra matrimonium servanda monuerat, ea intime cum illis cohaerent, quae de matrimonii usu et de maiore coelibatus perfectione traditurus est.

Corinthiorum quaestio quae fuerit, ex solo Pauli responso coniicere licet : « scripserunt ei, inquit *Chrys.*, utrum oporteret ab uxore abstinere, annon, et de matrimonio legem ferens simul etiam de virginitate sermonem facit ». Valde inutiliter moderni interpretes multi hic inquirunt, quaenam ex corinthiis factionibus quaestionem Apostolo proposuerit aut eam provocaverit; pro suo enim quisque arbitrio aut Paulinis aut Petrinis aut Apollonianis aut Christinis talem doctrinam affingit, ut eos huius quaestionis auctores faciat. Id unum cum *Thom.* vel potius cum *Gl ord.* aut cum *S. Aug.*, a quo haec glossa dependet, recte dici videtur, « in detestationem fornicationis aliquos habentes zelum Dei, sed non secundum scientiam, eousque processisse, ut matrimonia quoque damnarent iuxta illud 1 *Tim.* 4, 2 (« in hypocrisi loquentium mendacium et prohibentium nubere »); quod quum neophytis durum

visum esset, eos hac de re Apostoli sententiam exquisivisse ». Post apostolicam quoque aetatem non defuisse haereticos, qui falsa ascesi seducti matrimonium omnino damnarent, docet historia.

Quaestionem ipsam Apostolus ita tractat, ut 1. quid de matrimonii usu sentiendum sit exponat (7,1-9), 2. de matrimonialis vinculi ipsius indissolubilitate agat (7,10-24), 3. coelibatum virginibus commendet (7,25-38) et viduis (7,39-40). Neque tamen omni ex parte Apostolus totam quaestionem agitare voluit, sed ea sola exposuit, quae tum temporis necessitatibus neophytorum corinthiorum censuit adaptata; errant igitur acath. illi (*Baur* etc.), qui ex hoc solo capite integram Pauli de matrimonio doctrinam diiudicare audent.

I. — *De usu matrimonii* (7, 1-9).

7,1. *De quibus autem scripsistis mihi : Bonum est homini mulierem non tangere;* 2. *propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat.* 3. *Uxori vir debitum reddat : similiter autem et uxor viro.* 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* 5. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* 6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* 7. *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum : sed unusquisque proprium donum habet ex Deo : alius quidem sic, alius vero sic.* 8. *Dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.* 9. *Quodsi non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.*

7,1. Περὶ δὲ ὧν ἐγράψατε, καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι. 2. διὰ δὲ τὰς πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω, καὶ ἑκάστη τὸν ἴδιον ἄνδρα ἐχέτω. 3. τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλὴν ἀποδιδότω, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ γυνὴ τῷ ἀνδρί. 4. ἡ γυνὴ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει, ἀλλὰ ὁ ἀνήρ· ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἀνὴρ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει, ἀλλὰ ἡ γυνή. 5. μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, εἰ μή τι ἐκ συμφώνου πρὸς καιρόν, ἵνα σχολάσητε τῇ προσευχῇ καὶ πάλιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἦτε, ἵνα μὴ πειράζῃ ὑμᾶς ὁ σατανᾶς διὰ τὴν ἀκρασίαν. 6. τοῦτο δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην, οὐ κατ' ἐπιταγήν. 7. Θέλω δὲ πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτόν· ἀλλὰ ἕκαστος ἴδιον ἔχει χάρισμα ἐκ Θεοῦ, ὁ μέν οὕτως, ὁ δὲ οὕτως. 8. Λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις καὶ ταῖς χήραις, καλὸν αὐτοῖς, ἂν μείνωσιν ὡς κἀγώ. 9. εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν· κρεῖττον γάρ ἐστιν γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι[1].

1. *VV. LL.* — 1. ἐγράψατε (scripsistis) sine addito pronomino B ℵ C, pauci minusc., *Vulg.* (*Fuld.*, Am.); sed ἐγράψατέ μοι (*scripsistis mihi*) cum reliquis codd., *It. Vulg.* (*Clem.*) etc. — 3. διὰ δὲ τὰς πορνείας (propter fornicationes autem) plerique codd. et PP. gr., *It.* (*Tert. S. Aug. S. Hier.*); quae lectio alteri videtur praeferenda : διὰ δὲ τὴν πορνείαν (*propter fornicationem autem*) F G, *Vulg. Syr.*, aliqui PP. latini. — 3. τὴν ὀφειλήν (*debitum*) B ℵ A C D E F G P Q, pauci minusc., *Vulg. Copt. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* : τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν (debitam benevolentiam) cum K L, plerisque minusc. et iunioribus PP. graecis. — 5. ἵνα σχολάσητε τῇ προσευχῇ (*ut vacetis orationi*) B ℵ A C D E F G P, nonnulli minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* : τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ (ieiunio et orationi) cum K L, plerisque minusc., *Syr. Goth.*;

A sententia generali, qua abstinentia a consortio mulieris commendatur, exorsus (7,1) Paulus licitum tamen esse matrimonii usum ob incontinentiae periculum vitandum proclamat (2-4), atque ob eandem rationem non nisi certis in casibus ab eo abstinendum esse monet (5-6), nisi coniuges donum continentiae possideant, quod non omnibus concessum esse insinuat (7-9).

Verba, a quibus Apostolus tractatum suum de matrimonio et coelibatu inchoat: **1.** *Bonum est homini mulierem non tangere*, per se quidem et de commercio coniugali et de fornicatione intelligi possunt et ab haud paucis interpretibus sensu hoc amplo intelliguntur; at commercium illegitimum verbis illis non comprehendi, contextus ni fallor evidenter docet. Postquam enim tam gravibus verbis foeda fornicationis turpitudo immediate antea descripta est, nec simplici καλόν (*bonum est*) eius evitatio commendari nec legitimo coniugum commercio quasi aequiparari potuit. De solis igitur coniugibus Apostolus loquitur, atque ἄνθρωπος et γυνή (*homo, mulier*), sicut in reliquo capite ἀνήρ et γυνή (*vir* et *mulier*, pro qua ultima voce *Vulg.* interdum vocabulo *uxoris* utitur) solos designat coniuges; itaque parum recte interpretes aliqui antiqui (*Thom. Dion. Cai.* etc.) et moderni (*Mai. Bisp. LR.* etc.) maxime acath. (*Mey. Kl Br. God. Heinr.* etc.) de viro coelibe sermonem esse putant. Neque enim usquam expressio *mulierem tangere* significat *uxorem ducere*, uti explicarunt aliqui (*Thom. Cai.* etc.), sed idem est, quod « cum muliere commisceri », quo sensu non tantum in Scriptura (*Gen.* 20, 4. 6; 26,11; *Prov.* 6,29), sed etiam a profanis scriptoribus adhibetur [1]. Abstinere ab actu coniugali igitur iuxta doctrinam apostolicam *bonum est* (καλόν), qua voce non utilitas quaedam ob matrimonii molestias evitatas (ita antiquiores acath. cfr *Wolf. Beng.*) sed bonitas moralis, quae ad salutem aeternam confert, exprimitur, aut saltem utilitas quaedam spiritualis [2].

superfluum additamentum. — καὶ πάλιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἦτε (et iterum ad id ipsum sitis, *S. Aug.* : estote) BℵACDEFG, pauci minusc. et PP.; sed *textus rec.* : καὶ πάλιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχησθε (*et iterum revertimini in id ipsum* vel revertamini) cum KLP, plerisque minusc. et *omnibus verss.*; sensus vix variatur cfr *Comment.* — 7. Utrum praeferendum sit θέλω γάρ (*volo enim*) BKLP, plerique minusc., *Vulg.* (*Clem.*) *Syr. Arm. Aeth*, an θέλω δέ (volo autem) ℵACDFG, pauci minusc., *It. Vulg.* (*Fuld. Am. Demid.*) *Copt. Goth.*, ex contextu diiudicetur oportet. — πάντας ἀνθρώπους (omnes homines) est lectio communis codd. et PP. graec., quam cum *Fuld. Am.* etc. etiam tuentur multi iuniores codd. *Vulg.*; alii tamen habent : omnes *vos* homines (*Lyr.* etc.), alii tantum : *omnes vos (Vulg. Clem.)*.

1. Mirum, quod aliqui acath. (*Br. God.* etc.), ut ad suum sensum perveniant, versum ita reddunt, ac si Paulus scripsisset : μηδεμίας γυναικὸς ἅπτεσθαι (bonum est homini, *nullam* mulierem tangere), licet haec quoque expressio de ineundo matrimonio aegre explicetur.

2. Καλός frequentissime i. q. ἀγαθός, ut κακῷ opponatur, sensu ethico adhibetur cfr *Rom.*

Sensum comparativum vocabulo attribuisse *S. Aug.* (Enchir. 121) videtur, quum hanc Apostoli sententiam inter illas referat, « quae non iubentur, sed spirituali consilio monentur » ac proin de bono meliore agunt; atque eodem modo illud Graeci interpretati sunt, idque rectissime, siquidem oppositione ad sententiam sequentem (simili ratione, qua *v.* 8. 9. etc.) comparatio quaedam habetur, quam optime expressit *Chrys.* : « Si quid bonum sit et valde excellens, quaeris, melius est cum muliere nullam habere consuetudinem; si quaeris quid tutum sit et infirmitatem tuam iuvet, utere matrimonio »[1]. Ita enim Apostolus : **2.** *propter fornicationem* (fornicationes) *autem unusquisque suam uxorem habeat et unaquaeque suum virum habeat.* Accuratiore lectione (διὰ τὰς πορνείας), quam etiam *Tert.* (de Monog. 3), *S. Hier.* (c. Iovin. I. 7), *S. Aug.* (de adult. coni. 2) retinuerunt, varia incontinentiae peccata innuuntur, quorum periculo homo expositus est. Parum bene Apostolum de matrimonio sensisse, quum illud ob vitandum fornicationis dumtaxat periculum permitteret, aliqui rationalistae putarunt (*Baur* etc.); sed quanti illud aestimaverit, ex *Eph.* 5,22 sqq. liquido apparet, ubi illud cum Christi et Ecclesiae unione comparare non dubitavit. Verum erroneo interpretes illi cum plerisque acath. et nonnullis catholicis (*Thom. Dion. Cai.* etc., *Mai. Bisp.*) de ineundo matrimonio sermonem esse arbitrantur; nam Apostolus rationem tantum indicat, quae plerisque coniugibus usum contracti iam matrimonii necessarium reddit. Id iam ex huius versus cum praecedente et sequentibus nexu clare elucet et ipsis verbis clarius manifestatur; etenim expressiones *uxorem habere, virum habere* matrimonium iam contractum esse supponunt atque idem significant, quod « in matrimonio degere eiusque implere officia et uti iuribus » (*cfr ad* 5,1); alius sen-

7,16-21; 12,17; 14,21 etc. Id etiam concedunt moderni acath., sed quia versum de ineundo matrimonio explicant, sensum vocis καλόν attenuare conantur, ne Paulus coelibatum matrimonio praeferre videatur. Mirum in modum se torquet *God.;* primum concedit, voce καλόν aliquid plus exprimi quam voce σύμφορον (7,35; cfr 6,10; 10,13), quam de morali bonitate vel utilitate morali recte explicat; immediate postea καλόν nihil aliud ei est, nisi *decet;* paucis interiectis lineis iterum concedit, iuxta doctrinam Pauli et Domini ipsius (*Luc.* 20,24. 25) imaginem perfecti viri clarius et splendidius in Christiano coelibe, quam coniugato apparere (« das Ideal kommt in der Person eines unverheiratheten Christen noch vollkommener und herrlicher zur Erscheinung, als in der eines verheiratheten »), atque tandem concludit, verba Pauli id unum docere : virum esse coelibem *plane non dedecet* (der Apostel will nur sagen, dass es für den Mann durchaus nichts Unanstaendiges sei, ehelos zu leben »). Haec omnia eodem in contextu.

1. Comparativum hunc sensum etiam aliqui acath. (*Kl. Ev.* etc.) admittunt, plerique tamen eum reiiciunt, quia negant continuam coniugum ab actu coniugali abstinentiam a Paulo potuisse commendari, quippe qui matrimonium tamquam sexuum commixtionem maximi aestimaverit (cfr ex. gr. *Mey. Heinr.* etc.). Praeiudiciis suis occaecati solem in meridie non vident.

sus nusquam eis attribuitur idemque hoc loco multo magis est retinendus, quia *suam* quisque uxorem (τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα), *suum* quaeque virum (τὸν ἴδιον ἄνδρα) habere fideles iubentur; inepte Paulus esset locutus, si his verbis ineundum matrimonium commendasset. Ineptissime igitur antiquiores acath. ex hoc versu deduxerunt, omnibus hominibus matrimonium esse praeceptum atque coelibatum prohiberi (cfr *Lap.* etc.). Praeceptum quidem hic habemus, siquidem coniugibus usus matrimonii praecipitur, neque tamen absolute, sed *propter fornicationes;* ubi igitur incontinentiae periculum deest, ibi etiam praeceptum cessat, uti in sequentibus Apostolus accuratius explicat.

Duobus his versibus de usu matrimonii agi, iam tradunt PP. graeci (*Chrys. Theod.* etc.) et inter Latinos *S. Hier.* (c. Iovin. I. 7), quos plerique antiquiores (*Herv. Lomb.* etc.) et recentiores (*Gagn. Est. Iust. Lap. Sa, Tirin. Nat. Pic.* etc.) atque etiam aliqui moderni acath. (*Rück. Kl.* etc.) secuti sunt; hanc solam explicationem verbis congruere, nisi eis inusitatas significationes attribuere velimus, iam vidimus, eandemque postulat nexus cum sequentibus versibus, uti statim videbimus; sed antea pauca de duobus illis versibus addamus oportet.

Iustos limites transgressus *S. Hier.* verba priora nimis urget : « Si bonum est mulierem non tangere, inquiens, malum est ergo tangere; nihil enim bonum contrarium est, nisi malum; si autem malum est et ignoscitur, ideo conceditur, ne malo quid deterius fiat » (l. c.). Quae verba a *Tert.* (De monog. 3.) mutuatus est, non attendens, bonum et malum contraria quidem, sed non contradictoria esse; quapropter etiam postea verba sua accuratius explicare coactus est, « secundum comparationis sensum se malum dixisse mulierem tangere », sicut « malum dicitur hordeum, si cum frumento comparatur » (ad Pam. ep. 48,14). Simili modo contra Iovinianum verbum *tangendi* nimis urget : « non dixit : uxorem non habere, sed : bonum est mulierem non tangere, quasi in tactu periculum sit : quasi qui illam tetigerit, non evadat, quae virorum pretiosas animas rapit, quae facit adolescentium corda evolare. Alligabit quis in sinu ignem et non comburetur? Quomodo igitur, qui ignem tetigerit, statim aduritur, ita viri tactus et feminae sentit naturam suam et diversitatem sexus intelligit ». Quae, etsi per se vera sunt, a Pauli tamen sententia longe aberrant, qui expressionem *tangere mulierem* definito, quem indicavimus, sensu adhibuit. Ceterum hallucinantur acath. (*Mey. Heinr.* etc.), si catholicos interpretes hac S. Hieronymi exaggeratione indigere putant, ut coelibatum matrimonio praestare demonstrent; si duobus versibus illis de ineundo matrimonio sermo esset (id quod negavimus), sua sponte praestantia coelibatus eluceret, sicut procul dubio Paulus duobus illis versibus abstinentiam ab usu matrimonii, quam in priore versu bonam dicit, usui ipsi praefert, quem in altero plerisque coniugibus ad incontinentiam evitandam necessarium esse asserit.

Aliqui interpretes catholici (*Cai.* etc. *LR. Bisp.* etc.), qui, uti diximus,

primam sententiam de ineundo matrimonio intelligunt, interrogant, qua ratione Apostolus cum Domino Deo consonet, qui dixerat : « Non est bonum, esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi » et Evam creaverat (*Gen.* 2,18 sqq.); respondent quidem, Dominum de bono speciei, quae propagari debuerat, Paulum de bono individui, Dominum de bono vitae temporalis, Paulum de bono ad vitam aeternam conducibili, Dominum de homine in statu integritatis, Paulum de homine lapso loqui; sed num haec omnia recte respondeantur, dubitare licet. Verumtamen difficultas nulla adest nec ulla oppositionis species, si abstinentia ab actu coniugali per Apostolum velut maior perfectio commendatur.

In altera sententia aliqui difficultatem inveniunt, quoniam primario fine matrimonii (propter generationem instituti) omisso Apostolus de solo fine secundario (propter fornicationes vitandas) loquatur. Id profecto aliquid miri haberet, si de ineundo matrimonio loqueretur; neque enim plane satisfacit *Cai.* responsio, eum non agere « de matrimonio in esse naturali, sed in ordine ad vitam spiritualem, cui longe magis adversetur fornicatio quam matrimonium »; atque multo minus tolerari potest aliquorum acath. sententia, Apostolum, quia Dominum mox ad iudicium venturum esse credidisset, ad primarium finem non attendisse (*Mey.*). Res iterum facillime expeditur, si de usu matrimonii iam contracti sermo est; illam enim rationem indicare voluit Apostolus, quae non aliquoties tantum, sed ordinarie usum licitum reddit. Severiores enim sese exhibebant nonnulli theologi, qui petitionem debiti coniugalis ad proprium incontinentiae periculum vitandum pro peccato veniali habebant; non recte enim cum *S. Thom.* (Summ. theol. Suppl. qu. 49. a. 5 a. 2) verba Apostoli *propter fornicationem* explicabant « propter fornicationem in coniuge vitandam »; miro sane modo locutus esset Apostolus, si dixisset : « propter fornicationem coniugis vitandam unusquisque suam uxorem habeat »!

Praeceptum suum, ut matrimonii officia coniuges impleant iuribusque eius utantur, Paulus disertius explicat ratione addita, quae ex ipsa matrimonii natura profluit : 3. *Uxori vir* (maritus) *debitum reddat, similiter autem et uxor viro* (marito); namque 4. *mulier* (uxor) *sui corporis potestatem non habet, sed vir* (maritus) : *similiter autem et vir* (maritus) *sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (uxor), ita ut de vero debito agatur, quod sine iniustitia erga coniugem ei subtrahi aut negari non potest, nisi, uti per se intelligitur, legitimum adsit impedimentum[1]. Ex ipsa autem matrimonii natura maritus et uxor sunt una caro, quare necessario sicuti corpus uxoris potestati viri, ita viri corpus potestati uxoris subiectum est. Graecam textus recepti

1. Per se evidens est, non illimitatam esse hanc mutuam coniugum in alterius corpus potestatem, sed legitimi connubii legibus circumscribi. Mirum igitur quod *S. Aug.* (De serm. in monte I. 16) dubitare potuerit, an permittente vel iubente marito, qui in eius corpus potestatem habeat, uxori liceat cum alio viro esse.

lectionem : τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν vel τιμήν (debitam benevolentiam vel debitum honorem), quae forte publico epistolae in ecclesiis usui originem suam debet, eodem sensu explicant *Chrys. Theod.* etc. idque recte, quia contextus alium non admittit. Scite autem *Theod.* ad *v.* 3. adnotat : « Marito priori hoc praeceptum statuitur, quia mulieris caput est vir. Humanae enim leges uxores quidem castas esse iubent puniuntque eas, quae contra legem agunt, sed a maritis eandem castitatem non exigunt. Quum enim viri essent, qui leges tulerunt, aequalitatem non curarunt, sed sibi veniam dederunt. Divus autem Apostolus divina gratia inspiratus praeprimis legem fert viris ». Atque ad *v.* 4. haec monet : « Hic quidem uxoribus legem priore in loco tulit, quia hae maxime ante viros continentiam solent amplecti ».

Praeceptum vero suum repetens illud non ita intelligendum esse explicat, ut exceptionem non admittat, sed ut, si certae conditiones adsint, aut ad tempus (5. 6), aut etiam perpetuo (*v.* 7.) cesset.

5. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Severo verbo praeceptum inculcat, quum ἀποστερεῖν τινά τινος sit i. q. aliquem aliqua re *privare* (6,8) aut alicui id, quod ei debetur, non reddere (*Iac.* 5,4), veram igitur iniustitiam denotet. Vocabuli tamen sensum *Theod.* exaggerat : « illis, inquiens, se quisque fraudari existimat, quae alter *invitus* dat » ; accuratius *Thom.* : « nolite fraudare invicem, ut sc. vir velit continere invita uxore, aut etiam e converso : quod Apostolus fraudem (potius : iniustam privationem) nominat, quia unus subtrahit alteri, quod ei debetur; quod ad fraudem pertinet non minus in actu matrimonii, quam in aliis rebus ». At iniustitia haec non adest, quando coniuges *ex mutuo consensu, ad tempus, ut vacent orationi* se continent. Prima conditio (*ex consensu*) omnino necessaria est, quia nisi maritus et uxor iure suo cedant, debito negato eis iniustitia infertur. Altera conditio (*ad tempus*, πρὸς καιρόν cfr *Luc.* 8,13 ad certum et definitum tempus ; plerumque : ad breve tempus) exceptionem admittit, de qua statim aget Apostolus. Tertia conditio (*ut vacetis orationi*) altiorem finem spiritualem ad interrumpendum matrimonii usum requiri docet (cfr 1 *Petr.* 3,7). Uti iam *Chrys.* monuit, de consueta oratione, quae continua sit oportet, Paulus non loquitur; neque enim dixit : *ut oretis,* sed *ut vacetis orationi* (ἵνα σχολάσητε τῇ προσευχῇ) ; supponit enim, fideles orationi, vel in genere exercitiis pietatis certa tempora specialiore modo destinare; id quod indicarunt Graeci iuniores, quum orationi ieiunium adderent (τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ), et *Thom.* sua explicatione : « hoc fiat propter debitum finem, sc. spiritualium actuum causa, ad quos continentia reddit magis aptos ». Neque immerito ex hoc loco *Orig.*

(in Num. hom. 23,3) rationem colligit, qua sacerdotibus coelibatus *suadetur :* « unde videtur mihi, quod illius solius est offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti et perpetuae se devoverit castitati ». Nimis tamen a *S. Hier.* (c. Iovin. I. 34) apostolica verba urgeri equidem arbitror, qui ex eis *necessitatem* coelibatus derivat : « Si laicus, inquit, et fidelis quicumque orare non potest, nisi careat officio coniugali, sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est; si semper orandum, ergo semper carendum matrimonio »; neque enim S. Doctor attendit, Apostolum dixisse : ut *vacetis* orationi. Magis igitur cum sacerdotio convenire et congruere coelibatum, quam matrimonium, Apostoli verba innuunt, sed eum sacerdotibus necessarium esse non docent. Ceterum apposite *Hier.* (l. c.) addit : « etiam in veteri lege qui pro populo hostias offerebat [sc. summus sacerdos semel in anno, in magno expiationis die] non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separati ». Quae abstinentia aliis quoque in occasionibus sollemnioribus requirebatur (cfr *Exod.* 19,15 ; 2 *Reg.* 21,4) neque ipsis ethnicis erat incognita; unde nihil miri habet, quod Apostolus matrimonii usum velut impedimentum quoddam consideret, quo fideles ab arctiore et intimiore cum Deo commercio retrahantur.

Quoniam inter conditiones etiam indicaverat, separationem illam esse *ad tempus,* monet quid peracto illo tempore sit agendum : *et iterum revertimini*[1] *in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Graeca expressio ἐπὶ τὸ αὐτό (*in idipsum*) plerumque sensu locali intelligitur (eundem in locum 11,20; *Matth.* 22,34; *Act.* 2,1 etc.), sed quia coniuges loco non erant separati, euphemistice hic adhibita videtur; ad idem enim, quod antea usurpaverant, i. e. ad usum matrimonii, reverti monentur, ne propter suam incontinentiam a satana tententur et superentur. *Chrys.* aliique Graeci, uti etiam *Est.*, verba *propter incontinentiam vestram* cum verbo *revertimini* coniungere malunt, ut duae quasi rationes revertendi innuantur (« ut discas, inquit *Chrys.*, non tantum diabolum adulterii causam esse, subiunxit : propter incontinentiam vestram »); at ordo et series verborum interpretationem nostram praeferendam esse docent, quae tamen

1. Iuxta meliores codd. graecos legendum quidem est : ἵνα σχολάσητε τῇ προσευχῇ καὶ πάλιν ἐπὶ τ αὐτὸ ἦτ , atque reliqui quoque plerique legunt συνέρχησθε, ita ut etiam secundum membrum a coniunctione ἵνα dependeat. At ipse sensus satis ostendit, non eodem modo coniunctionem sese ad prius et ad secundum membrum habere; in priore enim scopum separationis indicat (*ut vacetis orationi*), in altero autem (ἵνα... ἦτε) simili ratione qua alibi (*Eph.* 5,33; 2 *Cor.* 8,7; *Marc.* 5,23) periphrasis quaedam imperativi est. Sensus igitur graecae lectionis a latino non differt, et plerique quoque moderni interpretes alterum membrum imperativo iure merito reddunt.

ab altera parum dumtaxat distat. Eodem enim modo, quo *v*. 2. Corinthios monuerat, ut ad vitandas fornicationes iuribus matrimonii uterentur, eos ad matrimonii usum recipiendum exhortatur satanae tentationibus propositis, quae ob eorum incontinentiam periculosiores sint. Ne vero fideles putarent, se ad usum matrimonii omnino esse lege ita obligatos, ut etiam ex mutuo consensu et ad bonum spirituale obtinendum eis ad breve dumtaxat tempus ab eo abstinere liceret, Paulus ultima sua verba non praeceptum continere docet, sed aequam concessionem : 6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum praeceptum.*

Quo pronomen « *hoc* » referatur, ambigitur. Clarum est, illud ad sequentia (ut vult *Rosenm.*) inepte trahi, quia nemo in eis umquam vidit praeceptum. Neque melius multi, qui *v*. 2. de ineundo matrimonio intelligunt, Paulum ad istum solum versum respicere censent (*Bisp.* — *Beza, de W. Baur God. Schn.*); neque enim *vv*. 3-5 pro magna parenthesi haberi possunt, siquidem omne parentheticae insertionis vestigium deest. Neque rectius pronomen ad omnia, quae praecedunt (*vv*. 2-5) refertur (*Cai.* — *Beng. Rück. Heinr.*); nam illis in sententiis aliqua vere praecepta continentur, et saltem *v*. 4. de aequa concessione ineptissime intelligitur. Neque eorum nobis probatur sententia, qui Paulum ad *vv*. 2. et 5., omissis *vv*. 3. 4., respicere dicunt (*Lomb. Thom. Gagn. Est. Nat. M Er. L R.*); omissos enim versus esse parenthesin, quomodo probabile redditur? Rectius alii pronomen ad solum ultimum *v*. 5. referunt, vel potius, quia prius membrum (*Nolite fraudare invicem*), quo iniustitia quaedam prohibetur, severum sit praeceptum, ad solum ultimum membrum (*revertimini ad id ipsum*), quo una ex conditionibus (*ad tempus*) explicatur (*Theod. A[ler] etc. Herv. Dion. Iust. Lap. Sa* etc. *Calm. Pic. Mai. Dr.* etc. — *Mey. Kl Br.* etc.). Quia enim praecepta absoluta de usu matrimonii praecesserunt, etiam alterum hoc, quod coniuges ad tempus dumtaxat, licet ex mutuo consensu et ad bonum spirituale obtinendum agerent, ab eo abstinere possent et iterum eum recipere deberent, sub praecepto cadere videbatur. Quem errorem praecavens Apostolus monet, se in his verbis eorum infirmitatem respexisse ideoque illa velut aequam concessionem addidisse, sed non praecepisse; immo vero, ut statim clarius docebit, perfectius eos agere, qui ex mutuo consensu et ad spirituale bonum obtinendum perpetuo a matrimonii usu abstineant, dummodo donum continentiae possideant.

Quamquam in quaestiones morales ingredi nec est huius loci nec nostri muneris, sententiam tamen aliquam praetermittere non licet, quam ex hoc versu deductam magna S. Augustini auctoritas in scholas invexit; verbis *Estii*, qui post plurimos alios eam approbat, eam transcribimus : « Declarans igitur se ipsum Paulus affirmat, se ea (sc. *v*. 2. et 5.) dixisse non ex praecepto, sed ex permissione et indulgentia quadam, qua nimirum solent minora quaedam mala concedi ad avertenda maiora. Quocirca recte B. Augustinus et alii Patres ex hoc loco colligunt ac docere non dubitant, concubitum coniugalem, quando fit per incontinentiam, semper esse peccatum, etiamsi vitandae fornicationis causa fiat; tunc autem solum culpa carere, quando non expetitur, nisi sobolis procreandae gratia ». Quin haec

sit S. Augustini doctrina, non est dubium, sed etiam dubium non est, quin in hoc nostro loco, quem S. Doctor semper affert, non habeat fundamentum. *S. Aug.* enim nostrum locum legit : « Hoc autem dico secundum *veniam*, non secundum imperium », atque concludit : « evidenter, dum *tribuit veniam*, denotat culpam » (De pecc. orig. 38), « quis iam esse peccatum neget, quum *dari veniam* facientibus apostolica auctoritas fateatur » (Enchir. 78)? « quis ambigat absurdissime dici, non eos peccasse, quibus *venia datur* » (De bono coniug. 10)? etc. Totum igitur S. Doctoris argumentum nititur vocabulo *veniae*, quod sensu remissionis sumsit non attendens, veniam etiam significare aequam concessionem nec alio sensu in hoc loco intelligi posse, ubi de actibus futuris agitur; num forte Apostolus *futura* peccata remisit? Mirum quod *S. Gregorius M.* simili modo argumentetur, licet nostram lectionem habuerit : « Non indulgetur, quod licet et iustum est; quod enim indulgeri dixit, culpam esse demonstravit » (Epist. X. 64 ad August. Anglorum ep. ad dub. 10); indulgentia utique, quae idem est, quod remissio, reatum culpae vel poenae supponit; at indulgeri, i. e. permitti, id quoque potest, quod minus est bonum. Ceteroquin principium, iuxta quod haec verba explicanda sunt, egregie *S. Thom.* exponit, licet ipse quoque cum S. Aug. actum coniugalem ad vitandam fornicationem exercitum suo principio non inhaerens censeat esse peccatum veniale : « Indulgentia sumitur hic pro permissione; est autem duplex permissio : una quidem *de minus malo*, sicut dicitur, quod Moyses permisit dare libellum repudii propter duritiem cordis eorum, sc. ad vitandum uxoricidium, ad quod erant proni (?!); *talis autem permissio non fit in Novo Test. propter eius perfectionem.* Alia autem est permissio *de minus bono*, quum sc. homo praecepto non cogitur ad maius bonum, et hoc modo Apostolus hic indulget matrimonium (vel potius : usum matrimonii), quod est minus bonum, quam virginitas (vel potius : abstinentia ab isto usu), quae non praecipitur, quia est maius bonum ». Profecto mirum esset, si Apostolus peccatum quodcumque, etiam levissimum, *commendasset* ad maius peccatum vitandum; neque enim velut simile exemplum afferri potest libellus repudii in Vetere Lege concessus; nam Deus ibi, utique propter cordis duritiem Iudaeorum, ad vitandum maius malum dispensationem concesserat, ita ut illi, qui secundum Legis praescripta libello repudii uxores suas dimittebant, peccati non essent rei; toto igitur coelo dispensatio illa a permissione vel potius commendatione peccati differt, quae hoc in loco Paulo attribuitur.

Itaque *secundum indulgentiam* i. e. fidelium infirmitati indulgens (κατὰ συγγνώμην)[1] cum eorum infirmitate quasi consentiens eique con-

1. Vocabuli συγγνώμη, quod in Novo Test. hic tantum adhibetur, sensus optime ex *Eccli.* 3,15 eruitur, ubi Siracida inter alia filiorum erga parentes officia etiam hoc monet : « Fili, sustenta patrem tuum in eius senectute neve contristeris eum in vita eius, κἂν ἀπολείπῃ σύνεσιν, συγγνώμην ἔχε, καὶ μὴ ἀτιμάσῃς αὐτὸν ἐν πάσῃ ἰσχύϊ σου, et si (prae senectute) mente

cedens[1] locutus est Apostolus, quando eos ad recipiendum matrimonii usum exhortatus est, quia sciebat, quam plurimos propter suam incontinentiam satanaeque tentationes continuo abstinere non posse. Neque tamen eos ad idipsum reverti iussit (*secundum imperium* κατ' ἐπιταγήν), nam quum continua abstinentia maius sit bonum, pro sua erga neophytos, immo erga omnes homines, caritate hanc etiam ab omnibus neophytis atque adeo ab omnibus hominibus observari desiderat : 7. *Volo enim omnes vos* (rectius : omnes homines) *esse sicut me ipsum*, quippe qui matrimonii vinculis numquam ligatus in continua et completa continentia degam. De huius versiculi lectione non satis constare diximus (cfr *VV. LL.*), aliis testibus exhibentibus *volo enim*, aliis *volo autem*. Contextu tamen integro prior lectio praeferenda designatur, qua ratio innuitur, cur coniugibus reditus ad matrimonii usum non praecipiatur, si ex mutuo consensu et ad altius bonum obtinendum perpetuam continentiam servare velint : « non praecipiendo vobis dico, ut ad usum matrimonii revertamini, sed indulgendo tantum, *nam* omnes homines ad meum exemplum perpetuam castitatem observare atque ita ad maiorem perfectionem tendere desidero »[2].

Hodierna lectio Vulgatae : « volo *omnes vos* esse sicut me », difficultatem aliquam evitare vult, quam in genuino textu (*omnes homines*) nonnulli iam patristico tempore invenerunt[3] atque *Thom.* his verbis proponit : « si omnes homines continerent, sicut Apostolus continebat, cessaret generatio et non impleretur numerus electorum, quod est contra dispositionem divinam ». Quam difficultatem effugientes potius quam solventes alii cum *Lyr.* legere vel explicare maluerunt : « omnes *vos* homines » (sc. eos, quibus Paulus scripsit), ut universalitatem sententiae restringerent, alii cum nonnullis modernis verbo θέλω (*volo*)

alienatus fuerit, indulge ei (*Vulg.* : veniam da), neve despicias eum in omni virtute tua ». Indulgentiam igitur vel veniam designat, quae ex vera caritate exoritur atque ab omni contemtu longe abest.

1. Ita *Chrys.* (De virg. 34) inter γνώμην et συγγνώμην distinguit, ut priore vocabulo propria sententia seu consilium, altero consensus seu permissio exprimatur.

2. Ceterum altera quoque lectio aptam admittit explicationem, quae minus tamen toti contextui congruit : « non iubeo abstinere et permitto, ut usum matrimonii recipiatis : *desidero autem*, ut omnes ad meum exemplum contineant ».

3. Cfr *S. Aug.* De bono coniug. 10 : « Sed novi, quid murmurent. Quid si. inquiunt, omnes homines velint ab omni concubitu continere, unde subsistet genus humanum? Utinam omnes hoc vellent, dumtaxat in caritate de corde puro et conscientia bona et fide non ficta : multo citius Dei civitas compleretur et acceleraretur terminus saeculi ». *S. Hier.* c. Iovin. I. 36. « At dices : si omnes virgines fuerint, quomodo stabit genus humanum?... Noli metuere, ne omnes virgines fiant; difficilis res est virginitas, et ideo rara, quia difficilis; multi vocati, pauci electi » etc.

sensum optativum attribuerunt illud explicantes ac si Paulus scripsisset θέλοιμι (*velim*) aut ἤθελον (*vellem*), ut sententia meram sterilem velleitatem exprimeret. At Apostolus omnibus omnino hominibus maius illud bonum, quo ipse fruitur, sincere et ex toto corde exoptat[1], neque tamen inquirit, num omnes ad illud pertingere possint, quin etiam optime scit, non omnes illud esse assecuturos, quia specialis gratia requiritur, quam Deus pro sua sapientia aliis concedit, aliis non concedit : *sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* « Donum » (χάρισμα) continentiam perpetuam, quam ipse observavit, vocans illam a Dei bonitate et liberalitate dependere docet, qui aliquos ita disponit et talibus gratiis internis instruit, ut eam servare possint; recte autem monet *Chrys.*, non ea ratione illam esse donum Dei, ut hominis ipsius, cui conceditur, cooperatio non requiratur; errant igitur acath. illi, qui putant, Paulum loqui de tali dono, quo omnis pugna in eo, cui conceditur, excludatur (*God.*), aut omne meritum observatae castitatis impossibile reddatur (*Schn.*). Porro clarum quoque est, illos, qui sive ex voto libere suscepto sive ob alias causas, quae ab eorum voluntate non dependent (uti ipsi quoque coniuges ex. gr. in diuturno compartis morbo) hoc apostolico verbo incontinentiam suam excusare non posse, quia hoc *donum* non acceperint; neque enim sine ratione donum hoc *ex Deo* esse dicit, qui quodcumque in nomine Iesu petierimus, daturus sit nobis (*Ioan.* 15,16). Demum illud quoque adnotetur oportet, Apostolum, licet secundum totum contextum continuam continentiam velut melius perfectiusque bonum describat, tamen ad matrimonium quoque *donum a Deo* requirere; nam unumquemque, i. e. quum coelibem tum matrimonio iunctum, *proprium* donum habere dicit; itaque « eos quoque, qui matrimonio iuncti sunt, consolatus est Dei donum appellans matrimonium; huius enim doni ope adiutus aliquis etiam eam, quae in matrimonio observetur oportet, temperantiam (τὴν ἐν γάμῳ σωφροσύνην) tenebit » (*Theod.* cfr *Theoph. Thom.* etc.).

Varia igitur sunt dona divina, atque hominem ad haec attendere debere, antequam aut ad matrimonium ineundum aut ad perpetuam continentiam servandam se decidat, Apostolus monet : **8.** *Dico autem non nuptis et viduis : Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.*

1. *Thom.* Inter voluntatem antecedentem et consequentem distinguit : « volebat omnes homines esse continentes voluntate antecedente, non autem consequente. Est autem voluntas antecedens de eo, quod absolute considerandum est melius, sicut omnes homines esse salvos vel continentes; voluntas autem consequens est de eo, quod est melius consideratis circumstantiis personarum et negotiorum, et secundum hoc Deus vult quosdam damnare et Apostolus quosdam matrimonio iungi ». Quae distinctio hic parum apta est.

9. *Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.* Recte *Thom.* duos hos versus intime cum praecedente connectit, cuius quasi sunt explicatio[1]. Etenim in praecedentibus Apostolus, quomodo desiderium (volo omnes homines esse sicut me) a coniugibus esset intelligendum, satis explicaverat, attamen illud una cum restrictione addita (unusquisque proprium donum habet) alios quoque attingebat, qui matrimonii vinculo non erant ligati; quapropter explicari debuit, quo sensu ad eos pertineret. Iamvero matrimonio soluti duobus nominibus designantur, οἱ ἄγαμοι, αἱ χῆραι; prior expressio universalis per se omnes, qui extra matrimonium degunt, complectitur sive virgines (viri et mulieres) sive vidui et viduae sunt; eam tamen hic altero nomine addito (χῆραι, viduae) ita restringi multi dicunt, ut solos viduos designet (*Erasm. Est. Calm. Bisp.* etc. — *Grot. Pott* etc.)[2], sed cur id admittatur, nulla est ratio. Universali enim expressioni specialis altera est addita, quia in primitiva ecclesia viduae illae, quae perpetuam continentiam servare proposuerant, certis muneribus fungebantur, ad quae obeunda novis nuptiis reddebantur ineptae; itaque sensus phraseos est : « dico non nuptis ac praesertim viduis »[3]. Itaque illis omnibus *bonum est* (καλόν ἐστι *cfr ad v.* 1), si sic, i. e. a vinculo matrimonii soluti, permansuri sint exemplum Apostoli imitantes, qui etiam nullo vinculo erat ligatus. Hoc igitur sensu prior versiculi 7. pars ad eos pertinet; at altera quoque eos attingit; ea enim sola in conditione eos sic permanere vult, si donum continentiae

1. Secundum plerosque modernos Paulus a *v.* 8. novam particulam inchoat, in qua coelibatus praestantia commendetur; at de hac infra aget *vv.* 25-40. Inepto modo initium huius capitis quam plurimi disponunt : *vv.* 1-2. sermo est de coelibibus, *vv.* 3-5 de coniugibus, *vv.* 6. 7. de utrisque, *vv.* 8. 9. iterum de coelibibus, *v.* 10 sqq. iterum de coniugibus. At is non est agendi modus Pauli, qui themati inchoato inhaerere solet. Integra potius particula (1-9) est de matrimonii usu, quatenus multis hominibus est remedium ad evitanda incontinentiae peccata.

2. Quin etiam *Luth.* ex eo, quod Paulus viduos et viduas sicut se ipsum permanere iusserit, Apostolum viduum fuisse concludit; eodem cum iure ex *v.* 7., in quo Paulus *omnes homines* sicut se ipsum esse voluit, deducere potuit, Apostolum eodem tempore et maritum continentem, et viduum, et virginem fuisse. Id unum autem cum desiderare evidens est, ut in suo quisque statu perfectam illam castitatem et continentiam observent, quam ipse in suo statu observavit. De reliquo Paulum vinculis matrimonii numquam fuisse ligatum, sed in perpetua virginitate semper vixisse, communis est traditio Patrum, a qua solus fere dissentit *Clem. Alex.* (apud *Eus.* H. E. III. 30), qui Apostolum (*Phil.* 4,3) coniugem suam alloqui erronee censuit. Temere et testimonio nullo allato *God.* aliique acath. asserunt, Paulum iuxta Clementem Alex. fuisse *viduum;* Eusebii textum numquam inspexerunt. Cfr de hac quaestione *Introd. in Nov. Test.* p. 352 sq.

3. Coniunctione καί interdum expressioni universali specialis, quae in priore iam continetur, cum in finem adiungitur, ut maiore cum vi efferatur aut inculcetur. Cfr 9,5 οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου καὶ Κηφᾶς (reliqui Apostoli, atque ipsi fratres Domini, immo Petrus); *Marc.* 16,7 εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ καὶ τῷ Πέτρῳ (dicite discipulis eius et maxime Petro) etc.

a Deo acceperint. *Quodsi non se continent, nubant.* Uti latinum verbum *nubere* de solis mulieribus, quae matrimonium ineunt, ita graecum verbum γαμεῖν, quo Apostolus utitur, de solis fere viris uxorem ducentibus adhibetur; hoc tamen loco utrumque sensu latiore de utroque sexu usurpari clarum est. Maioris momenti est graeca expressio in priore membro : εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται, siquidem negatio οὐκ (pro μή) ita est adhibita, ut cum verbo ad unam ideam exprimendam coalescat, atque latine dicendum sit : quodsi *incontinentes sunt,* i. e. si se dono continentiae carere sentiunt, nubant. Demum rationem addit, cur eos matrimonium inire velit, quia nimirum melius est matrimonium inire eiusque iuribus ad vitandas fornicationes uti, quam uri, i. e. vehementibus tentationibus non tantum agitari, sed etiam vinci. Qui ignis calorem sentit, nondum uritur, sed qui igne ipso corripitur et laeditur. « Concupiscentia enim, inquit *Thom.*, est calor quidam noxius : qui ergo concupiscentia impugnatur, calescit quidem, sed non uritur, nisi humorem gratiae perdat a concupiscentia superatus » atque *S. Aug.* « uri est occulta flamma concupiscentiae *vastari* ».

Est. cum paucis aliis ex hoc textu iterum deducere vult, matrimonium propter incontinentiam initum tam culpabile esse, quam usum matrimonii propter incontinentiam (i. e. ad vitandam incontinentiam), quem saltem peccatum veniale esse censet, atque in eundem sensum S. Hieronymum (« melius est nubere, quia peius est uri » c. Iovin. I. 9.) et S. Thomam (« magis tolerandum ») trahere conatur. Sed quidquid est de S. Hieronymo, qui interdum iustos interpretationis limites transgreditur, *Thom.* prorsus contrariam sententiam tenet et iam in antecessum Estii argumentationem diluit : « Est autem hic attendendum, inquit, quod Apostolus utitur abusiva comparatione. Nam nubere bonum est, licet minus; uri autem est malum. Melius est ergo, i. e. magis tolerandum, quod homo minus bonum habeat, quam quod incurrat incontinentiae malum ». Eadem ratione textum explicant tantum non omnes, atque *Est.* ipse hanc explicationem probari posse concedit. Recte deinde addit, Apostolum de iis solis hic loqui, quibus contrahendi matrimonii est potestas, i. e. de iis, qui nec lege nec voto sunt ligati, atque perverse locum hunc a pseudoreformatoribus aliisque monachis et sacerdotibus apostatis proferri, quo sacrilega sua connubia post continentiae votum attentata excusent. Vere ridiculum est, si recentissimus huius epistolae commentator acatholicus coelibatum, quem Ecclesia a sacerdotibus observari iubet, totamque doctrinam Ecclesiae de coelibatu « rem horrendam » (Grauen erregend) vocat (*Schn.*); nihil horrendi ibi habetur, nisi crassa ignorantia acatholicorum interpretum, qui numquam ea legisse videntur, quae Paulus de viduis votum (aut si mavis : propositum) de observanda continentia violantibus docuit : ἔχουσαι κρίμα, ὅτι τὴν πρώτην πίστιν ἠθέτησαν (1 *Tim.* 5,12).

II. — *De indissolubilitate matrimonii* (7, 10-24).

In quaestione hac tractanda Apostolus matrimonia fidelium ab iis coniugiis distinguens, in quibus una tantum pars fidem acceperat, priora ex praecepto Domini absolute indissolubilia esse (10. 11), alia certis in casibus dissolvi posse docet (12-16), sed caute in his quoque esse procedendum monet, quum in genere omnes conditiones, in quibus aliquis ante vocationem vixit, etiam post acceptam fidem sint retinendae (17-24). Apte igitur duas particulas cum *S. Thom.* facimus : « primo docet eos, qui sunt matrimonio iuncti, ut in eo permaneant (10-16), secundo ponit utilem doctrinam quantum ad omnes status vel conditiones hominum » (17-24).

1. *Quae matrimonii christiani et quae coniugiorum mixtorum sit firmitas* (7,10-16).

10. *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere :* 11. *quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* 12. *Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* 13. *Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum :* 14. *sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem : alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* 15. *Quodsi infidelis discedit, discedat : non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi : in pace autem vocavit nos Deus.* 16. *Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies?*

7,10 Τοῖς δὲ γεγαμηκόσιν παραγγέλλω οὐκ ἐγώ, ἀλλὰ ὁ Κύριος, γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς μὴ χωρισθῆναι, 11. ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ, μενέτω ἄγαμος ἢ τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω, καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι. 12. τοῖς δὲ λοιποῖς λέγω ἐγώ, οὐχ ὁ Κύριος· εἴ τις ἀδελφὸς γυναῖκα ἔχει ἄπιστον, καὶ αὕτη συνευδοκεῖ οἰκεῖν μετ' αὐτοῦ, μὴ ἀφιέτω αὐτήν· 13. καὶ γυνή, ἥτις ἔχει ἄνδρα ἄπιστον, καὶ οὗτος συνευδοκεῖ οἰκεῖν μετ' αὐτῆς, μὴ ἀφιέτω τὸν ἄνδρα· 14. ἡγίασται γὰρ ὁ ἀνὴρ ὁ ἄπιστος ἐν τῇ γυναικί, καὶ ἡγίασται ἡ γυνὴ ἡ ἄπιστος ἐν τῷ ἀδελφῷ, ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐστιν, νῦν δὲ ἅγιά ἐστιν. 15. εἰ δὲ ὁ ἄπιστος χωρίζεται, χωριζέσθω. οὐ δεδούλωται ὁ ἀδελφὸς ἢ ἡ ἀδελφὴ ἐν τοῖς τοιούτοις· ἐν δὲ εἰρήνῃ κέκληκεν ἡμᾶς ὁ Θεός. 16. τί γὰρ οἶδας, γύναι, εἰ τὸν ἄνδρα σώσεις; ἢ τί οἶδας, ἄνερ, εἰ τὴν γυναῖκα σώσεις[1];

1. *VV. LL.* — 13. καὶ γυνὴ ἥτις ἔχει (et mulier, quae habet) B A C K L, plerique minusc. et PP., *Syr. Copt.*; eodem sensu : καὶ γυνὴ εἴ τις ἔχει (*et si qua mulier habet*) ℵ D F G P, pauci minusc. et PP., *It.* Vulg. — καὶ οὗτος συνευδοκεῖ (*et hic consentit*) B ℵ A C D F G P Q, pauci minusc., *It. Vulg. Goth., Copt.*, melius legitur, quam text. rec. καὶ αὐτὸς συνευδοκεῖ (et ipse consentit) E K L, plerique minusc., *Syr. Arm.* — 14. ἐν τῇ γυναικί... ἐν τῷ ἀδελφῷ (in muliere... in fratre) B ℵ A C etc.; explicationis gratia, ut videtur, multi codd. quum graeci tum verss. cum *Vulg.* legunt : ἐν τῇ γυναικὶ τῇ

Praemisso Domini praecepto, quo matrimonia fidelium dissolvi non posse inculcatur (10. 11), Apostolus in illis quoque coniugiis, in quibus una pars est infidelis, separationem nec necessariam nec suadendam esse docet, si infidelis cum fideli (sine contumelia creatoris) cohabitare velit (12-14), licitam tamen, si pars infidelis discedat (15. 16).

Quemadmodum nonnullorum neophytorum falsa ascesis Paulum adduxit, ut quid de matrimonii usu sentiendum esset, diligentius exponeret, ita similis error hanc commentationem de matrimonii firmitate videtur provocasse. Licet enim omnes ad suum exemplum ab omni matrimonii vinculo solutos Domino servire vellet, praecavere debuit, ne hoc suum desiderium perverse ab illis intelligeretur, qui isto vinculo iam erant ligati. Itaque a non nuptis ad coniuges transiens praeceptum Domini de matrimonio non solvendo illis in memoriam revocat : 10. *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere* (χωρισθῆναι i. e. separari). Qua in sententia ad expressionem τοῖς γεγαμηκόσιν (matrimonio iunctis) attendatur oportet, quippe qua natura matrimonii, de quo praeceptum Domini est, innuatur. Etenim οἱ γεγαμηκότες, quum in hoc contextu una ex parte τοῖς ἀγάμοις (*non nuptis*), quibus si donum continentiae non habent, matrimonium commendatur (*v.* 9), altera ex parte τοῖς λοιποῖς (*celeris v.* 12), i. e. iis qui cum infideli coniuncti sunt, opponantur, illi soli possunt intelligi neophyti, qui cum fideli vinculis matrimonii ligati in matrimonio iam degunt; sermo igitur est de matrimonio, quod theologi ratum et consummatum dicunt; de eo autem, quod dumtaxat est ratum, Apostolus nihil statuit, de matrimoniis mixtis statim dicet. Itaque coniugibus christianis praeceptum datur, quod Paulus non suum, sed Domini esse asserit; quo autem sensu ita distinguat, clarum est. Neque enim ignoravit, illa quoque, quae in reliqua epistola praeceperat et praecepturus erat, esse Domini mandata (14,37), quum non privata sua auctoritate sed ex plenitudine apostolicae potestatis et ex instinctu Spiritus S. illa praescriberet (puto autem, quod et ego Spiritum Domini habeam *v.* 40); ergo humanum inter et divinum praeceptum hoc loco non distinguit, sed inter praeceptum immediate a Domino promulgatum et inter praeceptum a Domino per Apostolos promulgatum; utriusque auctoritas quidem est eadem, sed prius, quod Dominus divino suo ore ipse promulgare dignatus est, maiorem videtur habere dignitatem. « Quia Dominus, inquit *Theoph.* verba

πιστῇ... ἐν τῷ ἀνδρὶ τῷ πιστῷ (*per mulierem fidelem... per virum fidelem*). — 15. κέκληκεν ἡμᾶς ὁ Θεός (*vocavit nos Deus*), B D E F G L, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Aeth. Goth.*; minus bene : ὑμᾶς (vos) א A C K, paucissimi minusc., *Copt.*

Chrysostomi fere repetens, legem disertis verbis sancivit, non debere fieri divortium nisi fornicationis causa, propterea ait : non ego, sed Dominus. Ea enim, quae antea dixerat, non erant a Domino expresse et verbotenus praecepta, etiamsi quaecumque Paulus dicat, Domini sunt et non humana ». Quodsi pauci acath. (*Baur* etc.) contra hanc explicationem, quae inter acath. non minus, quam inter cath. communis est, obiiciunt, Paulum dicere debuisse : « non ego praecipio, sed Dominus *praecepit* », non attendunt, Dominum non semel pro semper haec praecepisse sed viva sua auctoritate semper praecipere.

Porro praeceptum iuxta textum graecum est : γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς μὴ χωρισθῆναι... καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι (*uxorem a viro non separari... et virum uxorem non dimittere*), velut parenthesis vero inter duo membra inseritur : ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ, μενέτω ἄγαμος ἢ τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω (*sin vero nihilominus separetur, maneat innupta aut viro reconcilietur*); sensu igitur *Vulg.* a textu primigenio non dissentit, sed constructione, quae in graeco est concinnior. Iam non ex Evangelio scripto (id quod insinuat *Chrys.*) sed ex viva traditione praeceptum est haustum; iuxta *Matth.* 5,32 et 19,9 et *Luc.* 16,18 quidem Dominus de solo viro uxorem dimittente locutus est, quia apud Iudaeos mulieribus a viris recedere non licuit; iuxta *Marc.* 10,11. 12 vero Dominus discipulis privatim hac de re interrogantibus respondit : « Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur ». Ad hoc igitur praeceptum vel potius ad hanc praecepti formam Apostolus respexit, quum ipse quoque utrumque membrum ponat; ordinem tamen invertit primo in loco de muliere se separante loquens, quia forte mulieres ob pietatem male intellectam ad solvenda matrimonia erant proniores. Ceterum ea, quae addit : 11. *quodsi* (et, καί i. e. praecepto non obstante) *discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari,* non minus de viro mulierem dimittente, quam de muliere a viro sese separante, valere, ita ut iuxta Apostoli doctrinam vinculum matrimonii dissolvi plane nequeat, clarum est. Quaecumque enim separationis coniugum fuerint causae, coniuges aut reconciliari et ad pristini matrimonii usum reverti debent, aut si non reconcilientur, nec priore coniugio uti nec ad alterum transire possunt; vinculo igitur semper remanent ligati. Neque liberam optionem verba Pauli concedunt coniugibus, ut pro arbitrio aut separati remaneant aut reconcilientur, sed disiunctio diversas esse causas innuit, quarum aliae eos ad reconciliationem cogunt, aliae continuatam separationem permittunt. Quae quidem iustae causae separationis sint,

Paulus non indicat; eiusmodi vero adesse posse evidenter supponit, nisi sibi ipse contradixisse dicatur; postquam enim supra praecepit : *nolite fraudare invicem*, hic permittit, ut mulier etiam non consentiente viro discedat et separata remaneat. At licet dicat : *si sese separaverit*, nondum sequitur, uxorem aut virum propria auctoritate secedere aut dimittere posse; quid propria auctoritate facere possint, supra indicavit (*v.* 5); ubi autem mutuus consensus deest ac proin alterutrius ius in quaestione versatur, ad legitimam auctoritatem recurrant oportet. Sed haec innuisse sufficit.

Pauca tamen de horum versuum interpretatione addenda videntur. Apostolum de viro non idem, quod de muliere (***manere innuptam aut reconciliari***), dixisse monens *A*[ter] concludit : « viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier; caput enim mulieris vir est ». Atque ***Cai.*** (in Matth. 19,9, ad quam explicationem lectores in nostris verbis exponendis remittit) hanc A[tri] sententiam approbans « licitum esse censuit Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris et ducere aliam uxorem », sed opinionem suam iudicio Ecclesiae submisit, quia eam « contra torrentem doctorum et ecclesiasticorum iudiciorum » esse scivit. Ac revera ***Gl ord.*** et ***Herv.*** verba illa commentario A[tri] a falsario inserta esse coniecerunt, alii omnes ea improbaverunt, iudicium vero definitivum a Cai. invocatum Ecclesia pronuntiavit in ***Conc. Trid.*** (Sess. 24. De sacr. matr. c. 7.), ut sententia illa teneri a catholico interprete iam non possit. At omni quoque probabilitate, si a iudicio Ecclesiae abstrahitur, carere dicenda est; tam clarum enim est, verba illa per parenthesin de muliere addita etiam de viro valere, ut acatholici ipsi tantum non omnes ea supplenda esse moneant.

Miror, quod B. Apostolum ad ***Matth.*** 5,32 aut 19,9 plerique interpretes respicere putent; neque enim soli acatholici, sed etiam catholici antiquiores (***Chrys.*** etc., ***Pel.*** etc., ***Thom.*** etc.) et moderni (***Bisp. Mai.*** etc.), qui verba Domini ibi relata (*excepta fornicationis causa*) non velut causam dirimendi matrimonii sed solius separationis a thoro et cohabitatione explicant, illa nostro in loco supplenda aut subintelligenda esse opinantur. Etiamsi vero concederetur, illis verbis causam separationis indicari (contra quam sententiam ***cfr ad*** 5,1), illa hic esse supplenda nondum sequeretur; quia de causis ipsis, ob quas uxor sese a viro separare aut vir uxorem dimittere possit, Apostolus omnino non disserit, et plures sunt causae legitimae, quae separationem a thoro et cohabitatione permittunt (***Conc. Trid.*** l. c. c. 8). Porro, uti iam diximus, Apostolus prae oculis praeceptum dominicum habuit, in quo ***et*** de viro ***et*** de muliere dimittentibus erat sermo (***Dominus praecipit uxorem a viro non discedere... virum uxorem non dimittere***), atque tale praeceptum solus refert ***Marc.*** 10,11; neque enim idem est praeceptum ***Matth.*** 19,9 et ***Marc.*** 10,11, licet eadem in occasione utrumque a Domino sit pronuntiatum; verba enim a Matth. relata Pharisaeis tentantibus publice

dicuntur, verba autem, quae refert Marc., solis discipulis iterum de hac re interrogantibus privatim sunt dicta.

Facile intelligitur, cur moderni acatholici Paulum ad Matth. potius quam ad Luc. vel Marc. respexisse dicant; quoniam enim Dominum ibi adulterium tamquam causam matrimonii vinculum dirimentem promulgare opinantur, Apostolum eandem causam hic subintelligere debuisse contendunt. At vehementer errant, non tantum quia Dominus illis verbis adulterium velut causam dirimentem non agnovit, sed etiam quia Paulus, si eam agnovisset, hic necessario eam exprimere debuisset. In matrimoniis mixtis quidem causam dirimentem agnovit eamque statim (*v.* 12 sqq.) explicabit; at in matrimoniis christianis praeceptum Domini ei est absolutum, quod exceptionem nullam admittat : « coniuges ab invicem non separari; si vero non obstante dominico praecepto ob aliquam causam sese separaverint, aut reconciliari aut separatos absque novis nuptiis degere ». Levissima quoque sunt effugia, quibus omissionem exceptionis, quam Dominum statuisse erronee putant, explicare conantur; haec tria a variis proposita coniungunt *Kl Br.* : aut Paulum illam exceptionem ignorasse (sc. acath. interpretes doctrinam Christi melius, quam ipse Apostolus gentium, cognoscunt et intelligunt!), aut promulgationem exceptionis Corinthi superfluam fuisse, quia ibi propter adulterium separatio nondum erat facta (sc. incestuosus, qui uxorem patris sui superstitis habuit [5,1], adulterium non commiserat, et Apostolus in tota epistola de illis solis peccatis etc., quae Corinthi iam commissa erant, loquitur et monita praeceptaque sua tradit!), aut promulgationem exceptionis superfluam fuisse, quia adulterium ipso facto matrimonium destruit (sc. ea, quae Dominus iuxta acatholicorum explicationem apud *Matth.* 5. et 19. tradit, etiam erant superflua, et acatholici omne matrimonium, quamprimum vir aut mulier adulterium committit, pro irrito habent, ita ut coniuges, nisi fornicationis rei esse velint, ab usu matrimonii abstinere aut renovato consensu matrimonium iterum contrahere debeant!!). -- Curiositatis causa demum addamus, aliquos acath. ex *v.* 10. deducere, Paulum coelibatum matrimonio non praetulisse (*Heinr.*); nonne res est evidens? Coniuges legitimo matrimonio iuncti sese separare prohibentur; ergo matrimonio coelibatus non praefertur!

A matrimoniis fidelium Apostolus ad matrimonia mixta transit, i. e. ad illa, quae ab ethnicis ante eorum conversionem contracta baptismo unius coniugis mixta evaserant. De hisce Dominus, dum in terris vivebat, diserte nihil praeceperat; hinc Apostolus pergit : 12. *Nam ceteris* (rectius : ceteris *autem* [1]) *ego dico, non Dominus : Si quis frater* etc. Hic primo videndum est, quibus *ceteris* loquatur; communem sen-

1. Nam τοῖς δὲ λοιποῖς (ceteris *autem*) non tantum est communis lectio omnium codd. et PP. graec., sed etiam a reliquis versionibus exprimitur. Eandem quoque lectionem in suis codicibus latinis habuit *S. Aug.* (De serm. in monte I. 16; de coni. adult. I. 13. 20 etc.); quidnam legerint *S. Hier.*, A[str], *Pel.* ex eorum interpretationibus non satis apparet.

tentiam iam indicavimus, illos sc. intelligendos esse, qui post contractum matrimonium fidem receperunt altero coniuge ethnicismum retinente; de his enim et omnes Graeci (*Chrys.* etc.) et plerique Latini (*Aug. Hier. A[ter]* etc., *Gl ord.* etc.) verba interpretantur cum iisque consentiunt tantum non omnes moderni cath. et acath. At pauci iuniores (*Est. Lap. Men. Gord.* etc., *Palm.*) *non nuptos,* de quibus *v.* 8. sermo fuit, designari censent, ut Paulus ad ea respiciens, quae non nuptis dixerat, parenthesi quadam haec non praeceptum Christi sed suum consilium esse innuat. Quin huic explicationi latina lectio (Coniugibus praecipio non ego sed Dominus... *nam* ceteris i. e. non nuptis ego dico) et interpunctio Vulgatae Clem. faveant, quae verba: *nam ceteris ego dico, non Dominus,* puncto posito a sequentibus prorsus separat, non est dubium; at legendum esse : « ceteris *autem* ego dico », iam diximus, atque minus quoque accurata est interpunctio Vulgatae Clem., quia nec λέγω (*dico*) suo obiecto carere potest nec Paulus de praecedentibus loquens praesente tempore (λέγω) uti potuit, sed aoristum (εἶπον) adhibere debuit. Communis igitur et antiqua interpretatio omnino retinenda est; mirum quidem videri potest, quod Apostolus praeter *non nuptos* (ἀγάμους *v.* 8) et *nuptos* vel coniuges (γεγαμηκότας) tertiam classem (*ceteros*) distinguat, qui igitur nec sunt *non nupti* nec *nupti;* sed ni fallor, responderi potest, *nuptos* (*v.* 12.) esse solos eos « qui sic copulati sunt, ut pariter in fide Christi sint » (*S. Aug.* de serm. in monte I. 46), quorum igitur matrimonium est sacramentum ac proin ratum; ab his autem distingui eos, quorum matrimonium, quia cum ethnico coniuncti sunt, iuxta probabiliorem sententiam non est sacramentum sed contractus mere naturalis; itaque nec *non nupti* sunt, quia in legitimo matrimonio degunt, nec *nupti* sensu exposito, quia eorum matrimonium gratia sacramentali non est ratum.

Altera quaestio est, utrum ea, quae Apostolus *ceteris* dicit (quum ad praeceptum Domini *v.* 10. non amplius pertineant) velut praeceptum an velut consilium proponantur. Praeceptum ab Apostolo his verbis imponi censent ex Graecis *Theod. Oecum.* (*Chrys.* et *Theoph.* hac de re non loquuntur), ex Latinis *Tert.* (ad Uxor. II. 2), *S. Hier.* (c. Iovin. I. 10), *Cai. Gagn. Sa, Calm.* et moderni plerique (*Mai. Bisp. Dr.*), uti etiam acatholici. Merum consilium ab Apostolo dari ex Graecis tenent *SS. Cyr. A.* et *Dam.*, ex Latinis *S. Aug.* (De coni. adult. I. 13 sqq.), *A[ter]* (?), *Pel.*, et quum Augustini explicatio in *Gl. ord.* et *interlin.* transiisset, eadem quum media aetate tum recentiore tempore omnino praevaluit (*Herv. Lomb. Thom. Lyr. Dion. Iust. Tir. Nat.* etc.). Verior quoque esse videtur, non tantum quia Apostolus pro verbo

praecipiendi (παραγγέλλειν), quo *v.* 10. legem Domini attulit, nunc iam verbo dicendi (λέγειν) utitur, quo *vv.* 6. et 8. sua consilia tradidit, sed quia ipsa quoque forma, qua sententiam suam profert, eiusque expressiones, uti ex explicatione patebit, consilio, quam praecepto, magis sunt adaptatae.

Eidem sententiae etiam decretum quoddam Clementis III. omnino favet, quo statuitur, » quod taliter ad fidem Christi conversi, quamdiu voluerint uxores eorum remanere cum ipsis, eas, sive conversae sint sive non, licentiam habeant, si voluerint, retinendi, *non tamen sunt cogendi ad hoc* » (Compil. II. cp. 1. De conv. infid. [III. 20] cfr *Friedberg* Quinque compilat. antiq. Lipsiae 1882 p. 87); quibuscum praeter alios theologos multos consentit *Sanchez* (De matrim. VII. disp. 73) monens, « numquam obligatum fuisse coniugem fidelem ad cohabitandum cum infideli, etsi hic vellet cohabitare sine iniuria creatoris et sine periculo fidelis ».

Si quis vero hic de praecepto agi censeat, quaerendum est, utrum illud sit proprio sensu divinum, ut Apostolus illius dumtaxat sit promulgator (ceteris ego ex instinctu Spiritus S. legem divinitus latam promulgo, quam Dominus in vita sua terrestri non promulgaverat), an apostolicum, ut Paulus velut verus legislator agat (ceteris ego ex instinctu quidem divino sed apostolica mea auctoritate legem fero, quam Dominus non tulerat). Utraque explicatio per se est probabilis, secundam tamen, quia parallelismum inter *v.* 10., ubi Dominus et Apostolus tamquam legislatores considerantur, et *v.* 12. accuratius retinet, praeferendam duco, dummodo simul adnotetur, legem hanc ab Apostolo latam ius divinum de solutione matrimoniorum mixtorum iam stabilitum supponere. Deus enim solus matrimonii dissolutionem concedere potest, nam « quod Deus coniunxit, homo ne separet »; Paulus vero apostolica auctoritate praecipiens, ut certa in conditione matrimonium mixtum *non* solvatur, alia eiusmodi matrimonia aliis in conditionibus iuxta divinam ordinationem solvi posse evidenter supponit et in secunda parte decreti sui diserte enuntiat[1]. Cum hoc igitur praecepto (si pro praecepto admittitur) conferri potest decretum apostolicum de legalibus (*Act.* 15,28 sq.); divino enim iure Ethnicochristiani a legis mosaicae observantia soluti erant: nihilominus *placuit Spiritui S. et Apostolis* nonnulla praecepta antiquae legis eis imponere. Sicuti autem hoc decretum concilii apostolici ab Ecclesia mutatis temporibus legitime mutari et abrogari potuit, ita etiam paulinum illud praeceptum (si praeceptum est) mutari aut abrogari potest manente semper dispositione divina de matrimoniorum istorum dissolubilitate.

De coniugiis igitur mixtis, quae uno ex coniugibus iudaicis aut

1. Attendatur autem oportet, iuxta hanc quoque sententiam, quae Apostolum tamquam legislatorem loqui tenet, eum munere legislatoris non fungi, si sequelam soluti matrimonii, i. e. plenam libertatem coniugis fidelis post infidelis discessum, enuntiat (*v.* 15); ibi enim, uti in plerisque epistolae partibus, nihil est nisi praeco doctrinarum divinitus revelatarum.

ethnicis ad fidem converso exoriebantur, quum Dominus in vita sua terrestri diserte nihil docuisset, Apostolus nunc ipse, sed uti per se patet ex instinctu Spiritus S. Corinthios instruit atque coniugibus in matrimonio mixto degentibus consilium dat, quod pro diversa ratione, qua infidelis ad fidelem se habet, duas partes complectitur : primum enim exponit, quid faciendum suadeat, si infidelis cum fideli remanere velit (12. 13), simul explicans, cur hoc suadeat (*v.* 14); deinde quid agendum censeat, si infidelis discedat (*v.* 15), atque iterum consilii sui rationem addit (*v.* 16). Qui proponendi modus ipse iam, ni fallor, de praecepto immediate divino non agi, satis clare demonstrat; tanta enim cautione in legibus divinis proponendis non utitur, atque sua ipsius quoque praecepta, etsi illis rationem quandam addere soleat, tamen maiore cum auctoritate proponit (11,16; 14,37 etc.).

Porro priorem partem his verbis exprimit : 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* 13. *Et si qua mulier (fidelis) habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Quamvis per se clara sint apostolica verba, pauca tamen addemus. De matrimoniis iam contractis, minime vero de contrahendis agi, in aperto est; frater enim uxorem, mulier virum *habere* dicuntur; quapropter ex his verbis deduci non potest, fidelem inter et infidelem matrimonium licite contrahi; haec quaestio aliunde definiatur oportet, siquidem matrimonia, de quibus hic agitur, uti iam diximus, unius coniugis conversione et baptismo mixta evaserant. Illud vero ex iisdem verbis (*frater uxorem infidelem habet* etc.) legitime colligitur, matrimonia ab ethnicis rite inita baptismo unius (nedum utriusque) coniugis non rescindi : « per sacramentum baptismi non solvuntur coniugia, sed crimina dimittuntur » (*Innoc. III.* Cap. Gaudemus). At illud quoque ex Apostoli verbis sequitur, vinculum istorum matrimoniorum non eiusdem esse firmitatis, atque vinculum matrimonii christiani; etenim si eadem esset matrimonii christiani et mixti ratio, Paulus praecepto Domini (*v.* 10) supervacanee hoc consilium vel praeceptum addidisset; merito igitur *Gregorius XIII.* « connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata esse dicit, ut necessitate suadente solvi nequeant » (Constit. « Populis et nationibus » 25. Ian. 1585). Porro sequitur, continuationem cohabitationis proxime et potissimum a fideli dependere; namque fideli potestas dimittendi attribuitur, infidelis sese separare vel discedere dicitur[1]; fidelis igitur est pars potior, in cuius favorem

1. Haud temere Apostolum expressiones in *vv.* 12. 13 et in *v.* 15 variasse, apparet ex *v.* 10, ubi de matrimonio christiano loquens soli viro, *utpote capiti mulieris*, dimittendi

hoc privilegium conceditur. Praeterea alterum quoque vocabulum, quo Apostolus utitur, perpendatur oportet; fideli suadet, ne infidelem dimittat, si hic συνευδοκεῖ habitare cum ipso; ergo partis fidelis τὴν εὐδοκίαν ad continuandam cohabitationem iam adesse supponit; nisi enim prius fideli placet, infideli *com*placere non potest[1]; unde consequens est non tantum, ut infidelis, si fidelis cum eo cohabitare velit, nec licite ab eo discedat nec legitime aliud matrimonium contrahat, sed etiam ut ad omnes conditiones, a quibus beneplacitum fidelis dependet, consentire teneatur.

Apostolus nullam quidem conditionem indicat, a qua beneplacitum fidelis dependere velit, evidenter autem supponit, fidelem id non velle, quod honeste velle nequit. Itaque cohabitationis continuatio fideli placere non potest, nisi eam sine contumelia creatoris et sine gravis peccati periculo futuram esse prius constet; unde requiritur interpellatio partis infidelis, antequam fidelis suum beneplacitum exprimat. Fieri quoque potest, ut cohabitatio fidelis cum infideli grave damnum spirituale aliis fidelibus creet, atque tunc quoque ad eam continuandam fidelis honeste consentire nequit; quare interdum postulari debet, ut infidelis ad accipiendam fidem paratum se exhibeat, antequam fidelis cohabitationem continuet. Brevi quoniam a fidelis beneplacito *con*sensus infidelis dependet, beneplacitum fidelis autem ecclesiasticae iurisdictioni subiacet, Ecclesia pro rerum et temporum necessitate, quamvis in infidelem nulla iurisdictione polleat (*cfr ad* 5,12), statuere potest, quibusnam sub conditionibus fideli cohabitationem continuare liceat ac proin ad quas conditiones infidelis consentire debeat, antequam fidelis consilium Apostoli licite sequatur. At Ecclesia etiam invigilabit, ne fidelis hoc privilegio, quod in favorem fidei est concessum, in favorem libidinis abutatur.

Rationem iam affert, qua eos suum consilium sine dedecore sequi posse ostendit : 14. *Sanctificatus enim est vir infidelis per mulierem* (*fidelem*), *et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem* (s. per fratrem) : *alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Quo sensu vocabula *sanctificatus* et *sanctus* hoc loco sint accipienda, controvertitur. Quin eodem modo coniux infidelis per uxorem fidelem *sanctificari* et filii nondum baptizati per parentes fideles *sancti esse*

facultatem quandam concedit, mulierem autem *sese separare* vel *discedere* dicit : superior enim dimittit inferiorem, inferior vero discedit a superiore. Errant igitur moderni aliqui acath. (*Mey. Heinr. God.* etc.), qui expressiones has promiscue adhiberi putant.

1. Solum hunc sensum verbum συνευδοκεῖν in paucis aliis Scripturae locis admittit, in quibus reperitur : 1 *Mach.* 1,60 συνευδοκεῖ τῷ νόμῳ (utique iam exsistenti), 2 *Mach.* 11,24. 35; — *Luc.* 11,48 συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις τῶν πατέρων ὑμῶν (quae cognita erant); *Act.* 8,1 (7,59); 22,20; *Rom.* 1,32.

dicantur, non est dubium; unde iam corruit Pelagianorum, Calvini etc. sententia de « iustitia traduce, qua fidelium filii absque baptismo salventur ac proprie sancti sint »; sequeretur enim, etiam virum infidelem ipso suo matrimonio cum fideli ab originali peccato liberari, id quod nemo hucusque asserere ausus est[1]. Neque minus aliorum corruit sententia, usum coniugalem per preces fidelis coniugis sanctificari (*Iust.* etc. — *Calov.* etc.). Atque erronea quoque multorum cath. et acath. censenda est opinio, de legitimitate matrimoniorum mixtorum et filiorum ex eo progenitorum agi, sive Apostolus ex legitimitate filiorum ad legitimum matrimonium concludere sive continuationem matrimonii, ne aut filii iam nati aut ex secundo matrimonio exorituri pro spuriis aut adulterinis habeantur, commendare dicatur : nusquam enim vocabula ἅγιος et ἁγιάζεσθαι (sanctus, sanctificari) simili sensu usurpantur. Miraremur, quod haec explicatio, quae nec verbis nec argumentationi Apostoli congruit et inter antiquos a solo *A^{tro}* est proposita, tam late propagari potuerit, nisi *A^{tri}* explicationem in utramque *Gloss.* transiisse et Glossis antiquitus saepe nimiam auctoritatem attributam esse sciremus.

Viam ad genuinam interpretationem Patres graeci et latini nobis ostendunt; atque Graeci quidem (*Chrys. Theod.* etc.) maxime monent, coniugem infidelem per suam cum fideli unionem spem maiorem habere salutis, sicuti pueri parentum christianorum facilius et securius ad fidem perveniant. Accuratius tamen Latini simul monentes, vocabula *sanctus* et *sanctificatio* variis modis adhiberi, sanctitatem quandam externam illis competere innuunt, qui cum Christianis tam intimo nexu sunt coniuncti. Ita *S. Hier.* (ad Paulin. ep. 85,5) : « de secundo problemate tuo, inquit, *Tert.* in libris de Monog. [ad uxor. II. 7] disseruit asserens, sanctos dici fidelium filios, quod quasi candidati sunt fidei et nullis idololatriae sordibus polluantur. Simul considera, quod et vasa sacra in tabernaculo legimus et cetera, quae ad ritum caeremonialem pertinent, quum utique sancta [sanctitate interna] esse non possint, nisi ea, quae sentiunt et venerantur Deum. Idioma igitur Scripturarum est, ut interdum sanctos pro mundis et purificatis et expiatis nominent ». Atque *S. Aug.* (l. c.) non unius modi docet esse sanctificationem, « nam et catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi et orationem manus impositionis puto sanctificari;

1. Merito *S. Aug.* (De pecc. merit. et rem. II. 26) : « Non, opinor, quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet etiam maritum non christianum, quia christiana fuerit uxor eius, neque iam baptizari oportere et ad peccatorum remissionem iam pervenisse et in regnum coelorum esse intraturum, quia sanctificatus dictus est in uxore ».

et quod accipiunt [sc. sacramentum salis, de quo cfr *S. Aug.* de cat. rud. 50], quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen et sanctius, quam cibi, quibus alimur, quia sacramentum [utique latiore sensu] est. Verum et ipsos cibos, quibus ad sustentandam vitam utimur, sanctificari idem Apostolus dicit per verbum Dei et orationem [1 *Tim.* 4,5], qua oramus utique nostra corpuscula refecturi ».

Talem igitur sanctitatem externam vel legalem *Aug.* et *Hier.* innuunt, quae ad internam sanctitatem gratiae disponit et praeparat infideles. Sanctificari in Scriptura in genere omnes ii dicuntur, qui specialiore aliquo modo cultui vel servitio divino deputantur; qua in deputatione duplex quasi elementum distinguitur, negativum, quo a regno principis huius mundi eximuntur, positivum, quo Deo ipsi consecrantur; quae duo plerumque quidem inseparabiliter sunt coniuncta, at separata esse possunt, quatenus aliquis regno huius mundi sese subtrahere *incipit*, ut ad Deum accedat. Iam vero Christiani omnes sunt sancti (1,2) et utpote baptismo in Christum inserti non tantum secundum animum, sed etiam secundum corpus Deo consecrati, quia etiam secundum corpus sunt membra Christi et templa Spiritus S. (6,15. 19). Porro vir et mulier matrimonio uniti sunt una caro; dum vero Iudaei immunditiem ethnici coniugis ita praevalere censebant, ut cum eo communicantes ipsi inquinarentur, iuxta Paulum « munditiès uxoris fidelis vincit immunditiem viri infidelis, et munditiès viri fidelis immunditiem viri infidelis » (*Chrys.*). *In* muliere fideli (ἐν τῇ γυναικί) igitur, i. e. in sua unione cum uxore fideli et per hanc unionem, infidelis, qui sine contumelia creatoris cum fideli cohabitare consentiens sese dominio principis huius mundi iam subtrahere coepit, etiam cum Christo, utique imperfecte, coniungitur atque ex hac coniunctione aliquam externam sanctitatem accipit eadem fere ratione, qua iuxta Aug. catechumeni « secundum quendam modum sanctificabantur », ut ius quoddam ad certas Ecclesiae benedictiones possiderent. Praeterea cum Ecclesia, quae sanctis constat, per mulierem fidelem colligatus conversatione eorum sancta et pia sine verbo facilius lucrifieri potest Deo (cfr 1 *Petr.* 3,1. 2).

Rem ita se habere Paulus ratione addita ostendit et accuratius explicat. De sanctificatione coniugis infidelis per fidelem dubitasse Corinthii videntur, at filios parentum fidelium sanctificatos esse omnes admittebant, ideoque filiorum sanctificatione ab omnibus concessa confirmat coniugis infidelis sanctificationem. Post *Chrys.* omnes fere antiquiores interpretes verba Pauli ita explicant, ut *filii vestri* intelligantur filii ex matrimoniis mixtis progeniti; sed cum plerisque modernis omnes filios Christianorum non baptizatos rectius intelligi arbi-

tramur, siquidem Apostolus in toto hoc contextu eos, de quibus agit, plurali numero non alloquitur, neque coniuges in mixto matrimonio degentes apte ita alloqui potuit, quia solis tantum Christianis epistola erat destinata (*cfr* v. 16). Atqui omnes fidelium coniugum filii, etsi baptizati nondum erant, propter intimam suam cum parentibus coniunctionem pro *sanctis*, i. e. non immundis, habebantur; velut Christo iam aggregati et dominio principis mundi ex parte saltem subtracti considerabantur, neque cum illis cohabitare et familiariter agere parentes renuebant. Ergo, concludit Paulus, etiam a cohabitatione cum infideli coniuge non est abhorrendum, quia ex utraque parte eadem ratio militat : sicut fidelium filii baptismo parentum aliquatenus iam Christo sunt dedicati et remotum quoddam ius ad baptismum possident, ita infidelis coniux baptismo compartis Deo aliquo modo consecratur et *sanctificatur*.

Thom. Est. aliique ab Apostolo duas rationes afferri censent, quibus suadeat, coniugem infidelem, si cohabitare non recuset, dimittendum non esse, alterum a sanctificatione coniugis, alterum a sanctificatione filiorum; at nec latina phrasis (*alioquin filii vestri* etc.) et multo minus graeca particula (ἐπεὶ ἄρα) hanc explicationem permittit; uti iam diximus, Paulus ex sanctificatione filiorum ab omnibus concessa ad sanctificationem coniugis infidelis concludit, quae ipsa velut ratio affertur, cur cohabitatio cum illo, dummodo ipse consentiat, non sit respuenda. At hinc apparet quoque, a paucis modernis acath. (*God.* etc.) immerito supponi, filios, de quibus Apostolus loquitur, iam fuisse baptizatos; quomodo enim ex baptizatorum filiorum sanctitate ad sanctificationem coniugis infidelis concludi potest? Contra vero ex nostro textu satis clare colligitur, baptismum puerorum eo tempore Corinthi nondum fuisse introductum, ac proin immerito aliquos acath. (*De W. Neand. Olsh.* etc.) ad hunc locum provocare, ut scripturistico argumento puerorum baptismum defendant.

Ad alteram consilii sui partem transiens Apostolus explicat, quomodo cum infideli cohabitationem continuare nolente agendum sit. 15. *Quodsi infidelis discedit, discedat.* Imperativus (χωριζέσθω « separetur » vel « sese separato »), uti patet, est concessivus et indirecte insinuat, quid fideli rebus ita stantibus agere liceat : infidelis, si ita ei placuerit, sese separet et quo voluerit abeat; opus non est, ut fidelis eum retinere aut retrahere studeat. Sese separare (χωρίζεσθαι) autem vel discedere censendus est infidelis non tantum, si cohabitationem continuare omnino respuat, sed etiam si eas conditiones non accipiat, quae requiruntur, ut fidelis honeste cum eo cohabitare possit. Discedente porro infideli fidelis pro suo arbitrio ab omni vinculo est liber : *non (enim) servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Particula causalis (*enim*) ab omnibus codd. graecis et ab aliis versionibus exsulat et rectius omittitur, siquidem Apostolus illud, quod imperativo suo concessivo iam insinuaverat, nunc diserte exprimit. Respicit

autem ad *v.* 11., ubi docuerat, uxorem christianam discedentem non posse alteri nubere sed aut viro reconciliari aut innuptam manere debere, ita ut viro suo primo viventi semper lege sit alligata et servituti cuidam subiecta (*v.* 39. cfr *Rom.* 7,2 sqq.). Verum aliter se res habet in matrimoniis mixtis, « quae non adeo rata censentur, ut necessitate suadente solvi nequeant » (*Greg.* XIII.); infidelis coniugis enim separatione iuxta Pauli doctrinam servitus partis christianae solvi potest. Quapropter merito inde a Patrum tempore (*Chrys.* etc., *A*[ter] etc.) omnes catholici interpretes ex hoc versu collegerunt, *in huiusmodi* sc. casibus ipsum matrimonii vinculum solvi posse, ut legis matrimonialis *servituti non subiectus* fidelis coniux iam aliud matrimonium licite contrahere valeat[1].

Atque idem docent verba sequentia : *in pace autem vocavit nos Deus.* Haud pauci interpretes illud *in pace* ita interpretantur, ac si idem esset, quod *in pacem* (*Est. Lap. Pic.* etc. *Bisp.* etc.), alii per brachylogiam illud dictum esse censent pro : ut in pace simus (*Mai.* etc.); alii vero monent, Evangelium, quod Christus attulit Apostolique praedicaverunt, esse Evangelium pacis, ita ut vocatio ad Evangelium sit vocatio pacis atque vocatis una cum Evangelio vera pax cum Deo et hominibus annuntietur. Quaenam ex his explicationibus praeferatur, nihil interest, quum omnes grammatice defendi possint eundemque sensum exprimant. Certum est, Apostolum ex pace, quam Christiani vi vocationis suae colere et promovere tenentur, argumentari; dubitatur autem, quidnam ex illa demonstrari velit. Antiquiores aliqui Latini (*Pel. Prim. Gl interl. Herv.* etc.) Apostolum monere censent, ne fideles litigiis contentionibusque discessum infidelis coniugis provocent; Graeci (*Chrys.* etc.) vero, *A*[ter] atque longe maior recentiorum et modernorum interpretum numerus ad servandam hanc pacem separationem ab infideli cohabitare nolente commendari dicunt, idque recte. Intime enim duae phrases : *non subiectus servituti est frater in huiusmodi, in pace autem* (δέ) *vocavit nos Deus* inter se cohaerent, atque particula δέ, uti saepius[2], post sententiam negativam affirmantem cum maiore vi introducit, ut fere latino *immo vero* correspondeat : « tantum abest, ut in huiusmodi casibus frater servituti sit subiectus, ut Deus potius eum plena pace frui velit », id quod

1. *Theod.* verba οὐ δεδούλωται male explicat : « si infidelis discedit, fidelis innocens est et *liber ab accusatione* ». Nonnulli moderni ita verba coniungunt, ut οὐ δεδούλωται regat verba ἐν τοῖς τοιούτοις : « talibus servitute non est subiectus »; sed verbum δουλοῦσθαι hanc constructionem non admittit cfr *Rom.* 6,18. 22; *Tit.* 2,3; 2 *Petr.* 2,19.

2. Cfr *Matth.* 6,31. 33. μὴ μεριμνήσητε... ζητεῖτε δὲ κτλ. (« Nolite solliciti esse de quotidiano cibo... immo vero quaerite primum iustitiam » etc.); *Rom.* 3,4. μὴ γένοιτο· γινέσθω δὲ ὁ θεὸς ἀληθής (« ne id fiat; quin etiam Deum veracem esse appareat ») etc.

fieri non potest, si quotidie ad religionem suam tuendam fidelis cum infideli litigare debet. Cui explicationi omnino consonat ratio, qua Paulus alteram hanc consilii sui partem commendat : 16. *Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies* eum ad fidem et baptismum adducens? *aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies?* Iuxta Apostolum unica, ut videtur, iusta ratio, quae fidelem permovere potest, ut infidelem cohabitare nolentem retinere studeat, spes est futurae eius conversionis; at huic spei, utpote prorsus incertae, certa bona, libertas et pax, merito praeferuntur; ab omni conatu igitur retinendi infidelem melius abstinetur.

Haec ultimi versus explicatio post ***Lyr.***, qui primus eam videtur proposuisse, haud paucis placuit interpretibus (***Gayn. Lap. Men. Tir. Gord. Calm. Pic.*** etc.) et hodie est communior (***Mai. M Ev. Bisp. L R. Dr.*** etc. — plerique acath.). Fatendum tamen est, Patribus quum graecis (***Chrys. Theod.*** etc.) tum latinis (***Aug.*** de adult. coni. I. 13; ***A***[ter] etc.), quos antiquiores plerique interpretes secuti sunt (***Rhab. Herv. Thom.*** etc.), alteram praeplacuisse. Etenim hunc versum immediate cum ***v.*** 13. (***non dimittat virum***) coniungunt, ut ratio indicetur, cur a separatione sit abstinendum. « Hoc, inquit ***Chrys.***, refertur ad illud : Ne dimittat ipsum. Nam si turbas non movet, mane; hinc enim lucrum refertur : mane, hortare, consilium da et persuade; nullus enim magister tantum poterit, quantum uxor » etc. Cui explicationi non tantum obstat, quod nec ***vv.*** 14. 15. nec solus ***v.*** 15. pro parenthesi haberi possunt, sed ipsa quoque sententiae forma; ad illum enim sensum, quem ***Chrys.*** etc. inveniunt, exprimendum, scribi debuit : τί οἶδας, εἰ μὴ τὸν ἄνδρα σώσεις; (quid scis, ***annon*** virum salvum facies?) Etsi enim a profanis interdum in indirectis interrogationibus εἰ pro εἰ μὴ usurpatur, huius tamen usus in Novo Test. non exstat exemplum. ***Estius*** ob Patrum auctoritatem alteram quidem praefert explicationem, sed monet « Lyrani expositionem non esse reiiciendam, quia et textui probe congruat, adeoque per se obvia sit, faveatque id quod sequatur ».

Miraberis, quod ***Cai.*** atque etiam acath. interpretes (inter modernos cfr ***God. Heinr.***), qui adulterio vinculum matrimonii ita destrui censent, ut innocens saltem coniux alterum matrimonium contrahere possit, hic dubitent, an fidelis discedente infideli ita liberetur, ut ad alias nuptias transire ei liceat. Res tamen omnino est clara; neque enim tantum unanimis Patrum et interpretum cath. consensus plenam hanc libertatem, quae privilegio Paulino datur, semper agnovit (id quod ***Cai.*** ipse fatetur), sed ipsa quoque Pauli verba, si in suo contextu considerantur, aliam explicationem prorsus excludunt. Quamprimum enim fideli in his casibus aliud matrimonium contrahere non licet, servituti subiectus est, quatenus manet coniugi alligatus; hanc enim alligationem Apostolus servitutem vocat, quia in coniugibus separatis dura est et molesta. Praeterea si eadem esset ratio coniugiorum christianorum et mixtorum, opus non fuisset, ut de mixtis

Apostolus tam fuse loqueretur; potuit enim dicere, eadem, quae Dominus de matrimoniis christianis statuerat, etiam de mixtis valere; multo minus autem opus fuisset, ut utramque consilii sui partem ratione addita confirmaret.

2. *Num vocatione ad fidem alia vincula solvantur* (7, 17-24).

7,17. ***Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocarit Deus, ita ambulet, et sicut in omnibus ecclesiis doceo.*** 18. ***Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat praeputium. In praeputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.*** 19. ***Circumcisio nihil est, et praeputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.*** 20. ***Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*** 21. ***Servus vocatus es? non sit tibi curae : sed et, si potes fieri liber, magis utere.*** 22. ***Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini : similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.*** 23. ***Pretio emti estis, nolite fieri servi hominum.*** 24. ***Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.***

7,17. εἰ μὴ ἑκάστῳ ὡς μεμέρικεν ὁ Κύριος, ἕκαστον ὡς κέκληκεν ὁ Θεός, οὕτως περιπατείτω. καὶ οὕτως ἐν ταῖς ἐκκλησίαις πάσαις διατάσσομαι. 18. περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω· ἐν ἀκροβυστίᾳ κέκληταί τις; μὴ περιτεμνέσθω. 19. ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστιν, καὶ ἡ ἀκροβυστία οὐδέν ἐστιν, ἀλλὰ τήρησις ἐντολῶν Θεοῦ. 20. ἕκαστος ἐν τῇ κλήσει ᾗ ἐκλήθη, ἐν ταύτῃ μενέτω. 21. δοῦλος ἐκλήθης; μή σοι μελέτω· ἀλλ' εἰ καὶ δύνασαι ἐλεύθερος γενέσθαι, μᾶλλον χρῆσαι. 22. ὁ γὰρ ἐν Κυρίῳ κληθεὶς δοῦλος ἀπελεύθερος Κυρίου ἐστίν· ὁμοίως ὁ ἐλεύθερος κληθεὶς δοῦλός ἐστιν Χριστοῦ. 23. τιμῆς ἠγοράσθητε· μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων. 24. ἕκαστος ἐν ᾧ ἐκλήθη, ἀδελφοί, ἐν τούτῳ μενέτω παρὰ Θεῷ [1].

Vinculum matrimonii mixti, si infidelis cohabitationem debito modo continuare nolit, ita dissolvi potest iuxta Apostolum, ut coniugi fideli ad alias nuptias, in quibus pace ab Evangelio allata fruiturus est, transire liceat; quin etiam incerta spes, se infidelem coniugem conversurum esse, sufficiens non est ratio, cur fidelis infidelem retinere studeat. At eodem modo reliqua vincula vocatione ad fidem non infirmantur; unusquisque potius in eo statu, in quo ante conversionem suam secundum divinae providentiae dispositionem degebat, permaneat necesse est (*v.* 17.); quam doctrinam Paulus duobus exemplis (18-20; 21-24) illustrat.

Prima huius pericopae sententia cum praecedente intime connectitur : 17. *nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut*

1. *VV. LL.* — 17. εἰ μή (*nisi*) communis lectio codd. et verss., pro qua pauci minusc. legentes ἢ μή (annon) duo vocabula praecedenti sententiae adiungunt. — ὁ Κύριος... ὁ Θεός (*Dominus... Deus*) B ℵ A C D E F G, pauci minusc. *It. Vulg. Copt. Arm. Goth.*; minus recte *textus rec.* cum K L, plerisque minusc. et nonnullis syr. codd. ordinem invertit ὁ Θεός... ὁ Κύριος. — 21. ἀλλ' εἰ καί (sed si et) est communis lectio graeca, cui communis latina : *sed et, si* satis respondet; soli F G et pauci codd. Vulg. omittunt καί (et). — 22. ὁμοίως ὁ ἐλεύθερος κληθείς (*similiter qui liber vocatus est*) B ℵ A P, pauci minusc., *It. Vulg. Syr. Goth.*; superfluo textus recept. inserit καί cum K L, plerisque minusc., *Copt. Arm. Goth.*; atque D E F G inserunt δὲ καί.

vocavit Deus, ita ambulet (περιπατείτω ambulato), *et sicut* (melius : *et sic*, καὶ οὕτως) *in omnibus ecclesiis doceo*. In huius sententiae constructione difficultatem non creat hyperbaton, quod facillime expeditur (*unusquisque, sicut ei divisit Dominus, sicut eum vocavit Deus, sic ambulato*), atque eius sensus quoque, qui in sequentibus versibus exemplis illustratur, est planus. Conversione ad Evangelium nemo iuxta Apostoli doctrinam statum, in quo antea secundum Dei voluntatem vixit, mutare cogitur. Neque tamen omnes vitae conditiones, in quibus ante vocationem neophyti degerant, retineri posse censet; eo ipso enim, quod unumquemque sic ambulare iubeat, *sicut ei divisit Dominus*, omnes illos status excludit, in quibus sine peccato homo degere nequit. Haud sine ratione igitur hoc in loco duo membra posuit : « unusquisque in eo statu, quem ei attribuit Dominus *et* in quo eum Deus vocavit, ambulet »; *vv*. 20. et 24. autem prius omisit, quia exempla, quibus regulam suam generalem illustrat, de statibus per se indifferentibus desumta sunt, qui iuxta divinae providentiae ordinem singulis hominibus assignari possunt et assignantur.

Quo facilior est sententiae ipsius sensus, eo difficilius dictu est, quomodo cum praecedentibus sit connectenda; quid enim illud *nisi* (εἰ μή) sibi velit, non satis perspicitur. Recte tamen, ni fallor, plerique moderni (*Maï. M Ev. Bisp. L R. Dr.* etc.; — *Mey. God. Heinr.* etc.) particulam hanc cum *v.* 15 (οὐ δεδούλωται servituti subiectus non est) ita connectunt, ut facultatem ibi concessam velut exceptionem esse doceatur a regula generali, quae nostro in versu exprimitur : « in eiusmodi casibus frater servituti non est subiectus, nisi (i. e. tantummodo) unusquisque in illo statu ambulet, quem divina providentia ei attribuerat et in quo vocationem ad fidem acceperat ».

Ab hac explicatione re vix dissentiunt (licet iuxta grammaticam minus accurate loquantur), qui εἰ μὴ (*nisi*) hic pro ἀλλά (*sed*) adhibitum esse censent (*Sa, Lap. Men. Tir. Pic.* etc.). In diversissimas sententias antiquiores interpretes abeunt. Aliqui antiquam sententiam a *Theoph.* et *Oec.* iam commemoratam sed non approbatam resumentes particulam εἰ μή praecedenti phrasi addunt (τί οἶδας, εἰ τὴν γυναῖκα σώσεις, εἰ μή; quid scis, utrum mulierem servaturus sis, *annon?*), ac si scriptum esset : ἢ εἰ μή vel ἢ μή, quam lectionem paucissimi tantum codd. tuentur (*Cagn. Iust.* etc.); at parum recte, quia nec genuina lectio hunc nexum permittit, nec interrogatio, quae sententiae negativae aequivalet (τί οἶδας; i. q. οὐκ οἶδας) disiunctionem illam in hoc contextu admittit. Cum praecedente sententia totum primum membrum (*nisi unicuique sicut divisit Dominus*) ex Graecis *Theod.*, ex Latinis *Aler Herv. Lomb. Thom.* etc. ita coniungunt, ut ellipsi admissa hic fere exoriatur sensus : « Quid scis, an mulierem salvaturus sis, nisi ita te habeas ad eam, sicut Deus unicuique divisit » (vel etiam : nisi patienter exspectes, id futurum, sicut Deus unicuique divisit); at durissimae sunt hae ellipses atque praecedenti sententiae sensum attribuunt, quem ei non competere

ostendimus. Porro inter eos quoque, qui sententiam v. 17. a praecedente separant, aliqui particulam εἰ μή elliptice positum arbitrantur atque aut ex v. 15. χωρίζεται (si non discedat) aut ex v. 16. σώσεις (si non salvabis) supplent; iterum parum recte, quia ad hunc sensum exprimendum scribi debuit εἰ δὲ μή (si *autem* non discedat, si *autem* non salvabis), atque regula, quam Paulus statuit, semper observanda est, sive infidelis discedat aut convertatur, sive non discedat aut non convertatur. Prorsus improbabilis quoque est ellipsis, quam *Est.* admittit: « Quid scis, an mulierem salvaturus sis, nisi Deus, prout varia sua dividit dona, tibi gratiam concesserit, qua illam convertas ». Alias similes explicationes praetermittimus.

Propter fidem igitur acceptam statum, in quo aliquis iuxta divinae providentiae ordinem degerat, non esse mutandum, doctrina est, quam Apostolus in omnibus ecclesiis tradidit (*et sic in omnibus ecclesiis doceo*) vel potius praeceptum est, quod ubique statuit (διατάσσομαι). Quo amplo sensu hoc intelligi velit, docent exempla, quibus illud illustrat. Primum exemplum ex diversitate religionis, quam ante baptismum professi erant, desumit, quatenus etiam post baptismum haec diversitas externo signo cognosci potuit. 18. *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat praeputium. In praeputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.* Utrum interrogative cum Vulg., an enunciative cum aliis plerisque editionibus duo priora membra legantur, nihil interest; satis enim clarum est, ea esse protases hypotheticas rhetorico quodam modo expressas. Iam Machabaeorum tempore (cfr 1 *Mach.* 1, 16; *Fl. Ios.* Antiqu. XII. 5,1) Iudaei nonnulli, ne in gymnasiis, in quibus nudi luctabantur, aut in balneis tamquam Iudaei cognoscerentur et irriderentur, scalpelli curatione quadam praeputium circumcisione ablatum artificiose restituere inceperant (מָשַׁךְ עָרְלָה ἐπισπᾶν sc. τὴν ἀκροβυστίαν, adducere praeputium); idem mos tempore Pauli Corinthi videtur fuisse, atque fortasse aliqui Iudaeochristiani, ut se ad synagogam non amplius pertinere clarius manifestarent, eundem morem imitati sunt [1].

At id non requiri, monet Apostolus, sicuti non requiritur, ut Ethnicochristiani circumcisione sese Iudaeochristianis similes reddant. Nam 19. *circumcisio nihil est, et praeputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei.* Quibus ex verbis clare apparet, in ecclesia corinthia

1. *S. Cyr.* « Verisimile est, nonnullos ex circumcisione conversos secum ita esse locutos: Quomodo acceptabiles erimus et Christianorum vitam sectabimur, qui adhuc circumcisionem tenemus? Fortasse praeputium attrahere oportebit, i. e. ad illud redire carnalique naturae vim inferre. Qui autem ex ethnico errore venerant, quum audissent forte ab iis, qui legis umbram adhuc venerabantur, rem honorabilem esse circumcisionem atque ab omnibus sanctis observatam, etiam quamquam fidem iam receperant carnis ritu perfici volebant ». Quae Paulo fuerit ratio, cur hoc exemplum eligeret, ignoramus, neque ullum fundamentum nobis praebent eius verba, quo nixi cum nonnullis modernis (*Bisp.* etc.) definire possimus, ex quanam factione fuerint illi, quos Apostolus prae oculis habuit.

circumcisionem a iudaizantibus doctoribus velut rem ad salutem necessariam (*Act.* 15,1) non esse praedicatam; secus enim Paulus eam non velut rem indifferentem tractasset, sed Corinthiis sicut Galatis dixisset : Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit (*Gal.* 5,2). Eam igitur tamquam rem mere externam considerat, quae ab iis, qui illam habent, non repudianda nec ab iis, qui illa carent, quaerenda est; nam et circumcisi et non circumcisi ad fidem vocantur, in vocatis vero, quamprimum fidem et baptismum receperunt, sola consideratur *observatio mandatorum Dei.* Similibus verbis Galatis scripserat : « In Christo Iesu (i. e. ut recte explicat *Chrys.* « in iis, qui Christum induerunt » et ad corpus mysticum Christi pertinent) neque circumcisio aliquid valet nec praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur » (*Gal.* 5,6) vel ut paullo post dicit : « sed nova creatura » (*Gal.* 6,15). Nova creatura autem est homo, qui baptismo regeneratus atque ad statum supranaturalem elevatus gratiam sanctificantem pro nova forma accepit atque fide per caritatem informata leges praeceptaque Dei supranaturalibus actibus observat.

Quia ergo nec praeputium nec circumcisio ad vitam christianam quidquam conferunt, etiam hoc respectu 20. *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Si quis hunc versum cum *v.* 24. (*unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat*) comparaverit, merito mirabitur, quod nonnulli moderni (*Mai.* — *Mey. Crem.* etc.) *vocationem* (κλῆσιν) de externa vitae conditione, in qua aliquis ante baptismum degebat, intelligi negent atque *vocationem ad fidem* designari velint. Profecto plerumque vocabulum κλήσεως, praesertim si epitheto quodam ornatum est (ἡ ἁγία κλ. 2 *Tim.* 1,9, ἡ ἄνω κλ. *Phil.* 3,14; ἡ ἐπουράνιος κλ. *Hebr.* 3,1 etc.), de *actu*, quo Deus hominem aliquem ad fidem vocat, intelligendum esse non negamus; at quomodo Paulus Corinthios exhortari potest, ut in illo actu permaneant? Quodsi respondent, Corinthios debuisse in illo statu permanere, ad quem isto actu a Deo vocati sunt, interrogamus, quid sibi hoc in loco generalis exhortatio velit, ut Corinthii in statu Christianorum permaneant. Itaque κλῆσις hoc loco recte ab omnibus antiquis et plerisque modernis eo fere sensu explicatur, quo etiam a profanis scriptoribus aliquoties adhibetur (Dion. Hal. H. R. IV. 18 κλήσεις i. q. classes) : « quocumque in vitae genere vel ordine vel conditione aliquis fidem Christi acceperit, in iis permaneat » (*Theoph.*).

Ut clarius iam ostendat, quam late sese extendat hoc principium, pro secundo exemplo abiectissimam sumit vitae conditionem, in qua homo honeste degere potest : 21. *Servus vocatus es? non sit tibi curae; sed et, si potes fieri liber, magis utere.* Quia Apostolus non dicit, qua

re servum christianum, qui liber fieri potest, magis uti velit, in duas oppositas sententias interpretes abeunt, aliis supplentibus *libertate*, aliis *servitute;* iuxta priores Apostolus hortatur, ut recuperandae libertatis occasione utatur, iuxta alios suadet, ut occasione tali neglecta in sua servitute contentus vivere satagat. Graeca lectio ἀλλ' εἰ καὶ δύνασαι ἐλεύθερος γενέσθαι (*sed, si etiam liber fieri potes*) secundae sententiae omnino favet, eidemque magis etiam consonat latina. Accedit, quod Paulus sibi ipse contradicere videretur, si ad libertatem recuperandam exhortaretur eos, quos cunctas vitae conditiones relate ad vitam christianam indifferentes esse docet. Atque ratio demum, quam statim addet, secundae magis quam priori explicationi congruit. Itaque cum Patribus graecis (*Chrys. Cyr. Theod.* etc.) et latinis (*A^ter^, Pel. Prim.* etc.) antiquioribusque omnibus et multis modernis interpretibus secundam praeferimus [1].

Iuxta Pauli enim constantem doctrinam omnes, qui in Christo sunt, inter se sunt aequales, quaecumque eorum externa est conditio (12, 13; *Gal.* 3,28; *Col.* 3,11); quare nihil miri habet, quod servo christiano, ut libertatem non quaerat, suadeat; christianus enim servus a libero non differt, quia in Christo libertatem iam accepit et liber factus est in Christo servus : 22. *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini; similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.* Nexus cum praecedentibus clarus est : Noli quaerere libertatem, quia iam liber es; quin etiam si externam libertatem adeptus esses, semper maneres servus, siquidem ille ipse, qui liber vocatus est, post vocationem servus est. Est unum ex paradoxis, quae Paulus amat, vocabulorum sensum, quem in vita quotidiana habent, ad vitam spiritualem transferens. Omnes, qui in Domino vocati sunt (i. e. qui vocati sunt, ut iam nunc sint in Domino), relationem suam ad Dominum duplici modo considerare possunt; quatenus enim Dominus a servitute peccati et principis huius saeculi eos redemit, omnes sunt liberti; sed quatenus sibi ipsi eos emit, in eius potestatem transierunt et servi Christi facti sunt. Iam vero servus, qui ad fidem vo-

1. Papae! inquit *S. Chrys.* (i. h. l.), ubinam servitutem posuit! Uti nihil iuvat circumcisio nihilque nocet praeputium, sic neque servitus neque libertas! Quod ut clarius et abundantius manifestet, addit : sed si etiam potes fieri liber, magis utere i. e. magis servias. Et cur eum, qui liber fieri potest, servum manere iubet? Ut ostendat, servitutem nihil nocere, immo prodesse. Neque ignoro quidem, quosdam illud *magis utere* de libertate dictum putare explicantes : si potes, libertatem acquire. Sed Pauli fini contrarium esset illud dictum, si tale quid subindicaret. Neque enim, dum servum consolatur eique servitutem non nocere dicit, eum, ut libertatem quaerat, exhortari potest. Responderet enim servus : si igitur liber fieri non possum, bonum aliquod mihi deest. Non ergo hoc dicit, sed sicut explicavi : ostendere volens, nihil ei boni accedere, si liber fiat, ait : etiam si penes te esset ut liber fieres mane potius servus ».

catur, priorem maxime relationem sibi ob oculos ponere debet, ut in sua servitute contentus degat; liber vero, ne de sua libertate glorietur servosque despiciat, alteram consideret necesse est; « impossibile enim est, inquit *Cyr.*, homines servitutis nomen evitare, siquidem omnis creatura serva est » : hac ratione ambo in vocatione, in qua Deus eos vocavit, quieti degent nec pristinam vitae suae conditionem mutare studebunt.

Originem duplicis huius relationis Apostolus indicat totam alloquens ecclesiam, quae liberis et servis integra constabat : 23. *Pretio emti estis.* Quo magno pretio emti essent, dicere hoc loco opus non erat, quia omnes Christiani illud optime cognoverunt et magnitudo pretii in hac argumentatione nullius fuit momenti (*cfr ad* 6,20); a quo autem emti essent, iam indicaverat eos *libertos Domini* et *servos Christi* appellans. Itaque statim conclusionem infert, qua, uti recte monet *A^ter*, simul Christi divinitatem innuit[1] : *nolite fieri servi hominum.* Sed quid sibi hoc in loco tale monitum vult? Quum omnes alloquatur, Apostolus certe non exhortatur liberos, ne se ipsos servituti mancipent (uti explicant *Lap. Tir. Men.* etc.; — *Michael.* etc.); de hac enim re liberos illo tempore cogitasse, temere coniicitur. Neque solos servos monet, ne servili animo dominis suis sint subditi ad oculos eis servientes (uti innuunt *Pel. Prim. Vat.* etc.; — *Billr.* etc.); id enim clarius expressisset (cfr *Col.* 3,22; *Tit.* 2,9 sq.). Parum recte quoque nonnulli (*Cyr. A^ter* etc., *Bisp. L R. Dr.* etc.; — *Rück. Hoffm.* etc.) Apostolum Corinthios omnes monere censent, ne factionum capitibus velut servi obediant; nam quomodo hic de factionibus cogitare aliquis potuit? Praeferenda igitur est illa explicatio, quam insinuat *Chrys.* et plerique sequuntur : « Ne vos ita subiicite hominibus, ut Christo Domino debitum servitium subtrahatis aut quoquo modo minuatis obsequium et servitium... Fiunt ergo servi hominum, qui sic hominibus serviunt, ut Christo non serviant aut minus serviant, qui impensa hominibus obsequia non ad gloriam Christi referunt, sed ad solam respiciunt hominum voluntatem, quos vel timent vel amant inordinate » (*Est.*), uno verbo, qui hominibus magis quam Domino placere student (cfr *Gal.* 1,10; 1 *Thess.* 2,4) atque, ut hominibus placeant, contra Dei voluntatem conditionem vitae pristinam mutare volunt. Quare iterum monet : 24. *Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum,* i. e. ita in pristino statu permaneat, ut a Deo non recedat; unde clarum est, tunc

1. Cfr *A^ter* : « Dedit articulum, Christum esse fatendum Deum, quando servos Christi non hominum servos esse appellandos ostendit ».

eundem statum non esse retinendum, si cum servitio divino conciliari non potest.

Miro modo *Orig.* (in Rom. 1,1) et *S. Hier.* (c. Iovin. I. 11; ad Pamm. ep. 48,6) totam hanc sectionem (v. 18-24) exponunt; Paulum enim circumcisorum praeputiatorumque atque liberorum servorumque nominibus metaphorice coelibes et matrimonio iunctos intellexisse putant; nexum enim, quo haec pericope cum praecedente de matrimonio cohaeret, non perspexerunt. Sed quoniam in hac interpretatione sequaces non habuerunt, ei immorari superfluum est.

In *v.* 21 exponendo communem Patrum explicationem secuti sumus, quam etiam iuniores et moderni plerique praeferunt. Attamen inde a saec. 16. aliqui catholici (*Lap. Men. Tir. Calm. Bisp. Ramb.*) et acath. (*Luth. Beng. Kl Br. God.* etc.) Paulum servos exhortari putant, ut occasione recuperandae libertatis oblata utantur atque liberi fieri studeant. Quibus argumentis nostra explicatio confirmetur, diximus; contra quae immerito aliqui acath. obiiciunt (*God.* etc.), Apostolum servo ne potuisse quidem suadere, ut in servitute remaneat, quamprimum libertatis occasio ei sit oblata; libertatem externam enim esse bonum, quod respuere hominem aeque parum deceat, atque aegrotum deceat respuere sanitatem oblatam. At evidens est, nec sanitatem corporis nec externam libertatem esse bona absoluta, quapropter nihil obstat, quominus eis altius et perfectius bonum praeferatur; atque recte *Chrys. Thom.* aliique monuerunt, servitutem hominem ad humilitatem adducere aliarumque virtutum posse esse scholam. Porro clarum quoque est, de apostolico consilio (minime vero de praecepto) hic agi, quod eos solos servos respicit, qui in sua servitute tot expositi non sint periculis, ut vitam vere christianam vix ac ne vix quidem agere queant. Ceteroquin interpretes merito monent, Apostolum, quum in nostro loco atque in aliis similibus servum et herum coram Deo aequales esse doceat, certo quodam modo abrogationem servitutis praeparasse atque insinuasse, quum eos, qui coram Deo iisdem iuribus fruantur atque tamquam filii adoptivi Dei inter se sint fratres, eadem quoque iura in externa vita habere deceat. Per se quoque elucet fieri omnino non potuisse, ut Christianus servos suos, quos non minus quam se ipsum Christi morte redemtos et Christo velut membra insertos esse sciebat, tamquam rem nullius momenti consideraret, de qua pro beneplacito suo disponere ei liceret; atqui in eo maxime sita est servitutis foeditas, quod servus non velut homo sed velut res inanimis aut animal brutum consideretur et tractetur.

II. — *De coelibatu* (7,25-40).

Ex Pauli doctrina, in eo statu, in quo ad fidem sint vocati, neophytis post baptismum receptum permanendum esse, sua quasi sponte difficultas aliqua exoriebatur. Procul enim dubio illi quidem, qui coniuges baptizabantur, iuxta dominicum praeceptum in matrimonio antea inito perseverare debebant iis solis exceptis, de quibus *v.* 15. dictum est; at num illi quoque, qui coelibes sive ante matrimonium contractum sive in viduitate ad fidem vocabantur, coelibatum continuare tenebantur, ut a nuptiis inter se iungendis essent retinendi? Probabile est, Corinthiorum ipsorum interrogatione etiam hanc dubitationem

esse propositam; qui enim Apostolum consultandum duxerunt, num in matrimonii usu perseverare sibi liceret, illi multo magis ignorabant, num filiis suis matrimonium permittere possent. Quapropter Apostolus de hac quaestione, etsi eam obiter iam attigerat (*vv.* 8. 9), diligentius disserere voluit; itaque 1. virginibus coelibatum non praecipit quidem, sed suadet (7,25-28), ratione addita, qua coelibatum matrimonio praestare ostendit (7,29-35), et consilio hac de re parentibus proposito (7,36-38); 2. simile deinde consilium viduis tradit (7,39. 40).

1. *De virginitate* (7, 25-38).

1.) *Virginibus coelibatus suadetur* (7,25-28).

7,25. De virginibus autem praeceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. 26. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. 27. Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem. 28. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco.

7,25. Περὶ δὲ τῶν παρθένων ἐπιταγὴν Κυρίου οὐκ ἔχω, γνώμην δὲ δίδωμι ὡς ἠλεημένος ὑπὸ Κυρίου πιστὸς εἶναι. 26. νομίζω οὖν τοῦτο καλὸν ὑπάρχειν διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, ὅτι καλὸν ἀνθρώπῳ τὸ οὕτως εἶναι. 27. δέδεσαι γυναικί; μὴ ζήτει λύσιν· λέλυσαι ἀπὸ γυναικός; μὴ ζήτει γυναῖκα. 28. ἐὰν δὲ καὶ γαμήσῃς, οὐχ ἥμαρτες, καὶ ἐὰν γήμῃ παρθένος, οὐχ ἥμαρτεν· θλῖψιν δὲ τῇ σαρκὶ ἕξουσιν οἱ τοιοῦτοι· ἐγὼ δὲ ὑμῖν φείδομαι [1].

A matrimonio, de cuius usu et indissolubilitate leges divinae latae sunt, ad coelibatum transiturus Apostolus hac de re nihil a Domino praeceptum esse praemonet: 25. *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo,* ut a matrimonio abstinentes eo in statu, in quo ante vocationem suam degerunt, permaneant. In terris agens Dominus excellentiam quidem voluntarii coelibatus insinuaverat (*Matth.* 19,12), sed legem de eo nec ipse promulgaverat nec in coelum elevatus per Apostolos promulgandam curaverat; immo vero iuxta *Chrys.* (de virginit. 41) de ea re quidquam necessitate praecepti definiri vetuerat: « nam illud: *qui potest capere, capiat* (*Matth.* l. c.) liberam auditori optionem concedit ». Ac revera « virginitas suaderi potest, imperari non potest; res magis voti est, quam praecepti. Quod enim gratiae est, non iubetur, sed desideratur, electionisque magis est, quam servi-

1. *VV. LL.* — 28. Pro ἐὰν δὲ καὶ γαμήσῃς (B ℵ P, pauci minusc. et PP.) aut ἐὰν δὲ καὶ γήμῃς (K L, plerique minusc. et PP.) tertia est lectio ἐὰν δὲ καὶ λάβῃς γυναῖκα (*si autem* etiam *acceperis uxorem*) D E F G, *It.*, *Vulg*. Primam praeferunt moderni critici, alteram exhibet textus recept.; sensu omnes tres plane consentiunt.

tutis » (*S. Ambr.* Exhort. virgin. 3. cfr *Thom.*); quibus verbis S. Doctor eos tamen, qui voto perpetuae castitatis sese ipsi ligaverunt, ad eam servandam sub gravi peccato esse obligatos, profecto non negat. Vocabula παρθένου et *virginis* graeci et latini scriptores profani de solis feminis, ecclesiastici autem praeeunte S. Ioanne (*Apoc.* 14,4) de utroque sexu adhibent[1]; iam S. Paulum quoque, etsi singularem numerum vocis παρθένου sensu strictiore ubique usurpat (*vv.* 28. 34-38 et 2 *Cor.* 11,2), pluralem tamen nostro in loco sensu latiore adhibuisse, cum *Theod. Mopsuest.* nonnulli interpretes moderni (etiam acath. *Beng. Flatt, Olsh.* etc.) haud immerito tenent. Quidquid tamen de accurata huius vocabuli in hoc loco significatione statuitur, dubium nequaquam est, quin Apostolus de utroque sexu loquatur (*cfr vv.* 28. 32. 33), sicut Dominus ipse quoque, quamquam vocabulum *eunuchi,* quo utitur, per se solos viros designat, viris *et* feminis coelibatum velut statum perfectiorem commendavit (*Matth.* 19,12).

Praeceptum igitur de virginitate servanda non est datum, *consilium autem do,* inquit Apostolus, *tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.* Γνώμη, quo vocabulo utitur, proxime quidem est *sententia,* sed eo ipso, quod aliquis sententiam suam de re agenda exprimit, consilium dat. Praecepti vero et consilii differentiam nostrum versum explicans ita definit *S. August.* (De sancta virgin. 15) : « praeceptum est hoc, cui non obedire peccatum est; consilium, quo, si uti nolueris, minus bonum adipisceris, non mali aliquid perpetrabis », seu aliis verbis : praeceptum est de bono necessario, consilium de bono meliore (*cfr v.* 40; 2 *Cor.* 8,10). Optime in hunc locum *Theodor.* : « Non legem fero, sed consilium offero; Deus enim, postquam naturae consentanea praecepit, hortatur ad ea, quae sunt supra naturam. Quoniam autem verisimile erat, aliquos consilio utpote rei novae repugnaturos, B. Paulus adiecit : tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Solita cum modestia apostolicam auctoritatem ostendit; sum, inquit, consiliarius fide dignus (ἀξιόχρεώς εἰμι σύμβουλος) propter magnam Dei misericordiam vocatus et ad praedicationis munus admissus ». Itaque suam sententiam pronuntiat non tamquam homo privatus, qui errori est obnoxius, id quod ali-

1. *Suida* tamen teste ex profanis *Gorgias* iam vocem παρθένου de viris, qui matrimonium non contrahentes castitatem servarunt, adhibuit. Quodsi moderni aliqui (*Mai.* — *Mey. Kl Br. God.* etc.) a Ioanne in Apoc. vocabulum non velut substantivum (virgines) sed velut adiectivum (virgineus vel virginalis) usurpari asserunt, unum saltem exemplum sive ex profanis sive ex ecclesiasticis scriptoribus proferant necesse est, quo vocem παρθένος pro adiectivo usurpari demonstrent. Risui enim sese exponit *Kl Br.*, si ex eo, quod παρθένοι illo in loco sit praedicatum, vocabulum esse adiectivum concludit.

qui acath. (*God.* etc.) asserunt, sed tamquam vir, cui intime persuasum est, se Spiritum Dei habere (*cfr v.* 40) atque una cum vocatione apostolica illam quoque a Domino gratiam accepisse, ut suis consiliis, utpote omni acceptione dignis (cfr 1 *Tim.* 1,15; 4,9), neophyti sine ullo errandi periculo fidem adhibere possent et deberent; eadem enim ratione, qua supra (*v.* 12), etiam hic loquitur velut Apostolus.

Minus recte tamen aliqui antiqui et moderni explicant : « misericordiam consecutus, ut sim fidelis in ministerio mihi commisso » (*Thom. Dion.* etc.); sensus quidem hac interpretatione vix mutatur, sed supplementum illud temere inseritur, quum πιστός (fidelis) etiam alibi a Paulo sensu indicato (fide dignus 2 *Tim.* 2,13; 1 *Tim.* 4,9 etc.) adhibeatur. Neque recte, opinor, *Chrys.* (De virgin. 42) aliique *fidelem* hic intelligunt Christianum; evidens enim est, verba *tamquam misericordiam consecutus* etc. eum in finem ab Apostolo addi, ut suae sententiae auctoritatem demonstret; atqui omnes neophyti eadem ratione, qua Apostolus, per misericordiam divinam facti erant Christiani neque tamen ideo boni erant consiliarii. Inepte *God.* asserit, Apostolum hic inter inspirationem, quae solis Apostolis competat, et inspirationem, quae omnibus Christianis sit communis, accurate ideo distinguere, ut consilium suum non ex priore, sed ex altera derivari ostendat. Eiusmodi enim distinctionis nullum hic invenitur vestigium; praecepto quidem consilium opponit, at nequaquam apostolicae inspirationi nescio quam inspirationem christianam.

Conqueruntur acath. omnes (cfr *Mey. Heinr. God.* etc.), quod catholici interpretes hac sententia abutantur, ut praecepta divina a consiliis evangelicis distinguant: at, ni fallor, distinctio haec tam clare a Paulo est expressa, ut quomodo clarius exprimi possit, non appareat : virginitas a Domino non est praecepta (*cfr v.* 28.), ab Apostolo tamen, qui divinitus illustratus se fide dignum esse proclamat, velut status maioris perfectionis (*cfr vv.* 32-35) suadetur; itaque aliud est divinum praeceptum, quod sine peccato violari nequit, aliud vero consilium, quod nemo per se sequi tenetur, sed illi, quibus datum est, liberi sequuntur, vel ut habet *Aug.* (l. c.) « quod non est criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse est laudis »[1]. Nonne eadem ratione Dominus ipse perpetuam virginitatem commendat atque voluntariam paupertatem tamquam consilium praeceptis opponit (*Matth.* 19,12.21)?

Iam sententiam suam Apostolus ita proponit : 26. *Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse* (νομίζω οὖν τοῦτο καλὸν ὑπάρχειν διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, ὅτι καλὸν ἀνθρώπῳ τὸ οὕτως εἶναι). Quibus in verbis duae inveniuntur difficultates : quomodo nimirum integra phrasis construi debeat, ne idem per idem demonstrari videatur, et quae intelligenda sit *necessitas instans*. Priorem difficultatem *Theodor.* duobus vocabulis (ὅτι

1. Cfr *S. Ambr.* (De vid. 12) : « Praeceptum in subditos fertur, consilium amicis datur; ubi praeceptum est, ibi lex est; ubi consilium, ibi gratia est; praeceptum, ut ad naturam revocet, consilium, ut ad gratiam provocet. Et ideo lex Iudaeis lata est, gratia autem electioribus reservata est; lex, ut a naturae finibus culpae studio demeantes ad naturae observantiam poenae terrore revocaret; gratia autem, ut electos quum studio bonorum tum propositis etiam praemiis provocaret. En tibi distantia praecepti atque consilii » etc.

καλόν quoniam bonum est) omissis ita solvit, ut hic exoriatur sensus : « existimo ergo hoc bonum esse homini propter instantem necessitatem, sic esse », seu aliis verbis : iuxta Apostoli sententiam hoc, sc. τὸ οὕτως εἶναι (*sic esse* i. e. virginem esse), homini propter instantem necessitatem praeferendum est. Quam explicationem veram esse arbitror, licet omissio duorum vocabulorum approbari nullo modo possit, quum prorsus sit arbitraria atque idem sensus illis retentis obtineatur. Revera alterum membrum (*quoniam bonum est* etc.) non est nisi explicatio pronominis *hoc;* particula enim ὅτι (*quoniam,* vel melius *quod*) hic est epexegetica, ut haec sit phraseos constructio : « existimo ergo, hoc, sc. quod bonum sit homini sic (i. e. virginem) esse, bonum esse propter instantem necessitatem »; intimam igitur rationem Apostolus adiungit, cur virginitatem bonam, i. e. perfectam atque matrimonio praeferendam, esse existimet. Quae ratio sita est in *necessitate instante,* qua expressione iuxta omnium fere antiquorum interpretum explicationem multae magnaeque tribulationes et molestiae designantur, quas praesens vita secum affert quibusque illi, qui matrimonio ligati sunt, multo magis, quam coelibes, sunt expositi, quum non sibi solis tantum sed etiam suis omnia, quae ad vitam honeste degendam requiruntur, providere et procurare teneantur. *Instans* vero vel *praesens* (ἐνεστῶσα) angustia et necessitas vocatur, quia hominem continuo premit atque cum matrimonio ita est coniuncta, ut coniuges, etsi voluerint, ab illa liberare se nequeant[1]. Porro animadverte, instantem necessitatem velut rationem, quae virginitatem matrimonio praestare ostendat, non ideo ab Apostolo afferri, quia eam in se aliquid mali esse censeat, sed quia homines plerumque impediat, quominus sese totos servitio divino consecrent; ita enim ipse sententiam suam explicat (*v.* 32 sqq.).

Antiqui interpretes de phraseos constructione vix loquuntur; eam tamen, quam indicavimus, innuunt *Cagn. Est.* etc. (et ex modernis acath. *Holst.*); a qua haud longe dissentit alia a nonnullis acath. (*Heyd. Heinr.*) proposita, qui pro ὅτι pronomen ὅ, τι legunt (existimo, propter instantem necessitatem hoc bonum esse [virgini], quod homini [i. e. viro] bonum est, [sc.] sic esse). Longius dissentiunt, qui eandem phrasin bis repeti censent (*Lap. Men. Mai.* — *Mey. Schn.* etc.); ita enim *Lap.* : « exi-

1. Ἀνάγκη (*necessitas*) ab Alexandrinis pro hebr. מָצוֹק, צַר, צָרָה etc. frequenter adhibetur, ut angustias tribulationesque omnis generis designet; atque eodem sensu in Novo Test. aliquoties usurpatur (cfr 2 *Cor.* 6,4; 12,10; 1 *Thess.* 3,7, quibus in locis Paulus vocabulum velut synonymum θλίψεως vel στενοχωρίας sumit). — Verbum ἐνίστημι, quod intransitive tantum a Paulo adhibetur, duas admittit significationes, ut sit aut *proxime instare* vel *imminere* (2 *Thess.* 2,2; 2 *Tim.* 3,1) aut frequentius *praesentem adesse* (cfr 3, 22; *Rom.* 8,38; *Gal.* 1,4; *Hebr.* 9,9); altero hoc sensu hic usurpatur.

stimo hoc, bonum esse (manere virginem) propter instantem necessitatem, (existimo, inquam), quod bonum sit homini sic esse sc. in virginitate »; at quis in tam brevi phrasi anacoluthum admittere velit? Alii secundum membrum pro causali habent, ut hic sit sensus : « existimo, hoc (sc. virginem manere) bonum esse (virginibus) propter instantem necessitatem, quia homini (in genere) bonum est sic (i. e. non ligatum) esse » (*Bisp. L R* etc. — *De W.* etc.); at in priore membro ratio iam est indicata nec ullo modo Apostolus oppositionem virgines inter et homines in genere innuit. Quod si quis alterum membrum pro causali habere velit, cum paucis acath. (*Ew. Hoffm. Goeb.*) expressionem *propter instantem necessitatem* per hyperbaton cum illo coniungat oportet hac ratione: « existimo hoc bonum esse, quia propter instantem necessitatem bonum est homini sic esse »; sed haec constructio est violenta. Itaque constructionem nostram, qua velut totius huius pericopae thesis proponitur, utpote faciliorem et probabiliorem praeferimus.

Necessitatem instantem moderni interpretes acath. longe plerique atque cum eis pauci catholici (*Mai. Bisp.*) illas intelligunt tribulationes, quae secundum Christi adventum sint praecessurae (חֶבְלֵי הַמָּשִׁיחַ dolores, vel potius ὠδῖνες, Messiae; cfr *Luc.* 21,23 ἀνάγκη μεγάλη pressura magna) et a Paulo ἐνεστῶσαι (imminentes) vocentur, quia Dominum ipsum iam mox ad iudicium venturum esse putaverit; quam explicationem confirmant ex *v.* 29, in quo tempus usque ad iudicium fore breve dicatur. Quodsi ita explicanda esset expressio, virginitas matrimonio non simpliciter praeferretur, sed ob erroneam Apostoli de propinquitate iudicii sententiam commendaretur; parum recte enim aliqui (*Bisp.* — *God.*) omnes tribulationes, quae post primum adventum Christi in mundo erunt, velut proximam secundi adventus praeparationem considerant; quin enim ultima tempora futura sint difficillima, non est dubium (cfr *Matth.* 24,4 sqq.; *Luc.* 21,23 sqq.; 2 *Thess.* 2,3 sqq. etc.). Attamen falsissimum est, Apostolum ullibi erroneam sententiam de die iudicii immediate instante aut docuisse aut in suis monitis supposuisse; quin etiam paucissimis annis, antequam hanc epistolam scriberet, Thessalonicenses diserte monuerat, ne diem Domini iam imminere sibi persuaderent, perversasque sequelas ex illo errore exortas studiose represserat (2 *Thess.* 2,2 sqq.; 3,6 sqq.). Quandonam ad iudicium agendum adventurus esset, Dominus Apostolis non revelaverat (*Matth.* 24,36), sed ad continuam vigilantiam eos excitaverat; fieri igitur potuit, ut Paulus cum mox adventurum speraret aut desideraret (*cfr* 2 *Cor.* 5,1 sqq.); at si inter eos, quos Dominus adventurus vivos sit reperturus, sese ipse connumerare videatur (1 *Thess.* 4,14), alibi sese ex hoc numero potius excludit (*cfr ad* 6,14; 10,11; 2 *Tim.* 4,6), et neophytos eadem ratione, qua Dominus ipse, ad continuam vigilantiam ita exhortatur, ut semper se paratos esse debere sciant, sed a consueta vivendi ratione non recedant (1 *Thess.* 5,1 sqq.). Porro *v.* 29. de tempore, quod ultimum iudicium praecedat, non loquitur, sed de brevi vitae tempore, atque satis clare iam *v.* 28. explicat, quae sit necessitas praesens. — *Oecum.* persecutiones, quibus tum temporis neophyti corinthii afflicti sint, intelligendas censet; at istarum persecutionum in nostra epistola non invenitur vestigium; gratuito igitur et temere supponuntur. — Pauci antiquiores (*Herv.* etc.) molestias, quae ex matrimonio ipso exoriantur (uxoris graviditas, dolores partus etc.) maxime intelligunt; quam sententiam *Chrys.* (de virginit. 43) recte iam repudiavit; generatim enim intelliguntur vitae huius tribulationes, « quae multum possunt obesse servitio divino et quibus praecipue iuncti matrimonio implicantur » (*Pel.*).

Ne quis vero virginitatis commendatione matrimonium ita deprimi et damnari putet, ut contractum nunc iam sit solvendum atque no-

vum sine peccato contrahi nequeat, Paulus verba sua eos solos, qui ligati nondum sunt, respicere (*v.* 27) atque consilium dumtaxat, non praeceptum, continere (v. 28) explicat. 27. *Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem;* coniugibus enim illa sunt observanda praecepta et consilia, quae in superioribus iam tradita sunt (*vv.* 10 sqq.). De coniugibus autem Apostolum loqui, communissima est antiquorum et modernorum interpretum sententia, quam immerito pauci moderni acath. (*Hoffm. Ew. Heinr.*) reiiciunt de sponsis sermonem fieri contendentes; neque enim usquam in Novo Test. verba δέειν et λύειν (ligare et solvere) de sponsalibus adhibentur. *Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem.* Expressio *solutum esse* improprie hic de eo usurpatur, qui ligatus nondum est; « dupliciter quidem de illo, qui ligatus numquam fuerit, et de illo, qui antea ligatus nunc sit liber, eam intelligi posse », monet *Oecum.*, atque cum *Tert.* (Exhort. cast. 4) aliqui acath. (*Mosh. Seml.*) alterum sensum praeferentes viduo secundas nuptias dissuaderi putant. Sed inde ab Origenis aetate reliqui interpretes priorem sensum, utpote contextui magis consonum, praetulerunt; nam de secundis nuptiis Paulus infra (*vv.* 39. 40) aget. De reliquo nihil interest, utrum cum plerisque interpretibus iuvenibus virginitatem, an cum *Oecum.* et iuvenibus virginitatem et viris viduis coelibatum commendari dixeris; certum enim semper erit, de solis feminis Apostolum in hac pericopa non agere.

Deinde, inquit *Chrys.*, ne hoc (sc. noli quaerere uxorem) lex esse videatur, subiungit : 28. *Si autem acceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo, non peccavit.* Praeprimis animadverte, Apostolum non tam de iis, qui iam matrimonio sint ligati, loqui, id quod latina perfecta (*peccasti, peccavit*) videntur insinuare, quam de iis, qui matrimonium sint contracturi; ea enim est graeci aoristi, quo Paulus hic utitur (ἥμαρτες, ἥμαρτεν) vis, ut certo quodam modo pro futuro usurpetur, si duo eventus futuri ita inter se sunt connexi, ut priore posito alter eveniat necesse sit; quare etiam aliquoties Vulgata aoristum futuro apte reddit[1]. Sensus igitur sententiae est : verba mea (noli quaerere uxorem) non ita sunt intelligenda, ut uxor duci sine peccato non possit; matrimonium enim res bona est, utpote a Deo ipso in paradiso iam institutum; atque virginem viro nubere (dummodo, uti post *Chrys.* diligenter addunt graeci et latini interpretes[2], voto

1. Cfr *Ioan.* 15,6 ἐὰν μή τις μείνῃ ἐν ἐμοί, ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα καὶ ἐξηράνθη, quae ad literam sonant : « nisi quis manserit in me, *eiectus* foras *est* sicut palmes et *exaruit* »; qui enim a Christo separatus est, eo ipso iam eiectus est et aruit. At recte vertit Vulg. : « si quis in me non manserit, *eiicietur* foras sicut palmes et *arescet* ». In nostri quoque versus membro secundo *Amiat.* legit : « si nupserit virgo, non *peccabit* ».

2. *Theodor.* « Sciendum est, Apostolum non de iis, qui saeculo semel renuntiarunt,

sese Christo ne mancipaverit) peccatum non est; *tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi* (οἱ τοιοῦτοι i. e. sive vir sive virgo matrimonium contrahentes). *Carnem* aliqui ita interpretantur, ut idem fere sit quod concupiscentia atque Apostolus incontinentiae periculum, cui coniuges sint expositi, significet; quae explicatio, si *v.* 9. confertur, merito inepta dicitur. *Tribulationem carnis* (θλῖψιν τῇ σαρκί tribulationem carni) cum plerisque eodem sensu intelligimus, quo *v.* 26 *praesentem necessitatem*, ut omnes molestias et aerumnas complectatur, quas hac in terra in parte nostra sensitiva experimur, et quas multo plures et maiores experiatur necesse est coniux, quam virgo, quum non tantum in se ipso eas patiatur sed etiam in uxore sua liberisque suis, atque matrimonium ipsum multas secum afferat : « gemitum ventris (famem et sitim), nutrimenta filiorum, victus, tegumenta, dotes, aegritudines, apparatum domus, uxoris necessitatem, mariti dominationem » (*A^{ler}*). Plenissime et uberrime hos « coniugii moerores » (*Oecum.*) exponunt *Chrys.* (De virginit. 57), *S. Hieron.* (c. Iovin. I. 47 sqq.) aliique Patres; Paulus autem, qui Corinthios velut filios suos in Christo amat, eos ab his aerumnis immunes esse desiderat ideoque addit : *Ego autem vobis parco*, i. e. vobis parcens suadeo, ut virginitatem matrimonio praeferentes omnia illa incommoda, quae ex matrimonio exoriuntur, evitetis; etenim « parcit, quando ad haec magis provocat, quae tribulationes carnis et sollicitudines memoratas excludunt » (*A^{ler}*). Cur vero eos ab illis aerumnis liberatos manere velit, statim exponet.

Alio modo *S. Aug.* (De sancta virginit. 16) ultima verba explicat : « Quod autem se dicit eis parcere, quos ait tribulationes carnis habituros, nihil mihi interim sanius occurrit, quam eum noluisse aperire et explicare verbis eandem ipsam carnis tribulationem, quam praenunciavit eis, qui eligunt nuptias »; scilicet ne vel eos ipsos, qui continentiae donum non habe-

dixisse : Si acceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo, non peccavit, sed de iis, qui nondum sive hoc sive illud elegerunt atque in confinio matrimonii et coelibatus stant ». *Oecum.* « Virginem hoc loco non eam appellat, quae Deo consecrata est, sed innuptam puellam. Nam quae Deo consecrata est, si nupserit, in Christum illum, cui nubit, reddit adulterum ». Ex Latinis cfr *Pel.* : « Illos dixit non peccare si nubant, qui nondum Deo voverint castitatem. Ceterum qui vel in corde suo promisit, si aliud fecerit, habet damnationem, quia primam fidem irritam fecit; quod enim erat licitum, per votum sibi fecit illicitum ». Eadem repetunt *Prim.* *Rhab.* aliique iuniores, qui nonnulla immiscent ex his *S. Hier.* (c. Iovin. I. 13) verbis : « Et si nupserit virgo, non peccavit. Non illa virgo, quae se semel Dei cultui dedicavit; harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit (cfr 1 *Tim.* 5,12). Si quis autem hoc de viduis dictum obiecerit, quanto magis de virginibus praevalebit, quum etiam his non liceat, quibus aliquando licuit. Virgines enim, quae post consecrationem nupserint, non tam adulterae sunt, quam incestae ».

rent, a matrimonio absterreret. Quae explicatio, licet etiam ab haud paucis iunioribus Latinis una cum priore afferatur, nec verbis tamen nec contextui satis convenit, quum Apostolus statim graviore argumento, quam molestiarum matrimonii enumeratione, virginitatem commendet. Multo minus nobis probatur tertia explicatio a *Tertull.* (De pudic. 16) invecta et a nonnullis egregiis interpretibus (*Thom*[1]. etc. *Cai.* etc., *Lap.* etc.) adoptata, iuxta quam Paulus his verbis Corinthiis matrimonium propter eorum infirmitatem indulgeat ac permittat (« consulo evitare coniugium, quod tamen concedo parcendo infirmitati vestrae « *Thom.*). Quomodo enim haec interpretatio contextui accommodetur, non apparet.

2.) *Ratio, propter quam virginitas matrimonio praestat, accuratius explicatur* (7,29-35).

7,29. ***Hoc itaque dico, fratres : Tempus breve est : reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint : 30. et qui flent, tamquam non flentes : et qui gaudent, tamquam non gaudentes : et qui emunt, tamquam non possidentes : 31. et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur : praeterit enim figura huius mundi. 32. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. 33. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. 34. Et mulier innupta, et virgo, cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro. 35. Porro hoc ad utilitatem vestram dico : non ut laqueum vobis iniiciam, sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi.***

7,29. τοῦτο δέ φημι, ἀδελφοί· ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστίν· τὸ λοιπὸν, ἵνα καὶ οἱ ἔχοντες γυναῖκα ὡς μὴ ἔχοντες ὦσιν, 30. καὶ οἱ κλαίοντες ὡς μὴ κλαίοντες, καὶ οἱ χαίροντες ὡς μὴ χαίροντες, καὶ οἱ ἀγοράζοντες ὡς μὴ κατέχοντες, 31. καὶ οἱ χρώμενοι τὸν κόσμον ὡς μὴ καταχρώμενοι· παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου· 32. θέλω δὲ ὑμᾶς ἀμερίμνους εἶναι. ὁ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου, πῶς ἀρέσῃ τῷ Κυρίῳ. 33. ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσῃ τῇ γυναικί, 34. καὶ μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ, ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος, μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου, ἵνα ᾖ ἁγία καὶ τῷ σώματι καὶ τῷ πνεύματι· ἡ δὲ γαμήσασα μεριμνᾷ, πῶς ἀρέσῃ τῷ ἀνδρί. 35. τοῦτο δὲ πρὸς τὸ ὑμῶν αὐτῶν σύμφορον λέγω, οὐχ ἵνα βρόχον ὑμῖν ἐπιβάλω, ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπάρεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως[1].

1. *VV. LL.* — 29. ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστίν· τὸ λοιπὸν ἵνα... (*tempus breve est; reliquum est, ut...*) Haec lectio, quam adoptarunt *Tisch.* atque *W. H.*, auctoritate nititur B ℵ A D, paucorum minusc. *It. Vulg. Copt.* etc.; interpungunt quoque ante τὸ λοιπόν *Clem. Alex.* (Paed. II. 3) et omnes Latini; atque F G, qui post λοιπόν verbum ἐστίν repetunt, eandem interpunctionem suadent. Multi graeci PP. et codd. τὸ λοιπόν ad prius membrum parum recte trahunt (*cfr* Comment.). — 31 τὸν κόσμον (vel τῷ κόσμῳ mundum *vel* mundo) B ℵ A. *Copt. Arm.*, quae lectio haud immerito a plerisque hodie praefertur communi τῷ κόσμῳ τούτῳ (*hoc mundo*). — 32. πῶς ἀρέσῃ τῷ Κυρίῳ (quomodo placeat Domino) B ℵ A D E etc.; sed F G et nonnulli minusc. cum Latinis (*Tert. Cypr. A*[ter] etc. *Vulg.*) legunt τῷ Θεῷ (*quomodo placeat Deo*); prior tamen lectio et auctoritate testium et concinnitate sese commendat. — 33. 34. Magna est lectionum varietas in fine *v.* 33. et in principio *v.* 34; duae lectiones praecipuae iam Patrum aetate in controversia erant; priorem, quam exhibet hodierna *Vulg.*, tenent

Mirantur nonnulli (cfr *Chrys.* de virginit. 49. etc.), quod B. Paulus ad *praesentem necessitatem* et *tribulationes carnis* vitandas virginitatem commendaverit altioribus eius praemiis et efficacioribus argumentis praetermissis, eumque ita egisse censent, quia Corinthii, carnales et parvuli in Christo, spiritualia argumenta ferre non potuerint; « probe enim sciebat, inquit *Chrys.*, eos utpote viles et humi repentes et terrae addictos rebus terrenis magis attrahi et allici ». Quae haud recte esse dicta apparet, si ad sententiarum ordinem nexumque et totius pericopae structuram attenditur; nam hucusque thesin dumtaxat suam proposuit, sed quo sensu necessitas praesens et tribulatio carnis intelligantur oporteat, nunc explicare incipit docens necessitatem praesentem ideo esse vitandam virginitate servata, quia « aliquid bonorum impediat futurorum » (*S. Aug.* de s. virginit. 14). Quam explicationem completo quodam syllogismo tradit : Ob temporis brevitatem consultius est, ut omnes, quantum eius fieri potest, ab omni sollicitudine, quam res terrenae afferunt, immunes sint (29-31); atqui coelibes facilius, quam coniuges, ab huius terrae curis immunes soli Deo servire possunt (32-34); ergo coelibatus, quamvis lege non sit praescriptus, matrimonio tamen praestat (*v.* 35).

Verba sua superiora sese velle exponere indicat formula : 29. *Hoc itaque dico, fratres,* vel potius iuxta graecum : hoc *autem* dico, τοῦτο δέ φημι. Sunt quidem, qui inter τοῦτο δέ φημι et τοῦτο δὲ λέγω ita distinguant, ut prior formula sententiam novam afferat et τοῦτο ea, quae sequuntur, designet, altera praecedentem explicet sententiam et τοῦτο superiora designet; quae distinctio temere conficta est, siquidem in unico altero loco, in quo Paulus priore utitur, eadem ratione, qua hic, praecedentem sententiam explicat (15,50). Iamvero argumentationis fundamentum ei praebet brevitas temporis, quod homo servitio divino impendere potest : *Tempus breve est* (ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστίν); quae verba versio antiqua significantius reddidit : *tempus in collecto est* (*Tert.*) vel *collectum est* (*Cypr.*), i. e. secundum divinam ordinationem contractum vel breve est, ut maiore cum diligentia ad eum finem adhibeatur, ad quem concessum est[1]. *Tempus*

Westc. Hort : καὶ μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου (***et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt***); altera tamen, quam ***Tisch.*** praefert, in antiqua ecclesia latina usitatior erat : καὶ μεμέρισται καὶ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος· ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου (et divisa est mulier et virgo; innupta cogitat, quae Domini sunt); *cfr* Comment. — 34. μεριμνᾷ, πῶς ἀρέσῃ τῷ ἀνδρί (sollicita est, quomodo placeat viro) B; sed reliqui omnes testes post μεριμνᾷ inserunt : τὰ τοῦ κόσμου (***quae sunt mundi***); quae vocabula retineantur oportet.

1. Moderni aliqui interpretes acath. (***Rück. Olsh. Neand.***) participium συνεσταλμένος cen-

Graeci (*Chrys.* de virginit. 73; *Theodor. Oec.* etc.), uti *A*[ler] et pauci moderni cath. (*Bisp. Mai. L R.*) sed plerique acath., integrum illud intelligunt, quod usque ad secundum Christi adventum et mundi finem decurret; plerique autem Latini antiquiores (*Hier.* c. Iovin. I. 13; *Pel. Prim. Herv. Thom.* etc.) et recentiores (*Cai. Est. Lap. Men. Calm. Nat. M Ev. Dr.*) vitae nostrae spatium interpretantur : « etiamsi nongentis, inquit *Hier.*, viverèmus annis, ut antiqui homines, tamen breve putandum esset, quod haberet aliquando finem et esse cessaret ». Utra ex his sententiis praeferatur, per se haud multum interest, dummodo acatholicorum illorum error arceatur, qui Apostolum iterum propinquitatem secundi adventus Domini docere asserunt. Ceterum Latinorum interpretatio merito praefertur, quia vocabulum καιρός, etsi praesens tempus in oppositione ad futuram aeternitatem aliquoties designat, per se tamen nihil nisi certum temporis spatium indicat et solo contextu definitam istam significationem accipit; atqui in hoc loco nihil adest, quo totam huius mundi aetatem intelligere cogamur; ea vero, quae sequuntur, aptius explicantur, si de vitae tempore, quod singulis hominibus concessum est, vocabulum καιρός intelligitur.

Etenim quia vita nostra brevis est, *reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint;* cohabitare quidem matrimoniique iuribus uti coniuges non prohibentur (*v.* 5), cavere tamen debent, ne eius sive voluptatibus sive molestiis a praecipuo suo munere, quod in divino servitio situm est, sese abripi aut retineri sinant. Atque eadem prorsus ratione cavendum est, ne aliis sive gaudiis sive tribulationibus homo ab uno illo, quod solum est necessarium, abripiatur; itaque 30. *et qui flent, tamquam non flentes* sint, *et qui gaudent, tamquam non gaudentes, et qui emunt, tamquam non possidentes* (κατέχοντες, avide vel tenaciter retinentes), 31. *et qui utuntur* (*hoc*) *mundo, tamquam non utantur*, vel rectius iuxta Graecum : *tamquam non abutentes* (ὡς μὴ καταχρώμενοι). Καταχρῆσθαι, quod *Tert.* (de cultu fem. II. 9) reddidit *abuti*, a Graecis quidem (*Theodor. Oecum.* etc.) et nonnullis Latinis (*Cai.*) ita exponitur, ut hoc membro explicatio quaedam superiorum paradoxorum exprimatur : « qui utuntur mundo, eo ne utantur praeter iustitiam »; at καταχρῆσθαι, sicuti latinum *abuti*, non tantum de malo alicuius rei usu usurpatur, sed etiam de pleno usu, quo res quasi consumitur; atque hoc sensu vocabulum hic vide-

sent idem esse, quod *calamitosus et miser*, atque ad Alexandrinorum usum loquendi provocant, qui verbo συστέλλομαι pro נִכְנַע (depressus est, humiliatus est *Iudic* 8,21; 11,31) usi sint; at illis quoque in locis, uti etiam *Eccli.* 4,34 aut 1 *Mach.* 5,33 vel 2 *Mach.* 6,12 συστέλλειν propriam suam significationem *contrahendi* ipso metaphorico usu prodit.

tur esse sumendum : « Qui rebus (huius) mundi utuntur, utantur iis obiter et velut in transcursu, quantum fert necessitas » (*Est.*).

Ratio vero, cur ita adhibendae sint res omnes, quae nomine *mundi* comprehenduntur, est earum fragilitas, qua indignae reddantur, quibus nostras curas sollicitudinesque impendamus : *praeterit enim figura huius mundi;* 32. *volo autem vos sine sollicitudine esse. Figura,* σχῆμα, est externus rei habitus (cfr *Phil.* 2,8), unde *S. Hier.* « figura praeterit, non substantia ». Omnes huius mundi res, quae in nostrum usum sunt conditae, caducae sunt et transitoriae; « quid igitur, inquit *Chrys.* (de virginit. 73), te de mundi rebus non perennibus, sed caducis, perennium et aeternarum oblitus, crucias? Non iam matrimonium, non dolores partus, non voluptas et concubitus, non divitiarum copia, non possessionum cura, non cibus nec tegumenta, non agricultura nec navigatio, non opera arte facta nec aedificia, non urbes nec aedes, sed alius quidam status aliaque vitae conditio succedent; illa omnia brevi interibunt. Quid igitur velut in omnia saecula hic mansuri illis omnem diligentiam impendimus, de rebus solliciti, a quibus saepe ante vesperam separabimur? Quid aerumnosam vitam eligimus, quum ad vitam molestiarum expertem (ἀπράγμονα βίον) Christus nos invitat? Volo enim, inquit, sine sollicitudine vos esse ». Atque simili modo *Theodor.* : « Non amplius agricultura vel navigatio, non amplius regna vel imperia, non amplius servitus vel dominium, non amplius artes vel disciplinae, non amplius paupertas vel opulentia, neque similia erunt, quibus haec vita continetur. Futura autem vita aliam habebit rerum differentiam », de qua sola nos sollicitos esse vult Apostolus. Summa igitur horum versuum est, nec temporis, quod degimus, brevitatem nec rerum, quibus hic utimur, fragilitatem permittere, ut totos nos brevi isti tempori et caducis illis rebus devoveamus aut curis et sollicitudinibus non necessariis nos torqueamus, quum una sola sollicitudo, id quod in sequentibus accuratius explicatur, animos nostros occupare debeat.

In *v.* 29. eam lectionem et interpunctionem secuti sumus, quam Latini inde a Tertulliani aetate semper habuerunt, boni codd. graeci tuentur, meliores editiones criticae exhibent, utpote contextui magis consonam moderni quoque interpretes cath. plerique (*M Ev. Bisp. IR. Dr.* etc.) et aliqui acath. (*Kl Br. Schn.* etc.) retinent[1].

1. Quodsi obiicitur, particulam ἵνα, utpote finalem, cum τὸ λοιπόν (reliquum est) coniungi non posse, quia vi sua finali privaretur (*Mai.* — *Heinr. God.*), respondemus, eam in Novo Test. frequenter eiusmodi formulis adiungi, ut vis finalis non nisi contortis explicationibus extundatur; cfr *Matth.* 8,8 ἱκανὸν εἶναι, ἵνα et *Ioan.* 1,27 ἄξιον εἶναι ἵνα (dignum esse, ut); *Matth.* 10,25 ἀρκετόν ἐστιν ἵνα (sufficit, ut), *Matth.* 18,6 συμφέρει ἵνα (expedit, ut) etc. In his aliisque similibus phrasibus particula ἵνα cum suo verbo locum infinitivi fere tenet, sicut particula *ut* in latinis phrasibus correspondentibus. Eadem igitur ratione habemus τὸ

Parum vero Graecorum (*Chrys. Theodor.* etc.) lectio et interpretatio nobis probatur, quam aliqui moderni (*Mai.* — *Heinr. God.*) praeferunt : ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστὶν τὸ λοιπόν, ἵνα κτλ. « tempus abbreviatum est in posterum cum in finem, ut » etc. Sive enim tempus vitae sive totum tempus usque ad adventum Christi intelligimus, illud « in posterum » superfluum est nec satis aptum. Neque rectius alii acath. legunt et interpungunt : ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστί, τὸ λοιπὸν ἵνα κτλ (*Lachm. Hoffm. Holst. Goeb.*) « tempus cum in finem est abbreviatum, ut in posterum etc. » ; cur enim illud τὸ λοιπὸν summa cum emphasi ipsi particulae finali anteponatur, nulla prorsus est ratio. — Nimis arcte cum *Atro* multi primum membrum (*ut et qui habent uxores* etc.) de solo matrimonii usu intelligunt (« Notandum est, inquit *Thom.*, quod tamquam non habens uxorem est, qui vel uxori debitum reddit nec exigit, vel propter infirmitatem uxorem ducit dolens quod sine ea esse nequit, vel pari affectu continentiam custodit, vel prolis ad cultum Dei generandae causa uxorem propriam cognoscit » ; sim. *Cat. Est. Lap.* etc.); « neque enim haec referuntur ad usum coniugii, quasi Apostolus iubeat eos uxoris complexu abstinere, sed quod ex sequentibus planius constat, indicat non esse his rebus caducis et terrenis voluptatibus [addo : molestiisque] penitus adhaerendum... Atque ita recte Primasius haec omnia, quae infra lunam sunt, immortalium bonorum comparatione flocci esse facienda docet, idque ait Pauli verbis significari » (*Iust.*).

Posita Maiore ad syllogismi Minorem transiens coelibes (32. 33) et virgines (34) curarum terrenarum magis immunes esse, ut liberius et facilius Deo serviant, ostendit. *Qui sine uxore est* (ὁ ἄγαμος) *sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo* (lege : *Domino*); 33. *qui autem cum uxore est* (ὁ γαμήσας) *sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Quia de omnibus virginibus, sive viris sive feminis, loquitur, Apostolus eodem modo, sicut *v.* 27., de viris incipit agere, neque hos versus, uti aliqui acath. volunt (*God.*), velut introductionem praemittit. Iam vero viro coelibi illud unum curae est, ut Domino placeat, atque nullo impediente ea omnia peragere potest, quae ad maiorem Domini gloriam et suum ipsius profectum spiritualem pertinere censet. Verum aliter se habet ille, qui matrimonio ligatus est; plenam enim sui ipsius potestatem non habet (*cfr v.* 4), sed ad uxoris iura attendat oportet (*v.* 5) atque, id quod per se patet, filiorum suorum necessitatibus providere tenetur; itaque « in multas sollicitudinum partes distractus et miseriarum » (*S. Hier.*) soli divino servitio vacare nequit, atque una ex parte Deo servire debens, alia ex parte ea quae mundi sunt cogitare coactus contrariis quasi curis *divisus est* (μεμέρισται *cfr ad* 1,12), quum eadem

λοιπόν ἐστιν ἵνα... ὦσιν pro τὸ λοιπόν ἐστιν... εἶναι (cfr τὸ δὲ λοιπὸν ἤδη ἡμῖν ἐστι σκέψασθαι, « reliquum iam est, ut videamus ». *Passow* Lex. II. s. v.). Errat autem *Mai.*, si Apostolum iuxta nostram explicationem imperativo aut coniunctivo uti debuisse asserit; neque enim exhortatur Paulus fideles, sed eos edocet, quae conclusio practica ex principio posito de temporis brevitate derivetur.

cum diligentia officia implere teneatur, quae inter se quasi pugnare videntur.

Porro eadem, quae mariti et coelibis, etiam est uxoris et virginis ratio. 34. *Et mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.* Iuxta *S. Hier.* Paulus duplici nomine *mulieris innuptae* et *virginis* aut « ob elegantiam sermonis » usus est, aut « ut definiret, quid esset innupta, sc. virgo, ne meretrix putaretur innupta utpote nulli certo matrimonio ligata »; *Est.* mulierem innuptam intelligit viduam, de qua verba apostolica non minus, quam de virgine, valeant; at de meretricibus nemo hoc in loco cogitare potuit, de viduis autem infra (*v.* 39 sq.) Apostolus disseret, atque hic eas potius excludere videtur. Quoniam enim de viris loquens appellatione: ὁ ἄγαμος usus erat, eandem hic de feminis adhibere voluit: ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος, sed explicationis gratia, ne viduae simul intelligerentur, addidit: ἡ παρθένος. Atqui virgo, sicut coelebs, omnium aliarum curarum soluta cogitat ea, quae Domini sunt, ut placeat Domino sancta corpore et spiritu, corpus scilicet suum mundum ab omni libidinis foeditate conservans atque a spiritu suo omnes impuras cogitationes arcens, ut iis, quae Domini sunt, meditandis et intelligendis vacet: nam « beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ». Contra vero mulier, quae matrimonio ligata est, cogitat quae sunt mundi, atque viro suo placere studens a servitio divino retrahitur neque eadem cum perfectione ea, quae Domini sunt, curare potest.

Unum addamus oportet: Apostolus de iis quae fieri solent loquitur neque magis coniuges quoque sanctos corpore et spiritu esse posse negat, quam eos vituperat, si ea *quae mundi sunt* (at non dicit: quae *huius* mundi sunt) quaerunt, ut consorti placeant. Quin etiam omnes omnino Christianos sanctos corpore et spiritu esse debere supponit atque id solum insinuat, maiore cum difficultate eos, qui matrimonio sunt ligati, quam coelibes et virgines, Deo perfecte servire; unde concludendum relinquit, coelibatum matrimonio praestare. *S. August.* (de bono coniug. 12) adductis verbis S. Petri (1 *Petr.* 3,1-7), in quibus verum matrimonium christianum describitur, interrogat: « Itane coniugia non cogitant ea, quae sunt Domini, ut placeant Domino? » atque respondet: « Quis negat? sed perrara sunt, et in ipsa raritate paene omnes, qui tales sunt, non ut tales essent coniuncti sunt, sed iam coniuncti tales facti sunt ». Re enim vera hanc corporis et spiritus sanctitatem in coniugibus raro inveniri docet experientia. Omnes quidem Christiani corpus et animam, i. e. sese integros, velut membra Christi et templa Spiritus S. puros et sanctos conservare debent atque divina adiuvante gratia possunt; at maiore gratia Dei et maiore diligentia propria coniuges, quam virgines, indigent, ut omnem maculam effugiant.

Quominus enim totum suum studium omnesque suas cogitationes ad hunc finem obtinendum dirigant, multis aliis curis sollicitudinibusque prohibentur; quae in se quidem non tantum non malae sed bonae et necessariae sunt (nam ea, quae mundi sunt, cogitare, i. e. rerum temporalium curam gerere, atque cogitare, quomodo alteri alter placeat, i. e. mutuum amorem fovere, debent coniuges), a divinis tamen rebus mentem avocantes impediunt, ne quis eadem cum facilitate ad excelsum puritatis et sanctitatis gradum perveniat[1].

Latinam edisseruimus lectionem, quam *S. Hier.* (c. Iovin. I. 13) his verbis defendit : « Nunc illud breviter admoneo, in latinis codicibus hunc locum ita legi : *Divisa est mulier et virgo*. Quod quamquam habeat suum sensum et a me quoque pro qualitate loci edissertum sit [cfr ex. gr. ad Eust. ep. 22,21; c. Helv. 20], tamen non est apostolicae veritatis. Siquidem Apostolus ita scripsit, ut supra transtulimus : *sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est;* et hac sententia definita transgreditur ad virgines et continentes et dicit : *Mulier innupta et virgo cogitat, quae sunt Domini* ». Quam lectionem inter Graecos tuentur B P cum nonnullis minusc. et *Eus.* (Dem. evang. I. 9), eique omnino favent, quum post ἡ γυνή addant ἡ ἄγαμος, ex codd. ℵ A et aliqui minusc., ex PP. *S. Bas.* et *Euth.*; porro inter versiones eandem exhibent aut ei favent hodierna *Vulg. Copt. Aeth.*, et ex PP. latinis antehieronymianis *S. Ambr.* (Ep. 63,38 et de vid. 1.; sed aliam lectionem sequitur de laps. virg. 6) et *Pel.* Haud spernendis igitur testimoniis haec lectio munitur, atque in se quoque aptissima est; nam consuetum sensum verbi μεμέρισται (*divisus est*) retinet et repetitio in principio *v.* 34. (*et mulier innupta et virgo*) veram difficultatem non creat (*cfr* explic.).

Altera lectio, quam S. Hier. reiicit (καὶ μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος· ἡ ἄγαμος κτλ. *et divisa est mulier et virgo : quae innupta est, cogitat...*) in haud paucis codd. graecis legitur, a *Chrys. Theodor.* aliisque graecis interpretibus explicatur, a plerisque latinis PP. antehieronymianis (*Tert.* de vel. virg. 4., *S. Cypr.* Test. c. Iud. III. 32; *S. Ambr.* de laps. virg. 6, *Altro* etc.) tenetur, in nonnullis codd. Vulg. (*Fuld.* etc.) et in vers. *Syr.* reperitur, ut vix minus bonis, quam prior, testimoniis muniatur. Difficillime autem in hac lectione verbum μεμέρισται (*divisa est*) explicatur : mirum iam est, quod singularis sit adhibitus; etsi enim verbum subiecto suo praecedit, dicendum omnino erat μεμερισμέναι εἰσίν (divisae sunt); sensus quoque insolitus ei attri-

1. Cfr *S. Aug.* de bono vid. 6 : « Illud quod de innupta Paulus dicit : ut sit sancta corpore et spiritu, non sic accipiendum est, quasi nupta fidelis et casta et secundum Scripturas subdita viro non sit sancta corpore, sed tantum spiritu. Fieri enim non potest, ut sanctificato spiritu non sit sanctum etiam corpus, quo sanctificatus utitur spiritus. Sed ne cuiquam potius argumentari, quam hoc divino eloquio probare videamur, illud eiusdem Apostoli Pauli consideremus, ubi prohibens fornicationem ait : Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? Audeat ergo aliquis dicere, membra Christi non sancta esse? aut vero audeat a membris Christi fidelium coniugatarum corpora separare? Unde etiam paullo post ait : Corpus vestrum templum in vobis est Spiritus Sancti, quem habetis a Deo. Corpus fidelium et membra Christi esse dixit et templum Spiritus Sancti, ubi profecto utriusque sexus fideles intelliguntur. Ibi ergo sunt nuptae, ibi et innuptae, sed distinctae meritis et tamquam membris membra praelata, quorum tamen neutra sint a corpore separata. Quod igitur de innupta loquens ait, ut sit sancta corpore et spiritu, ampliorem innuptarum et in corpore et in spiritu sanctificationem intelligi voluit, non corpus nuptarum omni sanctificatione privavit ».

buitur : « differunt inter se » (*Chrys.*), nam ad hanc significationem illi quoque revertuntur, qui cum *Theodor.* etc. explicant : « studiis suis divisae sunt, quum altera his, altera aliis curam suam impendant » ; acutius vero, quam verius et aptius, alii interpretantur : « divisus est studiis suis sexus femineus, uxore aliud, virgine aliud cogitantibus ». — De reliquo integer huius loci sensus variis illis lectionibus non mutatur; priorem tamen lectionem cum *S. Hier.* merito praeferunt moderni plerique (etiam acath. *Lachm. WH. Etc. Heinr. Edw. Goeb.* etc.). — Omni probabilitate lectio caret *S. Aug.* (de s. virgin. 22.; de bono coni. 10; de bono vid. 2.) : *Et divisa est mulier innupta et virgo;* haec enim aptum sensum vix praebet nec contextui consonat.

Ex argumentatione sua Apostolus conclusionem ita colligit, ut Corinthii praeceptum sibi non imponi admoniti simul ad consilium apostolicum sequendum efficaciter stimulentur : 35. *Porro hoc* (vel iuxta graecum τοῦτο δέ : *hoc autem*) *ad utilitatem vestram* (adde cum A^{tro} ex graeco : *ipsorum*) *dico, non ut laqueum vobis iniiciam.* « Non violenter, inquit, velut laqueo iniecto vos ad has divitias rapio, sed magnum, quod exorietur, lucrum vobis ostendo » (*Theod.*). Diligenter iterum Apostolus inter illud, quod utile est, interque illud, quod est necessarium, i. e. inter res, quae sunt de consilio, et illas, quae sunt de praecepto, distinguit. Laqueo iniecto venatores feras capiunt et libertate privant, atque positivis legibus hominis quoque libertas restringitur; at libertatem, quam Dominus fidelibus concesserat, Apostolus restringere noluit; velut bonus tamen pater, qui filiorum utilitatem promovere studet, magnum illud privilegium, quo coelibes et virgines, quum divino soli servitio vacare possint, fruuntur, identidem eis ob oculos ponit. Tota enim eius argumentatio non eo tendit, ut praecepti laqueum fidelibus iniiciat, *sed ad id* (promovendum), *quod honestum est et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi* (ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπάρεδρον [vel εὐπρόσεδρον] τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως). Ultimorum verborum graecorum proprietatem latino sermone non posse explicari ideoque ob translationis difficultatem ea in latinis codicibus penitus non inveniri, monet *S. Hier.* (c. Iovin. I. 13); revera nec A^{ter}, *Pel. Sed.* illa in commentariis suis explicant, nec *August.* aut alius ex PP. latinis Hieronymo antiquioribus illa allegant[1]. S. Hier. (l. c.) eodem fere modo, quo hodie in Vulg. leguntur, ea expressit : « sed ut ad id quod honestum est et intente facit servire Domino absque ulla distractione » vos exhorter. Iam vero εὐσχήμων proprie est *pulcher;* quare ad mores translata vox non tam significat, aliquid simpliciter bonum vel *honestum* esse,

1. *S. Aug.* (de bono vid. 5) prima tantum verba habet : *sed ad id quod honestum est;* atque illa sola verba etiam A^{ter}, *Sed. Prim.* legerunt; sed ne illa quidem *Pel.* videtur habuisse.

quam illud splendore quodam esse insigne, ita ut *perfectionem* potius quam ordinarium honestatis gradum exprimat; quapropter *S. Aug.* (l. c.) rectissime : « non quia innuptarum bonum, inquit, honestum dixit, ideo putare debemus, turpe esse vinculum coniugale,... sed quod honesto erat honestius generali honesti nomine commendavit ». Porro εὐπάρεδρος (vel εὐπρόσεδρος, utraque lectio in bonis codd. legitur, sensu autem vocabula non distinguuntur) est is, qui bene assidet, s. assiduus; εὐπάρεδρος τῷ Κυρίῳ igitur ille est, qui Domino bene assidens in eius servitio vel in conversatione cum eo assiduus est. Demum ἀπερισπάστως, quo adverbio gradus assiduitatis definitur, est i. q. *non distracte* ac proin illam assiduitatem indicat, quae variis curis aut laboribus non distenditur aut impeditur. In eo igitur est utilitas, quam iuxta Apostolum virginitas et coelibatus affert, ut homo *perfecta* (decora) *vita splendeat et aliis curis non distractus assiduus sit in servitio Domini*, aut si mavis : in conversatione cum Deo.

Hinc clarissime elucet, quam longe a vero aberrent acatholici interpretes moderni, qui Paulum virginitatem ob sui temporis angustias et ob erroneam, quam ei affingunt, opinionem de Domini adventu immediate instante commendasse censent. Omnino generali modo statum virginalem cum statu coniugali comparat; atque iuxta eius doctrinam, quia virgines perfectius, quam coniuges, Domino servire possunt, status virginalis coniugali perfectior est.

3.) *Ex doctrina proposita deducuntur practicae regulae parentibus observandae* (7,36-38).

7,36. *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri : quod vult, faciat; non peccat, si nubat.* 37. *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc iudicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.* 38. *Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; et qui non iungit, melius facit.*

7,36. εἰ δέ τις ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτοῦ νομίζει, ἐὰν ᾖ ὑπέρακμος, καὶ οὕτως ὀφείλει γίνεσθαι, ὃ θέλει ποιείτω· οὐχ ἁμαρτάνει, γαμείτωσαν. 37. ὃς δὲ ἕστηκεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ ἑδραῖος, μὴ ἔχων ἀνάγκην, ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, καὶ τοῦτο κέκρικεν ἐν τῇ ἰδίᾳ καρδίᾳ, τηρεῖν τὴν ἑαυτοῦ παρθένον, καλῶς ποιήσει. 38. ὥστε καὶ ὁ γαμίζων τὴν παρθένον ἑαυτοῦ καλῶς ποιήσει, καὶ ὁ μὴ γαμίζων κρεῖσσον ποιήσει [1].

1. *VV. LL.* — 36. οὐχ ἁμαρτάνει, γαμείτωσαν (non peccat, nubant *vel* nuptum denti) est communis et certa lectio. Merito reprobatur altera, utpote superflua emendatio : οὐχ ἁμαρτάνει, γαμείτω (*non peccat, nubat* cfr *S. Aug.* De gr. et lib. arb. 2) D F G, *S. Epiph. Arm.* et aliqui codd. *Syr.* et *Vulg.*; neque nobis probatur hodiernae *Vulg.* lectio : *non peccat, si nubat*, quae tamen in It. iam adfuit. — 37. ὃς δὲ ἕστηκεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ ἑδραῖος (qui autem stat in corde suo firmus) vera et certa est lectio; male FG, *It. Arm. Aeth.* omittunt ἑδραῖος (firmus); neque recte *Vulg.* pro *qui autem* legit *nam qui*, nec rectius verbum ἕστηκεν reddidit *statuit* (pro *stat*). — ἐξουσίαν δὲ ἔχει (po-

Iuvenibus, qui sui iuris erant, consilium *v.* 27. sq. traditum omnino sufficiebat; sed quia virgines a parentibus magis dependebant, Apostolus pauca addidit, quibus parentes edoceret, quomodo in hac re erga eas sese gerere deberent. Itaque eos non peccare monet, qui debitis conditionibus servatis filiam suam nuptum dent (*v.* 36), eos vero bene agere, qui eam illibatam servent (*v.* 37), bonum esse matrimonium, praeferendam esse virginitatem (*v.* 38).

Transitum ad has regulas versu superiore iam praeparaverat dicens, virginitatem πρὸς τὸ εὔσχημον (i. e. ad honestum vel potius ad virtutis decorem et perfectionem) conducere; ad haec enim alludens ait : 36. *Si quis autem turpem se videri* (ἀσχημονεῖν) *existimet super virgine sua, quod* (rectius : *si*) *sit superadulta, et ita oportet fieri : quod vult, faciat; non peccat,* (*si*) *nubat.* Quoniam verbum ἀσχημονεῖν duplicem (activam et passivam) significationem admittit (ignominiam inferre *cfr* 13,5, ignominiam pati *cfr Deut.* 25,3), duplex prioris membri versio tradi potest : « si quis indecore erga filiam sese agere existimat » aut « si quis ignominiam relate ad filiam suam se pati existimat ». Priorem versionem moderni pauci cath. (*Mai. LR.*). multi acath. (*Mey. God. Heinr. Schn.* etc.) praeferunt, atque ad eundem sensum antiquiores aliqui latini interpretes (*Lyr. Dion.*) pervenerunt. qui latino vocabulo *turpis* sensum « male gratiosus et inhoneste se habens » attribuerunt; alteram tamen cum Graecis (*Chrys.* de virg. 78., *Theod.* etc.) et antiquis verss. (*It. Syr. Vulg.*) antiquiores fere omnes (cath. et acath.) et moderni plerique cath. (*M Ev. Bisp. Dr.* etc.), pauci acath. (*Goeb.*) retinent, idque recte. Nam in priore sententia phrasis hypothetica (*si* sit superadulta) difficile explicatur atque verbum ἀσχημονεῖν ipsum, si active sumitur, praecedenti πρὸς τὸ εὔσχημον, quod passivo sensu explicandum est (*decorum esse* vel *haberi*), parum apte opponitur[1]. Haec igitur Apostoli videtur esse sententia : « Quam-

testatem autem habet) est certa lectio, quam etiam *Fuld.* et alii quidam *Vulg.* codd. tuentur. — καλῶς ποιήσει (bene faciet) B ℵ A, pauci minusc., *Copt.*; rectius : καλῶς ποιεῖ (*bene facit*) D E F G K L P, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Aeth.* — 38. τὴν ἑαυτοῦ παρθένον vel τὴν παρθένον ἑαυτοῦ (*virginem suam*) B ℵ A D E P, nonnulli minusc., *It. Vulg. Syr. Copt.*; quae verba male omittuntur a *textu rec.* cum K L, plerisque minusc. et iunior. PP. — καὶ ὁ μὴ γαμίζων (*et qui non iungit*) B ℵ A D E F G, pauci minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; *textus rec.* : ὁ δὲ μὴ γαμίζων (qui *autem* non iungit) cum C K L P, plerisque minusc. et iunior. PP, *Aeth.* — ποιήσει (faciet). rectius ποιεῖ (*facit*) *cfr v.* 37.

1. Contra explicationem, quam praeferimus, duo a modernis obiiciuntur : praepositionem ἐπὶ c. accus. sensum causalem non admittere atque Apostolum, si significationem passivam verbi ἀσχημονεῖν in mente habuisset, potius verbo *timendi* quam *putandi* adhibiturum fuisse. Sed neutra ratio est efficax; nam praepositio ἐπὶ c. acc., etsi sensum causalem (i. q.

quam virginitas per se et ipsi virgini et eius parentibus decori et honori est, non omnes tamen hoc intelligunt (*qui potest capere, capiat*); neque desunt parentes, qui filiam virginem, si superadulta sit, sibi ignominiae esse et fore existiment ». De quanam autem ignominia Apostolus loquitur? *Theodor.*, quem *Est. Iust. Lap.* etc. sequuntur, illam intelligit, quae ex erronea multorum opinione cum coelibatu coniuncta est; solet enim vulgus virgines superadultas velut a procis spretas irridere atque detrectare parentes, quod ob avaritiam aliamve causam minus honestam filias suas nuptui non tradiderint. Rectius tamen alii Graeci (*Theoph. Oec.*) atque Latini (*A^cr, Pel. Prim.* etc.; *Thom.* etc.), quibuscum iuniores et moderni plerique consentiunt (*Nat. Mai. Bisp.* etc. — *Mey. God.* etc.) de illo dedecore agi censent, quod ex filiae innuptae corruptione in totam familiam redundat; puella enim, si florem aetatis (τὴν ἀκμήν) supergressa (ὑπέρακμος superadulta) minorem honestarum nuptiarum spem habet, maiori seductionis periculo est exposita. Itaque si quis sibi suaeque familiae hoc dedecus a filia sua, si fuerit superadulta, illatum iri existimat *et ita oportet fieri,* i. e. si ideo eam nuptui tradi oportet, quia patris opinio non est levis quaedam suspicio, sed firmum animi iudicium, quatenus filiam castitatem servare nolle (*Thom.* etc.) nec donum continentiae possidere pro certo habet, *quod vult, faciat.* Quae ultima verba *Thom.* cum aliis haud recte explicat : « quod vult filia, faciat pater »; plane erronee autem alii antiquiores eadem ita interpretantur, ut patri, etiamsi duae conditiones adsint, « liberum sit filiam nuptui tradere aut non » (*Est. Iust. Lap.* etc.); genuinus enim sensus est : quod ad vitandam ignominiam, quam propter filiae incontinentiam sibi imminere iure existimat, facere vult pater, faciat. Idque patri licere ostendit Apostolus addens : *non peccat* sc. pater, *si* filia *nubat,* aut accuratius iuxta graecum οὐχ ἁμαρτάνει, γαμείτωσαν « non peccat pater, nubant (virgines) », si illae nimirum adsunt conditiones, quas dixit[1].

Negative tantum Apostolus de eo, qui filiam suam nuptui dat, sententiam suam expressit : *non peccat;* iuvenis, qui uxorem ducit, et virgo,

propter) non habet, aliquoties tamen significat : *quod attinet ad* (cfr Herm. ad Vig. p. 860. qui varia exempla ex profanis affert), atque hoc sensu eam sumimus. Porro non minus bene dicitur : « si quis aliquid sibi ignominiae esse vel fore existimat », quam « si quis se ignominiam alteri inferre vel illaturum esse existimat », atque levis tantum est sensus mutatio, si in utraque sententia verbum timendi usurpatur.

1. Alii ultimum verbum explicare malunt : « matrimonium contrahant sponsus et sponsa » : alii : « nuptui eam dent parentes »; sed secunda haec significatio melius exprimeretur forma mediali : γαμείσθωσαν. In toto hoc capite Apostolus verbo γαμεῖν, quod proxime est *uxorem ducere* et de viris usurpatur, etiam sensu medii pro γαμεῖσθαι (*nubere alicui* vel *in matrimonium dare*) utitur.

Consilio suo de virginibus Apostolus appendicis gratia verba pauca de secundis nuptiis addit, quas licitas (*v.* 39) sed viduitate minus perfectas esse (*v.* 40) docet. Virgini igitur *mulierem,* i. e. uxorem, opponit, quae, quamdiu vir eius vivit, ligata manet, mortuo autem viro ad secundas (vel etiam tertias etc.) nuptias transire potest : 39. *Mulier alligata est (legi), quanto tempore* (ἐφ' ὅσον) *vir eius vivit.* Vocabulum *legi* rectius quidem omittitur (cfr *VV. LL.*), sed eius insertione sensus non mutatur; lex enim matrimonialis intelligitur, cui uxor vivo marito ita alligatur, ut cum altero esse nequeat, quin sit adultera (*Rom.* 7,2 sqq.). Neque sensus mutatur, si a S. Hier. vocabulum *viro* inseritur; viro enim uxor lege matrimoniali alligatur, ut sint una caro. Animadvertatur oportet, Apostolum hoc loco non magis, quam supra (*v.* 10 sq.), ullam agnoscere vinculi coniugalis solutionem; sine ulla exceptione mulierem toto tempore (ἐφ' ὅσον), quo vir eius vivit, ligatam esse asserit atque idem de viro, quo tempore uxor eius vivit, valere clarum est : si viri adulterio uxorem liberari putasset, id hoc loco praetermittere nec potuisset nec debuisset. Attamen iis, quae de matrimonii mixti solutione dixerat (*v.* 12 sqq.), contraria non statuit, quia de solis matrimoniis christianis loquitur. Id enim evidenter ex verbis additis elucet : *quodsi dormierit vir eius, liberata est* (vel melius iuxta graecum et latinos PP. : *libera est*). Nam verbum κοιμᾶσθαι (*dormire*), ubi translato moriendi sensu adhibetur, de iis solis usurpatur, qui gloriosae resurrectionis habent spem, i. e. de iustis, qui ante Domini mortem diem suum obierunt (*Matth.* 27,25; *Ioan.* 11,11 sq.; *Act.* 13,36; 2 *Petr.* 3,4), aut de iis, qui in Christo moriuntur (*cfr ad* 11,30).

Porro morte viri uxor vere liberatur a lege matrimoniali, « ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro » (*Rom.* 7,4); quare *cui vult, nubat, tantum in Domino.* Quod dictum apostolicum iuxta *S. Aug.* (de adult. coniug. 25) « duobus modis accipi potest : aut Christiana permanens, aut Christiano nubens »; quas duas explicationes clarius exprimunt et coniungendas censent *A^ler* (« tantum in Domino, hoc est, ut sine suspicione turpitudinis nubat et religionis suae viro nubat ») et *Theodor.* (« tantum in Domino, hoc est : pio fideli honeste et legitime »). Priorem tamen solam tradit *S. Chrys.* (de lib. rep. II. 3 « tantum in Domino, hoc est : cum continentia et honestate »), cuius

antiquiores PP. (*Clem. Alex. Orig. Ath.*), *It.* (*Tert. Cypr. Ambr. Aug.*) *Vulg.* (codd. *Am. Demid. Tolet.*), *Bashm. Arm. Aeth.*; sed γυνὴ δέδεται τῷ νόμῳ (*mulier alligata est legi*) E F G L P, plerique minusc. et PP. iuniores, *Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld.* et iunior. codd.), *Syr.*; addita videntur duo vocabula ex *Rom.* 7,2; *S. Hier.* (c. Iov. I, 10) et *Memph.* pro νόμῳ legunt ἀνδρί (viro).

verba *Oec.* et *Theoph.* repetunt, atque in eandem sententiam *S. Aug.* videtur inclinare, siquidem quidquam de mixtis matrimoniis in Novo Test. praeceptum esse negat (De fide et oper. 19; de adult. coniug. 25). At alteram acriter tenent *Tert.* (ad uxor. II. 1. 2. etc.), qui istis verbis « indubitate » Christianum designari ait, *S. Cypr.* (c. Iud. test. III. 62), qui eo usque progreditur, ut « iungere cum infidelibus vinculum matrimonii dicat idem esse, quod prostituere gentilibus membra Christi » (de laps. 6. cfr *S.Aug.* l. c.), *S. Hier.* (c. Iovin. I. 5; ad Ageruch. ep. 123,5 etc.); eandem quoque solam tradunt *Pel. Sed. Prim.*, quos plerique quum mediae aetatis (*Herv. H Car. Thom. Lyr.* etc.), tum recentiores (*Est. Iust. Lap.* etc.) et moderni fere omnes cath. et acath. sequuntur; revera verbis *tantum in Domino* non tam modus, quo matrimonium contrahendum sit, quam persona, quacum contrahatur, definiri videtur (*cui vult*). Neque tamen ita hanc explicationem tenendam esse patet, ut prior excludatur; inter Christianos enim non nisi « honeste et legitime » et « cum continentia et honestate » matrimonium contrahi Apostolus supponit.

Licitae igitur sunt secundae nuptiae, at nequaquam sunt praeceptae : 40. *Beatior autem erit* (vidua), *si sic* (libera sc. solutaque a lege matrimoniali) *permanserit secundum meum consilium.* Cur beatior (μακαριωτέρα) sit, diserte quidem non docet, sed ex iis, quae de virginibus dixerat, colligendum relinquit; beatior igitur erit non tantum ob evitatas vitae molestias, quas matrimonium secum affert, sed praesertim ob maiorem coelibatus perfectionem; uti virgo enim, ita etiam vidua non cogitat, quae mundi sunt, sed ea, quae sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu. Quam maiorem perfectionem spiritualem ab Apostolo praesertim intelligi, ipsa vox *beatior* (μακαριωτέρα) innuit, quippe quae unico loco (*Act.* 26,2) excepto semper de felicitate adhibetur, quae bonis spiritualibus et ad salutem spectantibus obtinetur. Beatior igitur erit vidua, si a secundis nuptiis abstinuerit, quia in perfectiore statu deget *secundum* Apostoli *consilium*, vel potius *sententiam* (κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην), quae sententia tamen hoc in loco *consilium* vocari potest, quatenus eam a viduis teneri et observari desiderat. Cui sententiae vel consilio maiorem conciliaturus auctoritatem demum addit : *Puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam.* Per litoten Apostolum illud *puto* (δοκῶ) adhibere, plerique interpretes inde a *Chrys.* tempore recte tenent (« minus dicit plus volens intelligi » *Est.*). Sicut in principio huius tractatus de coelibatu magna cum modestia misericordiae divinae inspirationem suam attribuit, qua fidelis consiliarius factus est (*v.* 25), ita eadem cum modestia hic sibi eandem quam reliquis

Apostolis (« *et* ego » sicut alii) divinam inspirationem asserit (cfr *Oec. Theoph.* etc., *A*[ter] etc.).

Minus recte *Gl ord.*, quam cum *Thom.* alii sequuntur, Apostolum « hoc *puto* non dubitando, sed quasi increpando » dicere asserit; nec rectius moderni nonnulli acatholici in illo verbo ironiam detegunt sive contra illos, qui apostolicam eius auctoritatem negabant (*Mey.* etc.), sive contra Petrinos aut nescio quam factionem (*Neand. Raeb.*); nam contentionis vel ironiae quodnam adest vestigium? Longius iterum *God.* aberrat, qui hic quoque ab Apostolo eam solam inspirationem asseri tenet, quae omnibus Christianis competat (*et ego*, sicut Christianus quicumque); hac nimirum ratione eo pervenire vult, ut Apostoli sententiam de virginitatis et viduitatis praestantia velut privatam iudicio omnium Christianorum subiectam esse nobis persuadeat. Nusquam autem, uti supra iam monuimus (*ad v.* 25), Paulus omnibus Christianis inspirationem aliquam attribuit atque multo minus doctrinam suam iudicio fidelium subiicit. Per gratiam potius, quae ei data est, omnibus (non tantum Romanis, sed etiam Corinthiis etc.) dicit: non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, sicut unicuique Deus divisit mensuram fidei (*Rom.* 12,3); atque tantum abest, ut omnes Corinthios sententiarum et consiliorum suorum constituat iudices, ut illos ipsos, qui Corinthi dono prophetico aut alia gratia spirituali sese instructos arbitrabantur, ex eorum consensu cum suis doctrinis diiudicandos esse doceat (14,37. 38).

§ 2. *De idolothytis* (8, 1-11, 1).

Quaestionem de idolothytis eadem ratione, qua superiorem de matrimonio et coelibatu, Apostolo ab ipsis Corinthiis esse propositam, interpretes aliqui antiqui (*Prim.* etc.) iam innuunt recentioresque (cfr *Est. Iust. Lap.* etc.) et moderni fere omnes recte censent; etsi enim idolothytorum quaestio apostolico decreto (*Act.* 15,23 sqq.) antea iam definita esse videbatur, de illa tamen Corinthi dubitationes esse exortas, quae Pauli iudicio erant subiiciendae, facile concipitur. Namque Apostolorum decretum solos Antiochiae, Syriae, Ciliciae Ethnicochristianos proxime spectavit (*Act.* 15,23) atque in illis solis ecclesiis, ut videtur, est promulgatum (*Act.* 15,30. 41; 16,4; cfr *Baron.* Ann. ad a. 51. n. 58 etc.); maior enim ibi erat illius necessitas faciliorque observatio, quia magnus ibi degebat Iudaeorum numerus, quorum scandalum erat vitandum et quibuscum Ethnicochristiani commercio et consuetudine coniungebantur. Aliter autem in ecclesiis, quas in secunda sua expeditione Paulus in Macedonia et Graecia fundavit, res sese habebant; tam pauci enim ibi degebant Iudaei, ut ne synagogas quidem omnibus in civitatibus maioribus

possiderent; levius igitur rariusque erat periculum scandali, sed multo difficilior decreti, si in toto suo rigore totaque sua extensione urgebatur, observatio, quia primi neophyti cum ethnicis suis propinquis et amicis veterem consuetudinem usumque retinere debebant, nisi ex mundo exire vellent (5,10).

Vix minus frequentia autem ab ethnicis, quam a Iudaeis, quum ob publicas tum ob privatas causas sacrificia offerebantur, quorum ea erat ratio, ut solis extis in altari concrematis aut alio modo destructis integrae quidem victimae diis censerentur consecratae, earum tamen carnes usui profano fere inservirent. Postquam enim sacerdotes partem, quae eis competebat, acceperant atque epulae sacrificales, ad quas etiam propinqui et amici invitabantur, in templorum lucis aut in domibus privatis erant celebratae, residuae victimarum carnes sacrificantibus reddebantur, qui eas aut ad quotidianum victum adhibebant aut pauperibus dividebant aut publice divendebant. Frequentissimae igitur neophytis sese offerebant idolothytorum manducandorum occasiones, sive a consanguineis vel amicis ad epulas sacrificales invitabantur, sive ad familiaria convivia vocatis carnes immolatae una cum aliis apponebantur, sive res victui quotidiano necessarias conquirentibus in macello publico idolothyta vendebantur. Unde necessario quaestio exoriebatur, quid singulis in casibus esset agendum; ad eam vero solvendam decretum apostolicum, si Corinthi esset promulgatum, sufficiens non fuisset; omnino enim generale erat neque ad casuum qui sese offerebant varietatem neque ad magnam, quae inter ecclesias ethnicochristianas ipsas intercedebat, differentiam attendebat; agebatur autem de re, quae non ob intrinsecam suam malitiam erat prohibita, sed cuius prohibitione Apostoli scandalum Iudaeorum evitare atque iudaicos et ethnicos neophytos facilius intimiusque unire voluerant. Hinc mirum non est, quod quaestio haec a corinthiis neophytis non eadem ratione sit soluta. Alii enim omnia sibi licere rati (6,12; 10,23) non tantum ad familiaria convivia vocati carnibus, quas diis oblatas esse sciebant, sine scrupulo vescebantur, sed in ipsis idolorum fanis epulis sacrificalibus interdum videntur accubuisse (8, 10; 10,14 sqq.); alii scrupulosiores ab eiusmodi quidem dapibus sese abstinebant, communibus vero in conviviis omnia, quae apponebantur, manducabant non solliciti, num idolothyta essent; utrique ethnicorum deos mera esse figmenta asserebant ac proinde carnes oblatas inquinare non posse. A quibus alii superstitiosiores, quia idolis potestatem aliquam erronee attribuebant, dissentientes diligenter inquirebant, num forte carnes, quae in privata mensa apponebantur aut in publicis macellis vaenibant, ex victimis essent desumtae.

Ad quasnam factiones auctores et fautores variarum sententiarum pertinuerint, frustra et temere moderni interpretes multi inquirunt; quia enim hac de re nihil traditum est, pro suo quisque arbitratu Iudaeochristianis aut Ethnicochristianis, Paulinis aut Petrinis aut Apollonianis etc. laxiorem vel severiorem quaestionis solutionem attribuit. Id unum ex epistola nostra elucet, tantam fuisse opinionum diversitatem, ut Pauli auctoritas ad unitatem hac quoque in re restituendam esset necessaria. Summa igitur cum providentia cavens, ne infirmorum superstitionem augeat neve libertatem christianam ultra iustos limites extendat, totam quaestionem ita solvit, ut in hoc tractatu decreti apostolici, licet illud non nominet, habeamus authenticam explicationem. Uti suffocatum et sanguinem, ita idolothyta quoque ad Iudaeorum proxime scandalum vitandum prohibuerant Apostoli; quibuscum plane consentiens Paulus 1. in theoretica quaestionis solutione (8,1-13) idolothytorum usum per se quidem licitum esse sed ob proximi scandalum interdum illicitum fieri ostendit; 2. in longa deinde digressione (9,1-10,14) suo exemplo proposito ad maius bonum assequendum ab iis, quae per se sunt licita, saepe melius abstineri docet fidelesque exhortatur, ut suum exemplum secuti tutiore hac via salutem aeternam quaerant; 3. ad praxin demum veniens regulas tradit (10,15-11,1), quae de idolothytorum usu singulis in occasionibus sint observandae. Tres igitur sunt huius tractatus sectiones.

I. — *Theoretica quaestionis solutio* (8,1-13).

Qui veram sapientiam possident, idola nihil esse ac proin carnes oblatas inquinare non posse sciunt; illis ergo idolothytorum usus licitus est, aliis vero, qui hoc ignorant, illicitus (8,1-7); at quia eorum usus ad salutem obtinendam non confert, etiam illi, qui meliorem scientiam habent, ab eo sese abstineant oportet, quotiescumque iure timetur, ne infirmioribus fratribus scandalum detur (8,8-13).

1. *Idolothyta per se non sunt inquinata* (8, 1-7).

8,1. *De iis autem quae idolis sacrificantur, scimus, quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, caritas vero aedificat.* 2. *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* 3. *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo.* 4. *De escis autem, quae idolis immolantur, scimus quia nihil est*

8,1. Περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν, ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν· ἡ γνῶσις φυσιοῖ, ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ. 2. εἴ τις δοκεῖ ἐγνωκέναι τι, οὔπω ἔγνω, καθὼς δεῖ γνῶναι· 3. εἰ δέ τις ἀγαπᾷ τὸν Θεόν, οὗτος ἔγνωσται ὑπ᾽ αὐτοῦ. 4. περὶ τῆς βρώσεως οὖν τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν, ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ, καὶ ὅτι οὐδεὶς Θεὸς, εἰ μὴ

idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. 5. Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in coelo sive in terra (siquidem sunt dii multi, et domini multi) : 6. nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. 7. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant : et conscientia ipsorum, quum sit infirma, polluitur.

εἷς. 5. καὶ γὰρ εἴ περ εἰσὶν λεγόμενοι θεοὶ εἴτε ἐν οὐρανῷ εἴτε ἐπὶ γῆς, ὥσπερ εἰσὶν θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοί, 6. ἡμῖν εἷς Θεὸς ὁ πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν, καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστός, δι' ὃν τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ. 7. ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις· τινὲς δὲ τῇ συνηθείᾳ ἕως ἄρτι τοῦ εἰδώλου ὡς εἰδωλόθυτον ἐσθίουσιν, καὶ ἡ συνείδησις αὐτῶν ἀσθενὴς οὖσα μολύνεται [1].

Corinthii illi, qui idolothytis uti sibi putabant licere, ad scientiam suam de idolorum inanitate provocabant; Paulus igitur veram scientiam sine caritate esse non posse praefatus (1-3) rationem eorum approbat quidem (4-6), sed solam, quia non omnes Christiani eadem scientia sint instructi, ad quaestionem integram solvendam non sufficere innuit (*v.* 7).

Simili modo, quo 7,1, thema suum indicat, sed constructione quadam, quae difficultate non caret : 1. *De iis autem, quae idolis sacri-*

1. *VV. LL.* — 2. εἴ τις δοκεῖ (si quis existimat) B ℵ A, pauci minusc., antiquiores PP. (*Clem. A. Orig.* etc.), *It.* (*Tert. Cypr.*), *Vulg.* (codd. *Fuld. Am. Tol.*), *Syr.* (codd.), *Copt. Arm.*; minus recte *textus rec.* : εἰ δέ τις δοκεῖ (*si quis autem existimat*) D E F G K L) plerique minusc., PP. iuniores, *Vulg.* (Clem.). — ἐγνωκέναι (cognovisse) B ℵ A D E F G P, pauci minusc., PP. plerique; *textus rec.* : εἰδέναι (scire) cum K L et plerisque minusc.; ex verss. nihil potest definiri, quia utriusque vocis significationes inter se vicinissimae facile confunduntur. — Item nullius est momenti, utrum οὔπω cum B ℵ A P etc. an οὐδέπω cum plerisque legatur, quia sensus vix mutatur (*nondum, necdum*); sed male *textus rec.* cum E K L et plerisque minusc. post οὐδέπω inserit οὐδέν, quod omittunt B ℵ A D F G P, pauci minusc., PP. antiquiores, *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.* — 4. περὶ τῆς βρώσεως οὖν (de esu igitur) B ℵ A F G K L, plerique minusc., *It.* (*Aler*) etc.; minus recte : περὶ δὲ τῆς βρώσεως (de esu *autem*) E, pauci minusc., *Vulg. Arm.* — οὐδεὶς θεός (*nullus Deus*) B ℵ A D E F G P, pauci minusc., *Vulg. Copt. Arm. Aeth.*; minus recte *textus rec.* addit ἕτερος (alius) cum K L, plerisque minusc., *Syr.* — 5. εἰσὶν λεγόμενοι θεοί (sine artic.) est communis lectio; F G K tamen inserunt articulum (οἱ λεγόμενοι θεοί), quem etiam *It.* et *Vulg.* (*qui dicantur dii*) agnoscunt. — 6. δι' ὃν τὰ πάντα (propter quem omnia) B cum *Aeth.*; reliqui omnes rectius : δι' οὗ τὰ πάντα (*per quem omnia*). — 7. τινὲς δὲ τῇ συνηθείᾳ (quidam autem consuetudine) B ℵ A P, paucissimi minusc., *Copt. Aeth.*; genuina tamen lectio videtur esse : τινὲς δὲ τῇ συνειδήσει (*quidam autem* [*cum*] *conscientia*) D E F G L, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Arm.*, (*cfr* Comment.). Praepositionem *cum* nec graecus textus exprimit, nec *It.* (cf. *Tert. Aler* etc.) aut meliores Vulg. codd. (*Fuld. Am.* etc.) exhibent; melius igitur omittitur, quamvis sensum vix mutet. — Ordinem verborum : ἕως ἄρτι τοῦ εἰδώλου (*usque nunc idoli*) tuentur B ℵ D E F G, pauci minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.*; pro quo minus recte *textus rec.* : τοῦ εἰδώλου ἕως ἄρτι cum A L P, plerisque minusc. et iunior. PP., *Syr.* (codd.).

ficantur (περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων, quod ad idolothyta attinet, de quibus me interrogastis), *scimus, quia omnes scientiam habemus* (οἴδαμεν ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν). Num sententia haec est completa, an incompleta? Cum *Chrys.* aliisque Graecis eam completam esse censent plerique; ultimum enim membrum (quia omnes scientiam habemus) obiectum esse aiunt verbi *scimus* (ad idolothyta quod attinet, scimus, nos omnes scientiam habere), cui explicatio verae scientiae per parenthesin (1^b-3) addatur, antequam *v.* 4 sqq. argumentatio continuetur (*Est. Iust.* etc., *Bisp. LR. Dr.* etc., — *Mey. God. Schn.* etc.). Fateor autem, me non satis intelligere, quid haec sententia (scimus, nos omnes scientiam habere) sibi hoc in loco velit, nisi quis forte cum *Theod.* Apostolum scientiam Corinthiorum ironice carpere voluisse censeat; at a tali ironia, quae sarcasmo non erat dissimilis, tractatum hunc inchoare non potuit. Itaque cum aliis multis (*Thom. Lyr. Dion.* etc., *Mai. MEv.* etc.) phrasin incompletam dicere atque anacoluthum admittere malo. Revera quia iisdem fere verbis *v.* 4. inchoatur (de esu autem idolothytorum scimus, quia...) vix potest dubitari, quin Paulus scientiae commemoratione abreptus inchoatam sententiam abruperit eamque explicatione quadam verae scientiae inserta nonnisi *v.* 4. constructione aliquantulum mutata resumserit et compleverit. Hac igitur fere ratione Apostolum scribere voluisse arbitramur : « ad idolothyta quod attinet, scimus, quum (ὅτι) omnes scientiam habeamus, nihil esse idolum in mundo » etc. (*cfr ad v.* 4.); particula ὅτι (*quia*) igitur in *v.* 1. nobis est causalis, in *v.* 4. autem obiectum verbi *scimus* introducit. Porro *omnes*, quos secum Paulus scientiam habere dicit, non cunctos esse fideles, docet *v.* 7. (non in omnibus est scientia); sed « valentiores, infirmioribus relictis » (*Chrys. Theod.* etc.), seu « perfectos » (*Thom.* etc.), i. e. illos, quorum maior accuratiorque erat doctrinae christianae scientia quosque velut spirituales carnalibus opponere solet (*cfr ad* 2,13), sibi eadem ratione adiungit, qua *Rom.* 15,1 eosdem secum velut firmiores ab infirmioribus distinguit [1].

Scientiae itaque commemoratione, uti diximus, abreptus Apostolus, antequam sententiam suam terminat, non scientiam qualemcumque

1. Ne Paulus sibi ipse in *vv.* 1. et 7. contradixisse videatur, pauci moderni interpretes acath. (*Noess. Ros.* etc. *Heinr.*) dialogismum aliquem admittendum censent; prius enim membrum *v.* 1. uti etiam *vv.* 4-6. Apostolum dicunt ex epistola Corinthiorum transcripsisse velut obiectiones quasdam, quas dein *vv.* 1^b — 3 et 7 sqq. refutaret. Quae explicatio non tantum est superflua, quia contradictio inter *vv.* 1. et 7. non adest, sed etiam arbitraria, quia dialogismi nullum hic habetur vestigium, et inepta, quia Apostolus in *v.* 1. particula quadam inserta adversariorum verba a suis distinguere debuit. Satis clare ubique, si obiectionem aliquam refutare vult, eam indicat (*Rom.* 3,1 sqq. 9. 27 sqq. etc.); ad Corinthiorum verba tamen eum in sua argumentatione attendisse, non diffitemur.

ad quaestionem propositam solvendam sufficere monet : *Scientia inflat, caritas vero aedificat.* Scientiam, quae homines superbos reddit, hoc in loco non intelligi mere humanam, contextus docet; de illa enim sermo est, quam Paulus sibi ipsi perfectioribusque Corinthiis adscribit quaeque inter alia etiam de idolis et idolothytis recte iudicare nos docet. At hinc etiam patet, scientiam hanc non per se suaque natura homines superbos reddere; nam, uti recte iam monuit *S. Iren.* (c. haer. II. 26,1), Apostolus, si veram scientiam de Deo culpasset, se ipse primum accusasset; inflat autem, si a caritate seiuncta male adhibetur. Scientia enim haec, quae perfectioribus competit, ad divina charismata pertinet (12,8), quae hominibus in proximorum potius quam in propriam ipsorum utilitatem conceduntur ideoque abusui facile sunt exposita, quum et ad superbiam adducere et magna mala provocare possint; sicut reliqua igitur charismata, scientia quoque nihil omnino prodest, nisi simul adsit caritas (13,2). « Proinde, inquit *S. Aug.* (in Ioan. tract. 27,5), sic dictum est : *caro non prodest quidquam,* quomodo dictum est : *scientia inflat.* Iam ergo debemus odisse scientiam? Absit! Et quid est : scientia inflat? Sola, sine caritate; ideo adiunxit : *caritas vero aedificat.* Adde ergo scientiae caritatem, et utilis erit scientia, non per se, sed per caritatem ». Quibus Augustini verbis *Thom.* addit : « per se quidem inutilis est, ex caritate vero utilis Philosophus; scire autem nihil vel parum prodest ad virtutem »; immo vero nuda scientia obest, quia hominem inflans efficit, ut alios despiciat, severius diiudicet, proterve tractet, eisque impedimentum et obstaculum virtutis fiat. *Caritas vero aedificat.* Vocabulo *aedificandi* S. Paulus metaphoricam significationem hodie tam usitatam primus attribuit; integram enim Ecclesiam et singulos fideles velut templum Dei considerans illos hoc templum aedificare dicit, qui ad Ecclesiae et membrorum eius profectum conferunt, qui igitur doctrina vel exemplo omnes ad divinum servitium exhortantes efficiunt, ut omnes in gratia et in cognitione Domini nostri Iesu Christi crescant. Recte igitur caritas, qua impellimur et incitamur, ut proximorum non minus quam nostram ipsorum salutem et perfectionem promoveamus, *aedificare* dicitur. Caritas autem a scientia non intelligitur separata, sed cum ea coniuncta, quia eam quasi necessario post se trahit; « nam qui diligit, inquit *Chrys.,* quum praestantissimum praeceptum impleat, cito, si quid forte desit, per caritatem scientia fruetur ».

Utrumque membrum Apostolus ex ordine accuratius explicat ideoque asyndete (cfr *VV. LL.*) pergit : 2. *Si quis* (*autem*) *se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire.*

Scientiam a caritate seiunctam non veram sed fictam esse ostendit: ideo non dicit: *si quis scit aliquid,* sed *si quis* superbia inflatus aliquid, quod ad intimiorem rerum christianarum cognitionem pertinet, *scire sibi videtur* (δοκεῖ), ille nondum eo pervenit, ut modum, quo scire debeat, cognoverit ac proin multo minus rem ipsam, quam sese scire existimat, cognovit, siquidem ad veram scientiam necessario requiritur, ut sit practica et utilis. Scientiam enim cum fide comparare licet; sicut fides, nisi caritate sit informata et operibus sese manifestet, mortua est nec vera fides appellari meretur, ita scientia, nisi caritate informetur dirigaturque atque ad aedificationem inserviat, mortua est nec scientiae nomine digna[1]: 3. *Si quis autem diligit Deum* (in cuius vera dilectione, ut merito *Lyr.* supplet, dilectio proximi includitur), *hic cognitus est ab eo.* In oppositione ad superiorem sententiam exspectavimus: *hic scit, quemadmodum eum oporteat scire* aut *hic veram scientiam possidet,* sed aliquid plus Apostolus dicit: « hic a Deo approbationis scientia cognitus est, ex qua omnia bona fluunt » vel « hic amicus ac familiaris Dei effectus ideoque omnibus bonis divinis ditatus est », inter quae scientia vera quoque continetur; suis enim viribus hominem ad eam pervenire non posse, Paulus iam ostendit (2,7 sqq.).

Haec *Chrys.* aliorumque Graecorum fere est explicatio, atque merito *Iust.* velut consonum affert illud Domini: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus » (*Ioan.* 14,23). In quae verba *Iust.*: « prius utique Deus nos diligit amore beneplaciti, mox vero suum in nobis amorem ingenerat, demum iam diligentes ampliore benevolentia prosequitur suisque divinis muneribus ornat ». Haud longe dissentiunt aliqui moderni: « hic tamquam vere sapiens i. e. vera scientia donatus a Deo est cognitus et agnitus » (*Mai.* etc.). Recte quoque alii Latini (*Gl interl. Thom.* etc.) verbo cognoscendi sensum approbandi tribuunt[2], in eo autem ab explicatione

1. Praeclare de modo sciendi *S. Bernardum* (in Cant. serm. 36,3) secutus *Thom.*: « Modus sciendi est, quo ordine, quo studio, quo fine scire quaeque oporteat: quo ordine, ut id prius, quod maturius ad salutem; quo studio, ut id ardentius, quod efficacius est ad amorem; quo fine, ut non ad inanem gloriam vel curiositatem, sed ad aedificationem tui et proximi. Sunt namque, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et curiositas est; quidam, ut sciantur, et vanitas est; quidam, ut scientiam vendant, et turpis quaestus est; quidam, ut aedificentur, et prudentia est; quidam, ut aedificent, et caritas est ». Eadem explicat suis verbis *Thom.*: « Notandum est, quod ad hoc, ut aliquis sciat, quemadmodum oporteat scire, novem sunt necessaria: 1. humiliter sine inflatione, 2. sobrie sine praesumtione; 3. certitudinaliter sine haesitatione, 4. veraciter sine errore, 5. simpliciter sine deceptione, 6. salubriter cum caritate et dilectione, 7. utiliter cum proximi aedificatione, 8. liberaliter cum gratuita communicatione, 9. efficaciter cum bona operatione ».

2. Verbum γινώσκειν (cognoscere) quum ab Alexandrinis (*Ps.* 1,6; *Sap.* 4,1 etc.) tum a

nostra dissentiunt, quod scientiam veram velut causam, non vero velut effectum, huius approbationis indicatam vident : « Si quis habet caritatem studens scientiam suam ceterasque dotes divinitus acceptas conferre ad Dei gloriam et fratrum utilitatem, hic demum cognitus est a Deo, i. e. dilectus ac Deo placens » (*Est.* cfr *Thom.* etc.); at concinnior et contextui magis adaptata est prior explicatio. Minus recte quoque pauci moderni cum *S. Aug.* verbo passivo γινώσκεσθαι sensum hebraici Hophal attribuunt, ut sit idem quod *edoceri, cognitione donari;* nam ne ipsum quidem hebr. הוּדַע hoc sensu usquam invenitur, sed pro mero passivo (cognosci) adhibetur. Plane miro modo pauci moderni ad eundem sensum pervenire volunt monentes verbum cognoscendi (γινώσκειν ידע) hebraico modo de viro generante usurpari; iuxta eos igitur a Deo scientia in homine, a quo diligitur, generatur (*Bisp.* — *Olsh.*).

Quibus de vera scientia praemonitis Paulus inchoatam sententiam resumit et complet : 4. *De escis autem, quae idolis immolantur* (περὶ τῆς βρώσεως οὖν τῶν εἰδωλοθύτων : *de esu idolothytorum igitur,* i. e. quod igitur ad esum idolothytorum attinet) *scimus, quia nihil est idolum in mundo et quod nullus est Deus nisi unus* (i. e. scimus nihil esse idolum in mundo neque ullum esse Deum nisi unum). Prioris membri graecum textum (ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ) moderni plerique reddunt : « quod *nullum* idolum est in mundo », ut alteri membro (« et quod *nullus* est Deus nisi unus ») accuratius respondeat. At cur latinam versionem inde a Tertulliani aetate in Occidente retentam relinquamus, non tantum nulla adest ratio, siquidem eandem interpretationem Graeci (*Chrys. Theod.* etc.) exprimunt; sed neque novam adoptare licet. Etenim οὐδὲν non minus apte sensu substantivo quam adiectivo per se sumitur, atque hic pro substantivo sumatur oportet, nisi vocabulo εἴδωλον significatio indebita attribuatur; nam εἴδωλον non est idem, quod *falsus deus* (nullus falsus deus est in mundo), sed imaginem, quae ceu deus colitur vel potius deus esse creditur, significat; iam vero eiusmodi simulacra multa quidem erant in mundo, sed ea nihil esse asserit Paulus. Scilicet prae oculis videtur habuisse verba Psalmistae : « quoniam omnes dii gentium אֱלִילִים i. e. vani (s. vanitas), Dominus autem coelos fecit [1] » atque unico verbo idem expressit, quod Ieremias pauperibus exsulibus Babyloniam

Novi Test. scriptoribus (*Ioan.* 10,14. 27; *Gal.* 4,9; *Phil.* 3,10; 2 *Tim.* 2,10 etc.) haud raro significantiore agnoscendi et approbandi sensu adhibetur.

1. Ps. 95 (96), 5 cfr 1. *Par.* 16,26. — Simili modo idola frequenter appellantur הֲבָלִים (*vanitates*) cfr *Deut.* 23,21, ubi in membro parallelo respondet expressio לֹא אֵל (*non Deus*); 3 *Reg.* 16,13; *Ier.* 8,19; 14,22 etc.; eadem expressione τῶν ματαίων (*vanorum*) Paulus idola designat (*Act.* 14,15).

abducendis fuse explanavit (*Bar.* 6,1-72) aliique prophetae et Vet. Testamenti scriptores Iudaeis toties inculcarunt (*Is.* 41,24; 42,17; 44,9 sqq.; 46,5 sqq. etc.; *Ps.* 113^b,4 sqq. etc.), idolis nec ullam esse virtutem, nec ullum sensum, nec ullam vitam, uno verbo illa nihil esse ratione deitatis. Ita cum aliis Graecis *Chrys.* : « Numquid igitur non sunt idola? non sunt statuae? Sunt quidem, sed nullam vim habent »; atque cum multis Latinis *Thom.* : « idolum nihil est in mundo, quantum ad formam idoli; licet enim materia idoli sit aliquid, sc. aurum vel argentum vel huiusmodi; tamen nihil est forma, quae ibi creditur adesse ab ethnicis, qui credunt idolum esse deum » : a qua vix dissentit alia explicatio, quam post *Herv. Lomb.* etiam affert *Thom.* atque *Cai.* his verbis exprimit : « idolum nihil est in mundo formaliter, i. e. simulacrum, quatenus est repraesentans deum, nihil est, quia non repraesentat deum. Imago enim, quae nullius est imago, nihil est quatenus imago; similiter simulacrum, quod nullius est simulacrum, nihil est quatenus simulacrum » (cfr *Est. Iust.* etc.). Idolum igitur est nomen sine re, merum humani erroris figmentum, nihil in rerum natura. Ab hac autem explicatione etiam vix differt sensus alterius versionis (nullum est idolum, i. e. falsus Deus, in mundo).

Ne quid nimium dixisse videatur, Paulus assertum suum, idola nihil esse atque unum solum esse Deum, explicat et probat : 5. *Nam etsi sunt, qui dicantur* (lege : *dicuntur,* λεγόμενοι) *dii sive in coelo sive in terra — siquidem sunt dii multi et domini multi —* 6. *nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia et nos in illum, et unus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum.* Uti facile apparet, inter varias significationes, quae cum nominibus dei et domini coniungi solent, Apostolus distinguit atque ex vera nominum significatione argumentum suum desumit. Nam « *deus* commune vocabulum factum est vitio erroris humani » (*Tert.* c. Marc. V. 11), ut de multis quidem abusive praedicetur, sed genuino suo sensu de uno solo praedicari possit ac debeat. Haec igitur Pauli est argumentatio : Multos sic dictos deos esse non negamus, siquidem multis iam rebus sive terrestribus sive coelestibus nomina dei et domini vulgo attribui non ignoramus; nobis tamen Christianis, quibus vera et genuina nominum istorum significatio cognita est, unus solus est Deus, unus solus Dominus. Nam genuino suo sensu nomen dei illum designat, qui prima omnium rerum causa et ultimus noster finis est; similiter nomen domini proprio sensu illi soli competit, a quo omnia omnino dependent; atqui Deus Pater solus est rerum omnium creator atque ultimus noster finis supranaturalis; a Deo Filio autem omnia plene

dependent, quia per Verbum omnia sunt creata atque per Verbum nos etiam sumus redemti, ut duplici titulo dominio eius simus subiecti ; ergo unus est Deus, unus Dominus; idola vero, etsi dei et domini ab ethnicis vulgo nominantur, ratione deitatis et dominii nihil sunt; nomen hoc abusive gerunt, quia res ipsa eis deest.

Haec plerorumque est interpretatio quum Graecorum (*Chrys. Theod.* etc.) tum Latinorum (*Herv. Thom*[2]. *Lyr.* etc., *Est. Iust.* etc., *Nat.* etc., *Mai. Bisp.* etc.); praeter quam altera a nonnullis antiquioribus (*Lomb. Thom*[1]. *Dion.* etc.) traditur, iuxta quam in priore sententia non de falsa ethnicorum opinione sermo est, sed de latiore usu nominis divini apud Christianos : « Nam etsi sunt, qui dicantur dii participatione divinitatis, videlicet propter excellentiam gratiae et imitationem perfectionis divinae, sive in coelo, sicut sunt angeli et comprehensores universi, sive in terra, uti homines virtuosi, praesertim heroici, siquidem sunt dii multi et domini multi participatione divinitatis atque dominii Dei, sicut Apostoli, nobis tamen veri Dei cultoribus est unus Deus verus » etc. (*Dion.*). At sententiam ita explicatam nec cum praecedentibus apte cohaerere neque alteri membro (*nobis autem* etc.) ullo modo opponi, clarum est. Neque magis modernorum aliquorum (maxime acath.) interpretatio nobis probatur, qui in sententia parenthetica (*siquidem sunt dii multi*) realem deorum exsistentiam a Paulo asseri putant, sive ad *Deut.* 10,17 et *Ps.* 135,2. 3 provocantes et nescio quae entia superiora sibi fingentes (*Heinr.*), sive ad 10,20 provocantes et daemonia intelligenda esse asserentes (*God.*); eodem enim modo verbum *sunt* in utraque phrasi (*etsi sunt*, *siquidem sunt*, εἴπερ εἰσίν, ὥσπερ εἰσίν) intelligatur oportet, quum plane sibi respondeant; tota quoque Pauli argumentatio corrueret, si realem exsistentiam *deorum* concederet.

Ariani hoc textu abutebantur, ut Filium Patre demonstrarent inferiorem, quia eadem ratione, qua *omnia*, etiam Filius ex Patre esse diceretur; at Patres iam responderunt, *omnia* sicut *ex* Patre ita *per* Filium esse; quum autem nihil per se ipsum fieri possit, illud *omnia* non magis in priore, quam in secundo membro Filium includere. Atque (ita pergit *Theodor.*) « si Ariani et Eunomiani illo *unus Deus* Filium a Patris divinitate excludi dicunt, audiant reliqua : *et unus Dominus.* Etenim si Filius, quoniam unus est Deus Pater, non est Deus, etiam Pater non est Dominus, quia unus Dominus est Iesus Christus. Verum in illorum ipsorum caput retorquebitur blasphemia. Divus enim Apostolus aequalitatem Patris et Filii ostendit, quum vocabulum *unus* similiter et de Patre et de Filio adhibeat et vocabulo *Domini* eandem significationem ac potestatem, quam vocabulo *Dei* attribuat ». *Chrys.* quoque haud immerito urget, duo nomina Dei et Domini in Scriptura eodem modo saepissime usurpari, atque ex ipsa appositione nominis *Patris* colligit, Filium quoque esse Deum : « nam si nomina ita essent divisa, ut Filius non sit Deus eodem modo quo Pater, quamvis Filius maneat, Apostolus dicens : *nobis autem unus est Deus,* su-

perflue nomen *Pater* addidisset, ut ingenitum designaret; suffecisset enim *Dei* nomen, si hoc per se solum iam ingenitum designaret ».

Porro animadverte, in utroque membro et creationem et redemtionem attingi. Atque creationem quidem, quum dicitur *ex quo omnia* et *per quem omnia;* ex Patre enim vel a Patre, cui potentia appropriatur et qui est principium sine principio, omnia sunt creata, sed per Filium, cui sapientia appropriatur, per quam artifex operatur. Nam « artifex, inquit *Thom.* per verbum in intellectu conceptum et per amorem suae voluntatis ad aliquid relatum operatur : unde et Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, et per suum amorem, qui est Spiritus ». Eadem ideo ratione qua S. Ioannes omnia per Verbum facta esse dicit (*Ioan.* 1,3), Paulus per unum Dominum Iesum Christum omnia esse asserit. Redemtionem porro Paulus tangit dicens : *nos in illum* (Deum Patrem) et *nos per illum* (Iesum Christum). Pronomen *nos* enim praecedenti *nobis* respondens solos Christianos designat : neque igitur generalem finem omnibus creaturis communem, ut sint in Deum i. e. eum glorificent, respexit, sed specialem Christianis praestitutum, ut fide et caritate in Deum, finem suum supranaturalem, tendant : « Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum » (*Ioan.* 17,3). Ad quam supranaturalem cognitionem et caritatem Dei pervenimus per Christum; per Verbum enim non tantum sumus creati, sed per Verbum incarnatum etiam sumus redemti et regenerati, ut ei et naturalem et supranaturalem vitam debeamus ac proin omni ex parte eius dominio simus subiecti.

Iam vero si idola nihil sunt nec quidquam, utpote omni vita et virtute destituta, efficere possunt, consequens est, ut etiam idolothytum nihil sit (*cfr* 10,19), i. e. ut carnes idolis immolatae hac oblatione non mutentur, nec virtutem aliquam acquirant, uti ethnici censebant, nec polluantur, uti Iudaei putabant, ideoque eos, qui illis vescantur, nec sanctiores reddant nec impuriores : omnia ex Deo Patre et per Iesum Christum sunt; omnium igitur usus per se plane est licitus.

Quae aperta et clara consectaria Paulus lectoribus colligenda relinquit, ut his non obstantibus usum idolothytorum interdum illicitum esse demonstret : quae enim per se sunt licita, per accidens illicita esse possunt, atque idolothyta, quamvis scientiam necessariam habentibus sint adiaphora, scientia debita carentibus sunt nociva. 7. *Sed non in omnibus est scientia,* ἡ γνῶσις, scientia illa, de qua sermo erat. Procul dubio, unum solum esse Deum verum neque idola esse veros deos, omnes neophyti sciebant; at ingenio tardiores idola *nihil* esse et posse forte ignorabant, aut ex theoretica hac scientia ad practicam conclusionem, idola carnibus sibi oblatis nullam omnino virtutem sive malam sive bonam tribuere, non perveniebant. Neque ideo nimiae stultitiae primos Christianos accusare licet; nam « noli

cogitare, inquit *Chrys.*, praesentem rerum statum, postquam iam a maioribus piam fidem accepisti, sed cogitationem in illud transfer tempus, quo vix inchoata erat Evangelii praedicatio, impietas dominium suum retinebat, arae ardebant, sacrificia et libamina offerebantur, longe maior hominum numerus ethnicismo erat imbutus, et repraesenta tibi illos, qui a maioribus impietatem acceperant, ethnicorum patrum avorum atavorum filios, tunc subito conversos ». Profecto omnium idearum religiosarum requirebatur completa immutatio, quam paucorum annorum spatio in omnibus fieri non potuisse, quis mirabitur?

Itaque facile intelligitur, quod circiter sex annis postquam Paulus Corinthi Evangelium annuntiare coepit, nondum omnes neophyti reverentiam vel timorem idolorum deposuerint : *Quidam autem* (*cum*) *conscientia usque nunc idoli quasi idolothytum manducant, et conscientia ipsorum, quum sit infirma, polluitur*. Nomine *conscientiae idoli* eam designat exsistentiae idolorum persuasionem, qua aliquis in suis actionibus regitur, sicut conscientia Dei (1 *Petr.* 2,19) est illa voluntatis divinae cognitio, quae in agendi ratione sese manifestat. Quodsi Paulus ea, quae de idolothytorum ad daemones relatione infra (10,20) tradit, iam antea Corinthios docuerat, conscientia idoli etiam explicari potest impiae illius consecrationis daemonibus factae *superstitiosus* timor, qui effecit, ut idolothytis interna quaedam virtus aut impuritas attribueretur. Ceterum συνείδησις (pro qua voce, quia expressionem *conscientia idoli* non intellexerunt, aliqui scribere maluerunt : συνήθεια consuetudo vel assuetudo, cfr *VV. LL.*) est conscientia stricto sensu, ille scilicet iudex internus, qui quid faciendum fugiendumve sit edocet atque bene facta approbat, male facta improbat, qui tamen non solus iudicat, sed cum altero, a quo hanc boni malique scientiam habet (συνείδησις, *con*scientia), quare vox etiam genitivum adsciscit personae illius quae tamquam imperans vel vetans cogitatur (συνείδησις Θεοῦ, συνείδησις εἰδώλου [1]). Ante conversionem suam ethnici velut conscientiarum suarum moderatores idola habuerant, atque in infirmis Christianis, quamquam fidem in unum verum Deum receperant, etiam tunc *conscientia idoli* perdurabat, qua ducti carnes idolis immolatas tamquam (ὡς) idolothyta, i. e. sub ratione formali idolothyti, manducantes peccabant; erronee quidem existimabant, se manducatione illa pollui, sed quia nihilominus manducantes contra

1. Vocabulum etiam genitivum eius accipit rei, cuius aliquis sibi conscius est (συνείδησις ἁμαρτιῶν conscientia peccatorum *Hebr.* 10,12) sed genuinam suam significationem scientiae cum altero participatae vel potius ab altero acceptae non amittit.

suam conscientiam agebant, peccati erant rei et conscientia eorum polluebatur.

Simili modo Apostolus Romanos docet, eum peccare, qui contra erroneam suam conscientiam agit, quia « omne, quod non est ex fide, peccatum est » (*Rom.* 14,23), i. e. « omne, quod fit contra propriam existimationem et iudicium, etiamsi talis existimatio falsa sit, est peccatum » (cfr *Tolet.*). Ethnicochristianos a Paulo hic designari plerique moderni putant, eo quod *usque nunc* conscientiam idoli habuisse dicantur (*Mai. Bisp. LR.* — *God.* etc.); at conclusio non est legitima, siquidem etiam Iudaeochristiani de idolis erronee sentire et aliorum exemplo seducti idolothytis vesci potuerunt, quamvis iis se pollui existimarent. Apostolus in tota hac parte infirmos Christianos sapientioribus opponit, nec utrum ex ethnicis an ex Iudaeis conversi fuerint, indicat.

2. *Idolothytorum usus interdum periculo scandali prohibetur* (8, 8-13).

8,8. ***Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus.*** 9. ***Videte autem, ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis.*** 10. ***Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius, quum sit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta?*** 11. ***Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?*** 12. ***Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.*** 13. ***Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.***

8,8. βρῶμα δὲ ἡμᾶς οὐ παραστήσει τῷ θεῷ· οὔτε ἐὰν μὴ φάγωμεν ὑστερούμεθα, οὔτε ἐὰν φάγωμεν περισσευόμεθα. 9. βλέπετε δὲ, μήπως ἡ ἐξουσία ὑμῶν αὕτη πρόσκομμα γένηται τοῖς ἀσθενέσιν. 10. ἐὰν γάρ τις ἴδῃ τὸν ἔχοντα γνῶσιν ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον, οὐχὶ ἡ συνείδησις αὐτοῦ ἀσθενοῦς ὄντος οἰκοδομηθήσεται εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν; 11. ἀπόλλυται γὰρ ὁ ἀσθενῶν ἐν τῇ γνώσει, ὁ ἀδελφὸς δι' ὃν Χριστὸς ἀπέθανεν. 12. οὕτως δὲ ἁμαρτάνοντες εἰς τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τύπτοντες αὐτῶν τὴν συνείδησιν ἀσθενοῦσαν, εἰς Χριστὸν ἁμαρτάνετε. 13. διόπερ εἰ βρῶμα σκανδαλίζει τὸν ἀδελφόν μου, οὐ μὴ φάγω κρέα εἰς τὸν αἰῶνα, ἵνα μὴ τὸν ἀδελφόν μου σκανδαλίσω [1].

1. *VV. LL.* — 8. παραστήσει (commendabit) B ℵ A, pauci minusc., *Copt.*; rectius *textus rec.* παρίστησιν (*commendat*) cum D E F G L P, plerisque minusc. et PP., *It. Vulg.* etc. — οὔτε ἐάν (neque si) sine particula addita B ℵ A, pauci minusc. et PP., *Arm. Aeth.*, aliqui codd. *Vulg.* (*Am. Tol.*); sed melius *textus rec.*: οὔτε γὰρ ἄν (*neque enim si*) D E F G L P, plerique minusc. et PP., *It. Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld. Dem.* etc.) *Syr.* etc. — Negativum sententiae membrum a B aliisque bonis testibus primo in loco ponitur, a plerisque tamen cum *Vulg.* in secundo. — 10. ἐὰν γάρ τις ἴδῃ τὸν ἔχοντα (*si quis viderit eum, qui habet scientiam*) B F G, *It. Vulg.*; praeferenda tamen lectio *textus rec.*: ἐὰν γάρ τις ἴδῃ σε τὸν ἔχοντα (si quis viderit *te*, qui habes scientiam), quam tuentur reliqui testes. — ἡ συνείδησις αὐτοῦ ἀσθενοῦς ὄντος (conscientia eius, quum sit infirm*us*) est communis lectio, a quo unus tantum minusc. (ἀσθενήσουσα) et

Itaque idolothytorum usus, etsi per se est licitus, iis tamen prohibetur, qui ad perfectam scientiam de idolorum inanitate nondum pervenerunt; iam vero ex hac doctrina Apostolus nunc derivat, eos quoque, qui scientia illa pollent, ab immolatis interdum sese abstinere debere, nisi peccare velint. Etenim in idolothytorum usu, quum ad salutem nihil omnino conferat, quam maxime cavendum est, ne quis fratrem scandalizet (8. 9); atqui fieri facile potest, ut eorum, qui perfectam scientiam possident, exemplo seductus infirmus quoque idolothytis vescatur et ita pereat (10. 11); quod si accidit, seductores flagitium gravissimum committunt (12. 13).

Praeprimis Apostolus velut principium statuit, esum idolothytorum ad salutem nihil omnino conferre : 8. *Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus, neque si non manducaverimus, deficiemus.* Verbum παριστάναι, cui *Vulg.* sensum commendandi (ac si esset συνιστάναι *Rom.* 16,1; 2 *Cor.* 3,1; 4,2; 5,12; 10,17 etc.) attribuit, a nonnullis explicatur : propiorem reddere i. e. ad familiaritatem adducere (*Gr.*), sed rectius velut vox media sumitur : « esca nos non exhibet Deo » sc. neque ceu meliores neque ceu peiores; hac enim ratione utrumque membrum sequens complectitur. Sunt, maxime inter acath. (*Calv. Pott. Heinr.*), qui integrum versum Corinthiorum obiectionem esse censeant, qua suum idolothytorum usum velut rem indifferentem excusent, quam Apostolus vero in sequentibus reiiciat. At non tantum formula deest, qua aliorum sententiam afferri insinuetur, sed verba quoque ipsa obiectioni parum sunt adaptata : obiici potius debuit : « neque enim si manducaverimus, deficiemus, neque si nos abstinuerimus, abundabimus ». Cum longe plerisque igitur Paulum suam sententiam exprimere tenemus; quemadmodum alibi regnum Dei non esse escam et potum dicit (*Rom.* 14,17), hic quoque *escam* (in genere, βρῶμα sine artic.) ad regnum Dei per se nullam habere relationem asserit : qui esca aliqua vescitur, ideo in vita spirituali per se non proficit, et qui ab illa se abstinet, ideo spirituale detrimentum per se non patitur.

Itaque escae omnes, ac proin etiam idolothyta sunt adiaphora, quorum usus utilis aut nocivus adiunctis redditur : 9. *Videte autem, ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* De qua licentia vel potius de quo iure (ἐξουσία) sermo sit, contextus docet; de iure enim manducandorum idolothytorum agitur, quod iis competit, qui

It. Vulg. dissentiunt : *quum sit infirma.* — 11. ἀπόλλυται γάρ (perit *enim*) B ℵ, *Copt. Goth.*; καὶ ἀπόλλυται (*et* perit) D, aliqui minusc. et PP.; καὶ ἀπολεῖται (*et peribit*) E F G L, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Arm. Aeth.*; tertia lectio videtur praeferenda.

idola nihil esse sciunt. Priusquam vero aliquis eo utitur, considerare iubetur, annon ita agens *offendiculum* (πρόσκομμα causa vel occasio peccandi) *fiat infirmis* fratribus, qui ad perfectam rerum christianarum scientiam nondum pervenerunt; nam « omnia quidem sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat » (*Rom.* 14,20). Vocabulo ἐξουσίας (*licentiae*) adhibito Paulus ad Corinthiorum nonnullorum axioma : πάντα μοι ἔξεστιν (omnia mihi *licent* 6,12; 10,23) alludere videtur; quare eum hoc vocabulo « temeritatem, petulantiam, arrogantiam » neophytorum carpere voluisse, *Chrys.* haud immerito censet.

Atqui facile fieri posse, ut aliquis hoc iure usus infirmis offendiculum sit, accuratius explicat : 10. *Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam* (lege : *te qui habes scientiam*) *in idolio*[1] *recumbentem : nonne conscientia eius, quum sit infirma* (lege : *infirmus*), *aedificabitur ad manducandum idolothyta?* Eousque igitur aliqui neophyti erant progressi, ut scientia sua de idolorum inanitate confisi in ipsis deorum fanis epulis sacrificalibus accubuerint; quae agendi ratio quantopere legi christianae repugnet, Apostolus infra docebit (10,14 sqq.), hoc autem in loco id unum intendit, ut eam proximis nocivam esse ostendat, quippe qui eius exemplo allecti idem facere coeperint, quamvis idolothytorum usum omnem pro illicito haberent. Acerbo igitur et mordaci sarcasmo Paulus illos destringit, quum illos fratrem infirmum ad manducandum *aedificare* dicat. Etenim verbum hoc non est vox media, quae vel in bonam vel in malam partem (promovere vel in bono vel in malo) sumitur, sed ubicumque metaphorice adhibetur, de aeterna salute promovenda intelligitur (*cfr ad* 8,1). Iamvero Christiani omnes, atque illi imprimis, qui perfectiores sapientioresque esse sibi videntur, exemplo suo fratribus praelucere eosque in salutis via promovere, i. e. aedificare tenentur : en, inquit Paulus, aedificationem, quam vos fratri vestro praebetis, considerate; aedificatis eum ad peccandum, siquidem exemplo vestro ad idolothyta manducanda eum invitatis, quamvis timeat, ne carnibus illis, quas pollutas esse existimat, ipse quoque polluatur : 11. *et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Efficacioribus verbis gravitas iniuriae infirmo illati atque scandali, quod dicitur pusillorum, de-

1. Vocabulum εἰδωλεῖον (*idolium*) a profanis scriptoribus non adhibitum in Novo Test. hic tantum legitur; in graeco Vet. Test. fanum deorum significare videtur (1 *Mach.* 1,50; 10,83; *Dan.* 1,2 iuxta Alex.; cfr 3 *Esdr.* 2,9; 3 *Mach.* 4,16) eodemque sensu ab ecclesiasticis scriptoribus usurpatur; minus recte aliqui hoc nomine *idolorum mensam* aut *epulas sacrificales* designari putant (*Gagn. Cai. Iust.* etc.). Latiore tamen sensu a Paulo sumitur, ut non tam ipsam aedem sacram, in qua epulae non habebantur, quam omnia aedificia, quae cum sanctuario erant coniuncta, lucumque sacrum, quo circumdabatur, designet.

scribi non potuit. *Infirmo* enim iniuria infertur, qui propter suam infirmitatem maiore cum sollicitudine tractari debet; *fratri*, cui maior, quam aliis proximis, caritas debetur; immo fratri, *propter quem Christus mortuus est*, quem igitur Christus Dominus tanti fecit, ut pro eo vitam dare non recusaret. Atque haec quidem, si sola persona laesa consideratur; sed iniuria ipsa quoque ei illata in se est gravissima : *perit* enim frater omniaque amittit, quae alicuius pretii aut momenti sunt; illo autem pereunte etiam sanguis, quem Dominus pro eo fudit, fructu suo spoliatur (attende ad verborum collocationem : *perit infirmus... Christus mortuus est*). Accedit demum, quod ob levissimam causam iniuria gravissima inferatur : *in tua scientia* vel rectius *propter tuam scientiam* (ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει), quam tu in idolio publice recumbens ostentare vis, perit frater. Gravius esset ultimum membrum, si cum *Chrys.* paucisque lectionariis legere liceret : ἐπί τῇ σῇ βρώσει (*propter tuam escam*) : frater perit, quia tu gulae indulges; at haec lectio, quamvis argumentandi modo Pauli prorsus consonet (cfr *Rom.* 14,15 noli *cibo tuo* illum perdere, pro quo Christus mortuus est; 14,20 noli *propter escam* destruere opus Dei), hoc in loco nec codicum nec versionum auctoritate fulcitur. Lectio vero, quam ex mediae aetatis codicibus (cfr *Thom. Lyr.* etc.) Biblia Sixtina receperant (in tua *conscientia*) parum apta est.

Porro ut criminis gravitatem augeat, Paulus iniuriam non soli fratri, sed ipsi Christo inferri docet : 12. *Sic autem peccantes in fratres et percutientes conscientiam illorum infirmam, in Christum peccatis*, siquidem fratres vestri infirmi non minus, quam vos ipsi, membra sunt corporis Christi[1]. Iterum attende, quomodo ipsa vocabulorum electione Paulus scandalum pusillorum exaggeret. Qui enim exemplo suo infirmos ad peccatum seducit, non tantum iniustus est et eorum iura laedens *in eos peccat*, sed etiam immanem et crudelem se exhibet, quia fratres eosque infirmos *percutit*; « quid autem saevius, inquit *Chrys.*, quam aegrum et infirmum percutere? » Qua criminis gravitate commotus Apostolus exclamat : 13. *Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem*. Coniunctione *quapropter* (διόπερ) omnia quidem illa complectitur, quibus scandali immanitatem descripserat; maxime tamen ad ultimum membrum (*v.* 12), quocum haec sententia arctius cohaeret, respicere videtur : quia scandalum est peccatum

1. Egregie *Chrys.* : « Et quomodo in Christum peccant? Uno quidem modo, quia ea, quae sunt famulorum, Dominus sibi ipse attribuit (*Matth.* 25,34 sqq.); secundo quia illi, qui percutiuntur, ad corpus et membra ipsius pertinent; tertio quia opus eius, quod passione et morte sua ipse exstruxit, propter ostentationem suam destruunt ».

contra ipsum Dominum, ideo, ut illud evitet, ad plenam abstinentiam ab omnibus cibis, quibus fratres scandalizari possunt, sese paratum esse declarat: *si esca* qualiscumque (βρῶμα sine artic.) fratri scandalo est, *non manducabo carnes* (κρέα, carnes in genere, sive diis sunt oblatae, sive non): ab omnibus carnibus me abstinebo non semel aut bis, sed *in aeternum*, idque ob eum solum finem, ne fratri sim offendiculum; namque « bonum est, non manducare carnem, et non bibere vinum, neque (quidquam facere), in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur » (*Rom.* 14,21).

Nonnulli codd. et interpretes latini (cfr *A^ler^ Pel. Prim.* etc.) olim in *v.* 12 legerunt: *in Christo peccatis*) quam lectionem cum *Herv. Thom.* aliisque ita explicat *Lomb.*: « Quum caritatis non aemuli sunt, qua Christus nos liberavit, peccant *in Christo*, non *in Christum;* quia in Christum peccare est negare Christum; in Christo autem peccare, est in his, quae Christi sunt, peccare. Sicut hic, qui sub Lege est, in Lege dicitur peccare, ita hi, qui in Christo sunt, in Christo peccare dicuntur ». Quam explicationem haud aptam esse atque iure merito a iunioribus interpretibus esse praetermissam, patet; hoc enim sensu omnia Christianorum peccata dicenda essent facta « in Christo », atque non recte Paulus in eo specialem characterem scandali vidisset. Praeterea qui ad Apostoli usum loquendi attenderit, locutionem *in Christo*, quam tantopere amat, ab eo cum verbo peccandi coniungi non potuisse sine haesitatione asseret.

II. — *Apostoli exemplum, qui alios salvaturus omnium offensionem evitavit* (9, 1-10, 14).

Pro more suo Apostolus ultimis pericopae superioris verbis novum, quod explicare sibi proposuit, argumentum iam insinuavit et praeparavit; ad completam enim carnium abstinentiam, ne fratribus offendiculo esset, paratum sese declarans se ipsum velut exemplum Corinthiis imitandum proposuerat, ut ipsi quoque a re per se licita sed ad salutem non necessaria ad fratrum scandalum vitandum abstinerent. Neque maiora se promisisse, quam quae, si ea utilia iudicasset, opere esset executurus, longa digressione quadam demonstrat, in qua, uti recte iam *Chrys.* monet, sese non tantum ad neophytorum damnum avertendum sed etiam ad eorum bonum promovendum a multis, quae sibi licuissent, magna cum sollicitudine abstinuisse ostendit; suo igitur exemplo, quomodo ad maiorem perfectionem anhelare et securiorem viam ad salutem aeternam eligere debeant, eos edocet.

Duplici ratione, quam a principio interrogatione duplici innuit

(*non sum liber? non sum Apostolus?*), vitam suam apostolicam eis velut exemplum proponit digressionemque exhortatione terminat. Unde tres sectiones apte distinguimus : 1.) Apostolus privilegio apostolico, quo ab ecclesiis ea, quae ad vivendum necessaria sunt, postulare potuit, non est usus, ut ad maiorem perfectionem tenderet (9, 1-18); 2.) quamvis liber esset, omnium servus fieri voluit, ut quam plurimos ad fidem adducens suam ipsius salutem securius obtineret (9,19-23); 3.) Corinthiis igitur ipsis quoque magno cum zelo laborandum est, ut ad finem sibi praestitutum perveniant; neque enim Christianum esse sufficit (9,24-10,13).

1. *Apostolus ad maiorem mercedem anhelans sustentationis iuri renunciavit* (9, 1-18).

Completo quasi syllogismo haec pericope constat, cuius tamen conclusio non exprimitur, quia in exhortatione (9,24 sqq.) uberius explicabitur. Paulus, quum genuinus sit Apostolus, eandem vivendi rationem, quam alii Evangelii praecones, tenere potest, ita ut ab ecclesiis, in quibus laborat, sustentetur (9,1-14); atqui huic iuri renuntiavit, ne fratribus esset offendiculo et ut maiorem perfectionem assequeretur (9,15-18); ergo ex suo exemplo Corinthii discant oportet, a licitis ob maius bonum obtinendum interdum debere abstineri. Intime igitur haec particula cum superiore cohaeret.

1. *Paulus, utpote genuinus Apostolus, ius sustentationis accipiendae possidet* (9, 1-14).

9,1. *Non sum liber? Non sum apostolus? Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino?* 2. *Et si aliis non sum apostolus, sed tamen vobis sum : nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino.* 3. *Mea defensio apud eos, qui me interrogant, haec est :* 4. *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi?* 5. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas?* 6. *Aut ego solus et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?* 7. *Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* 8. *Numquid*

9,1. Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; οὐχὶ Ἰησοῦν τὸν Κύριον ἡμῶν ἑώρακα; οὐ τὸ ἔργον μου ὑμεῖς ἐστὲ ἐν Κυρίῳ; 2. εἰ ἄλλοις οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος, ἀλλά γε ὑμῖν εἰμί; ἡ γὰρ σφραγίς μου τῆς ἀποστολῆς ὑμεῖς ἐστὲ ἐν Κυρίῳ. 3. ἡ ἐμὴ ἀπολογία τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνουσίν ἐστιν αὕτη. 4. μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν φαγεῖν καὶ πιεῖν; 5. μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου καὶ Κηφᾶς; 6. ἢ μόνος ἐγὼ καὶ Βαρνάβας οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν μὴ ἐργάζεσθαι; 7. τίς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις ποτέ; τίς φυτεύει ἀμπελῶνα καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ οὐκ ἐσθίει; τίς ποιμαίνει ποίμνην καὶ ἐκ τοῦ γάλακτος τῆς ποίμνης οὐκ ἐσθίει; 8. μὴ κατὰ ἄνθρωπον

secundum hominem haec dico? An et lex haec non dicit? 9. Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? 10. An propter nos utique haec dicit? Nam propter nos scripta sunt : quoniam debet in spe, qui arat, arare : et qui triturat, in spe fructus percipiendi. 11. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? 12. Si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate; sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. 13. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt : et qui altari deserviunt, cum altari participant? 14. Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.

ταῦτα λαλῶ, ἢ καὶ ὁ νόμος ταῦτα οὐ λέγει; 9. ἐν γὰρ τῷ Μωυσέως νόμῳ γέγραπται· Οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα. μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ Θεῷ, 10. ἢ δι' ἡμᾶς πάντα λέγει; δι' ἡμᾶς γὰρ ἐγράφη, ὅτι ὀφείλει ἐπ' ἐλπίδι ὁ ἀροτριῶν ἀροτριᾶν, καὶ ὁ ἀλοῶν ἐπ' ἐλπίδι τοῦ μετέχειν. 11. εἰ ἡμεῖς ὑμῖν τὰ πνευματικὰ ἐσπείραμεν, μέγα εἰ ἡμεῖς ὑμῶν τὰ σαρκικὰ θερίσομεν; 12. εἰ ἄλλοι τῆς ὑμῶν ἐξουσίας μετέχουσιν, οὐ μᾶλλον ἡμεῖς; ἀλλ' οὐκ ἐχρησάμεθα τῇ ἐξουσίᾳ ταύτῃ, ἀλλὰ πάντα στέγομεν, ἵνα μή τινα ἐγκοπὴν δῶμεν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ. 13. οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν; οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ παρεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται; 14. οὕτως καὶ ὁ Κύριος διέταξεν τοῖς τὸ εὐαγγέλιον καταγγέλλουσιν ἐκ τοῦ εὐαγγελίου ζῆν [1].

Duplicem rationem, qua apostolicum suum agendi modum Corinthiis velut exemplum proponere vult, Paulus duabus, uti diximus, interrogationibus indicat, quae ipsa sua forma sese indubitatas assertiones esse manifestant : 1. *Non sum liber? Non sum Apostolus?* De

1. *VV. LL.* — 1. Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; (*non sum liber? non sum Apostolus?*) B ℵ A P, nonnulli minusc., *It.* (*Tert. Aug. Ambr.* etc.), *Vulg.* (*Am. Demid. Tol.* etc.) *Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.*; minus recte ordinem interrogationum invertit *textus rec.* cum plerisque codd. gr., *Vulg.* (*Fuld.*) *Goth.* — 2. εἰ ἄλλοις οὐκ εἰμί (si aliis non sum) est communis lectio, quam etiam *It.* (*Aler*) et aliqui codd. *Vulg.* (*Am.* etc.) recte tuentur; male iuniores codd. Vulg. : *etsi*; minus malo *Vulg. Clem* : *et si.* — 5. ἀδελφὴν γυναῖκα (sororem mulierem) communior lectio graeca, quam etiam *Aug.* (de op. monach. 4) sequitur et *Am.* exhibet; ordine inverso (*mulierem sororem*) alii codd. Vulg. plerique; pluralem γυναῖκας ἀδελφάς vel ἀδελφὰς γυναῖκας F G, et ex Lat. *Hier.* etc. — 6. ἐξουσίαν μὴ ἐργάζεσθαι vel τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι (potestatem *non* operandi) est communis lectio, quam inter Latin. *Aug. Gl interlin. Lomb.* etc. agnoscunt; plerique tamen Latini cum *Tert.* habent : *potestatem hoc* (vel *haec*) *operandi.* — 7. τὸν καρπόν (fructum) B ℵ A C D E F G P, paucissimi minusc., aliqui codd. *Vulg.* (*Tol. Harl. Flor.*) *Sah. Goth.*; sed *textus rec.* : ἐκ τοῦ καρποῦ (*de fructu*) E K L, plerique minusc., *It. Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld. Am.* etc.) *Syr. Memph. Arm.* — 8. ἢ καὶ ὁ νόμος ταῦτα οὐ λέγει (*an et lex haec non dicit*) B ℵ A C D E, *It. Vulg. Syr. Copt.*; lectio *text. recepti* : ἢ οὐχὶ καὶ ὁ νόμος ταῦτα λέγει (annon etiam lex haec dicit) correctori cuidam debetur. — 10. ὁ ἀλοῶν ἐπ' ἐλπίδι τοῦ μετέχειν (*qui triturat, in spe* [*fructus*] *percipiendi*) B ℵ A C P, pauci minusc., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm.*; lectio retinenda contra faciliorem : ὀφείλει... ὁ ἀλοῶν τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν (debet... qui triturat speratum suum fructum participare) D F G, et contra duriorem : ὁ ἀλοῶν τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν ἐπ' ἐλπίδι (qui triturat sperati fructus participandi in spe) *textus rec.* cum E K L et plerisque minusc.

earum ordine quidem non plane constat (cfr *VV. LL.*), sed Vulgatae Clem. ordinem praeter meliores testes criticos ipse quoque contextus tuetur; arcte enim prior interrogatio cum immediate praecedente sententia, altera vero cum sequente argumentatione connectitur. Ad continuam scilicet et perpetuam carnium abstinentiam, ne fratri scandalum praeberet, Apostolus sese paratum declaraverat; ne vero aliunde ad illam obligatus esse videatur, libertatem suam omnimodam proclamat, quae sola caritatis lege ligatur. Immerito enim aliqui libertatem hanc arctiore sensu aut de facultate vescendi quibuslibet cibis (*Sa* etc.) aut de facultate sustentationis ab ecclesiis accipiendae vel non accipiendae (*Chrys.* et plerique antiquiores) intelligunt; generali potius modo libertatem suam asserit (cfr *Thom. Est. Nat.* etc.); quomodo vero propter caritatem fraternam in apostolica sua vita libertati renuntiaverit, infra (*v.* 19 sqq.) accuratius explicabit. Sed antea alio modo ostendere vult, se ob fratrum scandalum evitandum suamque ipsius salutem promovendam a licitis abstinuisse; hinc altera interrogatio (*non sum Apostolus*), quam statim demonstrare aggreditur. In argumenti enim sui Maiore, quam in hac pericopa (1-14) explicat et probat, duo complectitur, se esse genuinum Apostolum, et se ideo ad sustentationem accipiendam verum ius possidere; sed quia utrumque in controversiam vocari potuit et forte iam eo tempore Corinthi apostolica eius dignitas impugnabatur (*cfr* 2 *Cor.* 10,1 sqq.), utrumque demonstrat (1-3, et 4-14).

« Duplici modo, inquit *Thom.*, probat se esse Apostolum, primo per causam, secundo per effectum; primam rationem sumit ex parte Christi mittentis, secundam ex parte Corinthiorum, ad quos missus est ». Ad characterem genuini Apostoli praeprimis pertinet, ut resurrectionis Christi sit testis ocularis (quatenus sc. Christum resuscitatum suis oculis viderit *Act.* 1,21. 22), atque a Christo ipso praedicationis munus immediate acceperit (*Act.* 10,41; *Gal.* 1,1. 12); atqui haec in se inveniri ostendit interrogans: *Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi?* In catechesi sua procul dubio Corinthiis narraverat, quomodo in itinere damasceno visione Christi ad fidem esset conversus et quomodo a Domino ipso praedicandi munus accepisset (*Act.* 26,15-18; 9,17; 22,14 sqq.; *cfr infra* 15,8); quapropter haec uberius non explicat. At attende, verbum *videndi* hic proprio suo sensu esse sumendum; oculis suis corporeis Christum resuscitatum Paulus spectaverat; visione enim quadam exstatica testis resurrectionis constitutus non esset; re vera alibi quoque (15,8) se eadem ratione, qua alios Apostolos, Dominum resuscitatum vidisse clarissime docet. « Minus autem dicit, inquit *Cai.*, et plus significat; dicit : *vidi*, et significat : vidi et missus

sum ». Alter genuini Apostoli character est praedicationis efficacitas (*cfr* 4, 19. 20; 2 *Cor*. 12,12; 1 *Thess*. 1,5); etenim « Iudas quoque, inquit *Chrys.*, apostolus erat et liber atque Christum viderat; sed quia apostoli opus non habuit, nihil ista ei profuerunt; propterea et hoc adiicit eosque ipsos testes citat » : *Nonne opus meum vos estis in Domino?* Fructus in cognitionem arboris ducunt; ecclesia igitur corinthia a Paulo fundata certissimum est argumentum efficacitatis praedicationis eius ac proinde etiam *divinae* missionis eius; neque enim propriis suis viribus talem animorum conversionem efficere potuit, sed semper et ubique Paulus totum laborum suorum fructum Deo adiuvanti attribuit (*cfr* 3,6. 7; 15,10; 2 *Cor*. 3,3 etc.). Idem divinum auxilium verbis *in Domino* exprimi censent multi (*Chrys*. « Dei opus est, non meum », *Theoph*. *Lomb*. *Thom*. « Domino cooperante sic estis », *Lyr*. *Iust*. etc. — *God*.); sed non satis recte, quia magnum bonum ipsum designant, quod Corinthiis Paulus praedicatione sua attulerat; quatenus nimirum Corinthii in Christo Domino i. e. Christiani sunt, eos dicit opus suum (cfr *Prim*. *Herv*. *Cai*. *Est*. *Lap.*, moderni fere omnes), atque hac ratione ad ecclesiam corinthiam velut ad documentum apostolatus sui provocat (*cfr* 2 *Cor*. 3,2).

Hunc enim sensum verba sequentia postulant : 2. *Et si* (vel melius : *si*) *aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum; nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino*. Se aliis quoque esse Apostolum negare (id quod *Vulg*. multi codd. sua lectione *etsi* insinuant) nec vult, siquidem diu antea Galatis scribens apostolicam suam dignitatem fortissime vindicaverat (*Gal*. 1,11-24), nec potest, quia iam « verbo et factis in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus S. ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverat Evangelium Christi » (*Rom*. 15,18 sqq.); sed alias ecclesias quasi praetermittens ait : « si forte aliqui sunt, qui me, quia inter eos non praedicaverim, ceu genuinum Apostolum agnoscere nolint, vobis tamen meam apostolicam dignitatem in dubium vocare non licet, quia tota vestra ecclesia est sigillum (σφραγίς), quo Apostolatus mei documentum consignatum et confirmatum est ». Quapropter omnibus iis, qui de divina eius missione dubitantes apostolicam eius auctoritatem in controversiam aut in iudicium vocare audent, ecclesiam corinthiam velut libellum apologeticum opponit : 3. *Mea defensio* (ἀπολογία) *apud eos, qui me interrogant* (τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνουσιν, iis, qui iudiciali more in me, quid sim, inquirunt), *haec est*. Eadem igitur ratione, qua literis commendaticiis se non indigere asserit, quia ecclesia corinthia sit sua epistola, quae sciatur et legatur ab omnibus

hominibus (2 *Cor*. 3,2), alio libello apologetico non indiget, quia ipsa ecclesiae corinthiae exsistentia apostolicam suam missionem satis superque demonstret; « opus vestrum mihi sufficit ad labores meos testificandos » (*Theod.*).

Nonnulli interpretes cum *Chrys.* et *Theod.* quatuor interrogationes v. 1. eodem tenore progredi atque gradationem quandam exprimere censent, ut Apostolus praeprimis libertatem, deinde apostolicam dignitatem eamque eiusdem perfectionis, qua eam primi Apostoli possederunt, immo eiusdem quoque efficaciae sibi vindicet (cfr *Bisp. L R.* etc.). At nec per se apta videtur eiusmodi gradatio, nec verbis ullo modo indicatur (siquidem de aliis Apostolis non fit sermo) nec demum cum v. 2. satis cohaeret. Quare duabus prioribus argumentum totius pericopae (1-24) indicari, duabus posterioribus vero secundam demonstrari, cum plerisque admittimus (cfr *Thom.* etc.). Neque iis assentimur, qui v. 3. ad sequentia cum *Alio* trahunt (*Iust.* etc.) aut cum *Chrys.* eum ad praecedentia et ad sequentia pertinere volunt; ita enim verba *Chrys.* explicat : « iis, qui discere volunt, undenam sim Apostolus, aut qui me criminantur, ac si pecunias acciperem, aut qui causam quaerunt, cur non accipiam, aut qui volunt ostendere me non esse Apostolum, vestra institutio et ea quae dicturus sum (ἡ ὑμετέρα κατήχησις καὶ ταῦτα ἃ μέλλω λέγειν) velut defensio afferuntur ». Nexum cum sequentibus quidem indicat etiam *Vulgatae Clem.* interpunctio; quapropter pauci moderni (*Dr.* etc.) eum retinent; at non tantum longe plerique antiquiores (cfr *Theod.* etc., *Prim.* etc., *Thom.* etc.) sed etiam fere omnes moderni recte eum reliquerunt, quia in sequentibus Paulus Apostolatum suum non amplius defendit.

Verus igitur Apostolus est Paulus atque ideo etiam privilegia apostolica ei competunt; inter quae unum solum affert, sc. ius ad sustentationem ab ecclesiis, in quibus laborat, accipiendam. Iam vero hoc ius (*v.* 4) sibi competere demonstrat variis argumentis : *a.*) agendi ratione aliorum Apostolorum (5. 6), *b.*) analogiis ex vita quotidiana desumtis (*v.* 7), *c.*) testimonio scripturistico explicato (8-11), *d.*) comparatione cum aliis doctoribus et templi ministris (12. 13), *e.*) ipsius Domini praecepto (*v.* 14).

Ab assertione sui iuris hanc demonstrationem incipit atque interrogationibus procedit, quibus oratio vividior redditur ac nervosior : 4. *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi?* sc. sustentati a fidelibus, quorum gratia laboramus. « Quid ergo? inquit *Chrys.*; non manducabat? non bibebat? Saepe certe nec manducabat nec bibebat; nam ait : in fame et siti, in frigore et nuditate versati sumus (2 *Cor*. 11,27); hic autem hoc non dicit, sed quid? Non manducamus, nec bibimus, a discipulis accipientes, etiamsi potestatem habeamus accipiendi ». A communi hac interpretatione solus fere dissentit *Thom.*, qui Paulum sibi ius vindicare censet « manducandi et bibendi *sua*, i. e. vivendi stipendiis suis »; quae explicatio contextu reprobatur, siquidem ad aliorum Apostolorum, qui omnes alienis stipendiis, a fidelibus sustentati, vivebant, Paulus provocat.

Primum enim suum argumentum ex eorum agendi ratione desumit : 5. *Numquid non potestatem habemus mulierem sororem circumducendi sicut et ceteri Apostoli et fratres Domini et Cephas?* « Quemadmodum Dominum sequebantur fideles mulieres necessaria discipulis alimenta suppeditantes (cfr *Matth.* 27,55; *Luc.* 8,1 sqq.), ita etiam aliquos ex Apostolis sequebantur mulieres quaedam ardentiorem fidem ostendentes et ab eorum doctrina pendentes et divinae praedicationi cooperantes » (*Theod.*), quatenus sive Apostolis ea quae ad victum erant necessaria suis sumtibus ministrabant (vel, ut vult *Cai.*, ab aliis divitibus mulieribus conquirebant), sive « in gynaecea absque ulla reprehensione malave suspicione Evangelium introducebant » (*Clem. Alex.* Strom. III. 6). « Consuetudinis enim iudaicae fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum praeceptoribus ministrarent » (*S. Hier.* in Matth. 27,55). Quem communem doctorum iudaicorum morem a Domino ipso observatum reliqui Apostoli retinendum duxerant idque eo maiore cum iure, quia maxime inter Iudaeos laborabant, quibus hic mos omnino cognitus ne levissimo quidem scandalo erat. Paulus vero et Barnabas, quibus ethnicorum praecipue conversio velut provincia erat attributa (*Gal.* 2,9), eum, « quia scandalum facere poterat in nationibus » (*S. Hier.* l. c.), abiecerant, neque mulierem, a qua sustentarentur, secum in peregrinationibus apostolicis circumducebant; eius cooperatione etiam minus indigebant, quoniam inter Graecos Asiae Min., Macedoniae, Achaiae etc. mulieres non eadem ratione, qua in Palaestina aut Syria, custodiebantur, ut sine ulla difficultate ipsi quoque Apostoli directe eis Evangelium annuntiare possent (cfr *Act.* 14,50; 16,14 sqq. etc.).

De eiusmodi piis mulieribus, quae Apostolos, ut eos sustentarent, sequebantur, Paulum hic loqui, communis est antiquorum sententia tum Graecorum (*Clem. Alex.* l. c. *Theod. Theoph. Occ*[1].) tum Latinorum (*Tert.* de monog. 8.; *S. Aug.* de op. monach. 4. 5; *S. Hier.* l. c. et c. Iovin. I. 26, *A^ter^*, *Pel. Prim.*), quos iuniores interpretes catholici omnes sequuntur. Inter quos id unum controvertitur, utrum explicandum sit : « mulierem (vel uxorem) ceu sororem circumducere » (id enim latina verborum collocatio videtur suadere, et *Clem. Alex.* graeca quoque verba ἀδελφὴν γυναῖκα eadem ratione explicat), an potius collocatione graeca retenta : « sororem i. e. christianam mulierem circumducere ». Eadem enim ratione, qua Christiani *fratres*, Christianae *sorores* appellabantur (7,15), et appositio *mulier* ab

1. *Chrys.* haec verba in sua homilia transiliit neque alibi ea attigit.

Apostolo addita videtur, ne aut de sorore germana (*Mai.*) aut de Christiana iuniore cogitetur; nam γυνή, quia non minus quam *mulier* praeter sexum etiam certam aetatem indicat, hoc in loco de viduis Apostolos sequentibus et sustentantibus apte intelligitur. Utra ex his explicationibus eligatur, parum interest, dummodo protestantica interpretatio (christianam *uxorem* circumducere) ne recipiatur, quam omni probabilitate carere statim ostendemus.

Iuxta Paulum igitur *ceteri Apostoli et fratres Domini et Cephas* inter comites peregrinationum suarum apostolicarum mulieres habebant, a quibus sustentabantur. Ipsa hac enumeratione satis apparet, *fratres Domini* ex Apostolorum numero fuisse; gradatione enim Paulus utitur : « sicut ceteri Apostoli et illi ipsi, qui dominicae fraternitatis praerogativa in Apostolorum collegio eminebant, atque adeo ipsum collegii totius caput, Cephas ». Namque nomen Apostoli stricto sensu, i. e. de iis solis, quos Christus ipse immediate velut resurrectionis suae testes et Evangelii sui praecones elegit, hic intelligi, nexus *vv.* 1-5 clare docet; porro omnibus fatentibus Cephas (Petrus), quamvis iuxta *ceteros Apostolos* nominetur, non tantum ex Apostolorum numero non excluditur, sed potius velut eminentior inter eos designatur; ergo *fratres Domini* quoque ceu veros et genuinos Apostolos recenseri evidens est, licet praeiudiciis suis occaecati moderni acatholici plerique id negent. Ut autem id negare possint, particulae coniunctivae καί in eadem constructione et in eadem brevissima sententia duas significationes prorsus diversas attribuere coguntur (ceteri Apostoli *uti etiam* fratres Domini *et speciatim* Cephas. *Mey. God. Heinr.* etc.); neque tamen id fieri posse exemplis demonstrare conantur, neque animadvertunt, se hac nova constructione praeter *fratres Domini* etiam Cepham ex Apostolorum numero excludere, ut eum inter *fratres Domini* eminere dicant. Itaque antiqua interpretatio retineatur oportet; revera enim tres *fratres Domini*, uti statim videbimus, inter Apostolos fuerunt : Iacobus Min., Simon Chananaeus, Iudas Thaddaeus.

Atqui si omnibus Apostolis ius est, ut ab ecclesiis vel ope piarum mulierum sustentationem accipiant, idem ius Paulo negare non licet : **6.** *Aut ego solus et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi* i. e. mulierem, a qua sustineamur, circumducendi aut manducandi et bibendi ab ecclesiis sustentati? Ita quidem iuxta consuetum textum latinum; sed cum graeco textu (ἢ μόνος ἐγὼ καὶ Βαρνάβας οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν μὴ ἐργάζεσθαι) *S. Aug.* legit : *an ego solus et Barnabas non habemus potestatem non operandi?* Ad quae verba explicanda addit, « omnes evangelistas et ministros verbi Dei habere po-

testatem a Deo acceptam, ut non operentur manibus suis, sed ex Evangelio vivant, operantes tantummodo spiritualia in praedicatione regni coelorum » (De op. monach. 7.). Universae argumentationis sensus duplici hac lectione vix mutatur; parvi enim interest, utrum Paulum ius habuisse dicamus, ut ab aliis sustentaretur, an ut ipse manibus suis victum non quaeritaret; graeca tamen lectio contextui magis congruit, siquidem Apostolus se ad alium laborem praeter praedicationem non esse obligatum in sequentibus potius demonstrat, quam se ius ad sustentationem habere, quamvis hoc alterum ex priore sequatur. Animadverte, Paulum in ultimo hoc membro eandem potestatem, quam in prioribus Apostolos proprie dictos habere asseruit, nominato Barnaba etiam aliis operariis apostolicis vindicare. Porro ex Barnabae commemoratione iure etiam colligimus, eum vel cum Paulo in fundanda ecclesia corinthia occupatum fuisse vel eum ibidem Pauli labores continuasse, licet Actus hac de re taceant; dissensio igitur, quae ante secundam expeditionem apostolicam inter eos exorta erat (*Act.* 15,37 sqq.), iam dudum composita erat.

1. Acatholici interpretes moderni plerique Paulum sibi ius vindicare censent, ut eodem modo, quo reliqui Apostoli, *uxorem* secum in expeditionibus apostolicis circumducat; quam interpretationem ineptam esse ex eo solo iam elucet, quod Apostolus uxorem, quam secum duceret, non habebat (7,7. 8). Contra nostram explicationem obiiciunt, eam sensui verborum repugnare, historico fundamento carere, exemplo Petri contradicere (*Matth.* 8,14), relationem demum peccaminosam ad illas mulieres subindicare (« Diese Erklärung ist wortwidrig, ohne geschichtliche Spur aus dem Leben der Apostel, auf ein unziemliches Verhältmiss hinauslaufend und dem Beispiel des Petrus entgegen ». *Mey. Heinr.* cfr *God.* etc.). Praenotamus, nos plane ignorare, num Petro excepto quisquam ex Apostolorum collegio vinculis matrimonii ante vocationem suam fuerit ligatus; nihil tamen obstat, quominus velut probabile concedatur alios quoque, quum non admodum iuvenes a Domino ad apostolicum munus sint assumti, iam uxores habuisse. Id vero certum est, omnes, qui matrimonii vinculis forte erant ligati, uxores post vocationem suam reliquisse; secus enim nec Petrus nomine omnium se cuncta reliquisse asserere, nec Dominus inter cuncta, quae reliquerant, etiam uxores enumerare potuissent (*Matth.* 19,27 sqq.). Adversarii igitur nostri, ut suam explicationem teneant, absurde admittant necesse est, Apostolos, qui ante mortem Domini omnia reliquerant, iterum omnia recepisse, postquam post Domini resurrectionem omnibus gentibus Evangelium praedicare iussi sunt. Sed iam ad singula veniamus. Verborum sensui repugnare dicitur nostra interpretatio, sed qua in re repugnet, non indicatur. Omnes antiqui interpretes adnotarunt, Paulum ideo non dixisse γυναῖκα, sed γυναῖκα ἀδελφήν aut ἀδελφὴν

γυναῖκα, ut omnem cogitationem de uxore, quacum Apostoli revera viverent, plane excluderet. Ita iam *Clem. Alex.* (l. c.) : « hi quidem, uti erat consentaneum, ministerio praedicationis, quod distractionem non permittit, attendentes *non ut uxores* (γαμετάς) sed ut sorores circumducebant mulieres » etc.; eadem igitur ratione, qua plerique latinam lectionem, suam graecam (ἀδελφὴν γυναῖκα) : « mulierem ceu sororem circumducere[1] » interpretatus satis docet, nostram explicationem verbis non repugnare. Quid, quod haec sola contextui et historiae consonat? Egregie *S. Hier.* (c. Iovin. I. 26) Tertullianum (De monog. 8) secutus id iam urget : « Iovinianus autem, si illud nobis opposuerit ad probandum, quod omnes Apostoli uxores habuerint : Numquid non habemus potestatem mulieres vel uxores circumducendi (quia γυνή apud Graecos utrumque significat), sicut ceteri Apostoli, iungat et illud, quod in graecis codicibus est : *sorores* mulieres vel uxores. Ex quo apparet, eum de aliis sanctis mulieribus dixisse, quae iuxta morem iudaicum magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. Nam et ordo verborum hoc significat : Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi aut sorores mulieres circumducendi? Ubi de comedendo et bibendo ac de administratione sumtuum praemittitur et de mulieribus sororibus infertur, perspicuum est, non uxores debere intelligi, sed eas, ut diximus, quae de sua substantia ministrabant ». Revera quid in hoc contextu commemoratio γυναικός sibi velit, non intelligitur, nisi de muliere ministrante et sustentante sermo sit. Num Apostolus forte dicere voluit, se non tantum ad propriam sed etiam ad uxoris (forte etiam filiorum) sustentationem ius habere? At si id dicere voluisset, dicendum ei erat : ἐξουσίαν καὶ ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν. Deinde quomodo ex eo, quod reliqui Apostoli *uxores* secum circumducebant, concludi potest, Paulum et Barnabam ius habere *ad non operandum?* Atqui hanc graecorum codicum lectionem omnes acatholici solam probant[2]. Demum

1. De sensu, quo vocabulum ἀδελφῆς *Clem. A.* hic usurpat cfr Strom. VI. 12 (M. 9,321), ubi de vero gnostico agens : « uxor autem, inquit, ei fit soror post liberorum susceptionem, eodem loco habetur ac si esset eodem patre genita, tunc solum viri recordans, quando filios aspexerit, ut quae post carnis depositionem revera soror futura sit ».

2. *S. Aug.* (de mon. op. 4. 5) totum locum explicans acatholicorum obiectiones egregie iam praeoccupavit : « Quo (Apostolatu) probato Paulus ostendit sibi licere, quod ceteris Apostolis, i. e. *ut non operetur manibus suis* sed ex Evangelio vivat, sicut Dominus constituit, quod in sequentibus apertissime demonstravit : ad hoc enim et fideles mulieres habentes terrenam substantiam ibant cum eis et ministrabant eis de substantia sua, ut nullius indigerent horum, quae ad vitae huius necessaria pertinent. Quod beatus Paulus licere quidem sibi demonstrat, sicut et ceteri Apostoli faciebant, sed ea potestate se uti noluisse postea commemorat. Hoc quidam non intelligentes non *sororem mulierem* sed *uxorem* interpretati sunt. Fefellit eos verbi graeci ambiguitas, quod et *uxor* et *mulier* eodem verbo graece dicitur. Quamquam hoc ita posuerit Apostolus, ut falli non debuerint : quia neque *mulierem* tantummodo ait, sed *sororem mulierem*, neque *ducendi* sed *circumducendi*. Verum alios interpretes non fefellit haec ambiguitas et *mulierem*, non *uxorem* interpretati sunt. Quod quisquis putat, non potuisse ab Apostolis fieri, ut cum eis sanctae conversationis mulieres circuirent, quacumque Evangelium praedicabant, ut eis de sua substantia ministrarent necessaria, Evangelium audiat et cognoscat quemadmodum hoc ipsius Domini

si adversarii addunt, Apostolos mulieres, quae eorum uxores non erant, circumducentes in suspicionem peccaminosae relationis incidere potuisse, idem, uti iam innuit *S. Aug.* (l. c.), Domino obiiciant necesse est; attamen supra iam diximus, eiusmodi suspicioni inter Iudaeos, quibus ille magistrorum suorum mos cognitus fuit, locum non fuisse; neque vero negamus, unam ex rationibus, ob quas Paulus et Barnabas, gentium Apostoli, istum morem non adoptaverint, suspicionis illius, quae inter ethnicos facilius exoriri potuit, timorem fuisse; illam autem Paulus praetermisit ad praecipuum finem, ob quem alii Apostoli mulieres secum circumduxerunt, pro argumenti sui ratione solum attendens.

2. Moderni acatholici plerique non tantum ex Apostolorum collegio *fratres Domini* excludunt sed nomen fratris etiam stricto, immo strictissimo, sensu intelligunt blasphemantes, eos esse iuniores Iesu fratres uterinos a S. Iosepho et B. Virgine procreatos (*Mey. Schn. Kl Br. Heinr.;* iuxta *God.* tamen incertum est, num fratres ex eodem tantum patre nati an etiam uterini fuerint), a qua blasphemia ipsi Pseudoreformatores abhorruissent. Totam quaestionem tractare huius loci non est[1]; pauca dumtaxat adnotamus. Quatuor in Scriptura enumerantur fratres Domini : *Iacobus, Ioseph* (vel Ioses), *Simon, Iudas* (*Matth.* 13,55; *Marc.* 6,3). Atqui Iacobum, fratrem Domini, verum et genuinum Apostolum fuisse, evidentissime ex *Gal.* 1,17-19 elucet; idem igitur est, qui in catalogis Apostolorum Iacobus Alphaei filius vocatur (*Matth.* 10,3; *Marc.* 3,18; *Luc.* 6,15), et mater eius fuit Maria Clophae uxor (*Ioan.* 19,25); Clophas enim et Alphaeus duae sunt eiusdem nominis hebraici (חלפי) formae graecae. Porro quoniam Iacobus, frater Domini, in primitiva Ecclesia tamquam primus Ierosolymorum episcopus singulari pollebat auctoritate (*Gal.* 2,9; *Act.* 15,13 etc.) atque inter Iudaeos incredulos quoque propter eminentem sanctitatem famosissimus erat (cfr *Fl. Ios.* Antiqu. XX. 9,1), eius nomine addito non tantum eius mater (Maria Iacobi. *Marc.* 16,1 cfr 15,40) sed etiam unus ex eius fratribus (Iudas Iacobi. *Luc.* 6,16; *Act.* 1,13; *Iud.* 1) ab homonymis distinguebantur. Qui Iudas Iacobi idem est, qui in aliis Apostolorum catalogis Thaddaeus vel Lebbaeus appellatur (*Matth.* 10,3; *Marc.* 3,18; cfr *Ioan.* 14,32); unde duos fratres Domini in collegio Apostolorum fuisse, certissimum est. Iam Simonem Chananaeum quoque vel Zeloten, qui a Luca (6,16; *Act.* 1,13) medius inter Iacobum et Iudam Iacobi ponitur, a Matthaeo (10,3) et Marco (3,18) eis adiungitur, eundem esse censemus, qui a Matthaeo (13,55) tertius et a Marco (6,3) quartus frater Domini nominatur; ipse enim ordo, quo Apostoli enumerantur, huic sententiae favet,

exemplo faciebant. Dominus enim noster more misericordiae suae infirmioribus compatiens, quum ei possent angeli ministrare, et loculos habebat, quo mitteretur pecunia, quae conferebatur a bonis fidelibus eorum victui necessaria... et mulieres voluit, ut se ad praeparanda et ministranda necessaria sequerentur, ostendens, quid evangelistis et ministris Dei, tamquam militibus, a plebibus Dei, tamquam provincialibus, deberetur » etc.

1. Cfr quae de Iacobo, fratre Domini, uberius disserui in mea *Introd. in Nov. Test.* p. 593-601 (*Compend. Introd.* p. 585 sq.).

praesertim quia omnino probabile est, Dominum fratribus suis, ne consanguinitati suam vocationem attribuerent, ultimos locos in Apostolorum collegio assignasse; solus enim post eos nominatur traditor. Itaque tres fratres Domini fuerunt ex duodecim[1]; quo autem consanguinitatis vinculo cum Domino fuerint coniuncti, ex *Ioan.* 19,25, si cum *Matth.* 27,56 et *Marc.* 15,40 confertur, et ex Hegesippi testimonio (*Eus.* H. E. III. 32 cfr III. 11) elucet. Iuxta *Ioan.* 19,25 enim prope crucem Domini steterunt « mater eius, et *soror matris eius Maria Clophae* et Maria Magdalene », iuxta Matth. 27,56 vero inter pias mulieres prope crucem adfuerunt « Maria Magdalene et *Maria Iacobi et Ioseph mater* et mater filiorum Zebedaei », iuxta *Marc.* 15,40 demum « Maria Magdalene et *Maria Iacobi Minoris et Ioseph mater* et Salome ». Mater igitur Iacobi Minoris fuit « Maria, *soror* matris Domini »; soror vocatur non quia iisdem parentibus erat procreata, sed quia uxor erat Clophae, fratris S. Iosephi; nam « Clopham fratrem fuisse Iosephi testatur Hegesippus » (*Eus.* H. E. III. 11), quare Clophas etiam patruus Domini appellatur (*Eus.* H. E. III. 32). Itaque illi, qui fratres Domini appellantur, eius patrueles fuerunt[2].

Alterum suum argumentum Apostolus ex vitae quotidianae similitudinibus desumit: 7. *Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* Apostoli quoque sunt milites, vinitores, pastores; sicut igitur milites manibus suis, ut victum conquirant, laborare non coguntur, sed ab iis, in quorum utilitatem arma gerunt, sustentantur, sicut vinitores aliud opificium non exercent, sed ex vinearum, quas plantant et colunt, fructibus partem suam habent, sicut pastoribus greges ea, quae ad vitam degendam necessaria sunt, suppeditant: ita Apostoli, qui velut milites spirituales ducem suum Christum secuti mundum et principem eius debellant, ut fideles ad salutem adducant, cogi non possunt, ut praeterea etiam victum quotidianum suis manibus quaerant; ecclesiae quoque totidem sunt vineae, quas plantaverunt, coluerunt et colunt, totidem greges, quos pascunt et defendunt,

1. Nullum fratrem Domini inter Apostolos fuisse, adversarii ex *Ioan.* 7,3-7 et *Act.* 1,13. 14. immerito colligunt. Nihil aliud enim ex priore loco sequitur, nisi fratres Domini illo tempore perfectam fidem nondum habuisse; at reliquorum quoque Apostolorum fidem ante Spiritus S. adventum imperfectam fuisse, haud pauca Evangelii testimonia ostendunt (cfr *Matth.* 17,19. 20; *Marc.* 9,18; 10,35; 16,14 etc.). Ex *Act.* 1,13 sq. porro id unum deducitur, *aliquos* fratres Domini non fuisse Apostolos; revera Ioseph (Ioses) inter eos numquam recensetur et praeter eum in coenaculo mariti nazarethani sororum Domini (*Marc.* 6,3) adesse potuerunt.

2. Cfr *Heges.* (apud Euseb. H. E. IV. 22). « Postquam Iacobus Iustus (Iacobus Min., primus Ierosolymorum episcopus) martyrium perinde ac Dominus propter eiusdem doctrinae praedicationem pertulit, rursus Simeon, Clophae patrui Domini filius (Simeon sc. Chananaeus vel Zelotes) episcopus constituitur, cunctis uno consensu secundum (Ierosolymorum) episcopum illum renuntiantibus eo quod frater patruelis (ἀνεψιός) Domini esset ».

ergo etiam ab eis sustententur oportet. Merito *Chrys.* monet, primo exemplo pericula, quibus Apostoli sese continuo exponere debent, altero laborem et defatigationem, qua ecclesias sibi concreditas excolunt novantque, tertio perpetuam curam, qua discipulos erudiunt et instruunt, significari. Observari quoque iubet Apostoli moderationem, qui solas res vitae necessarias, non superfluas, operariis apostolicis concedat : « Neque enim dixit : Quis pugnat et non dives est? sed : quis militat suis stipendiis[1]? Neque dixit : Quis plantat vineam et non colligit aurum aut fructum totum [τὸν καρπόν] non decerpit? sed : *ex fructu eius* non comedit [cfr *VV. LL.*]? Neque tandem : Quis pascit gregem et de agnis non exercet mercaturam? sed : ex lacte eius non comedit? non ex agnis, sed ex lacte, ostendens doctorem parvo solatio contentum esse debere soloque necessario cibo ».

Ex humana sapientia secundum argumentum videbatur desumtum; ne tamen iuxta communem dumtaxat hominum sententiam haec statui putentur, Apostolus ad Scripturam provocat legemque eandem in Vetere Test. iam contineri ostendit : 8. *Numquid secundum hominem haec dico* (λαλῶ, loquor)? *An et lex haec non dicit* (λέγει)? Argumentationi hominis, qui solo rationis lumine dirigitur, revelationem opponi, clarum est; a vero igitur aberrarunt, qui expressionem *secundum hominem* hic de homine corrupto intellexerunt (*Men. Tir. Gord.* etc. « numquid carnali affectu ductus sustentationem operariis deberi assero? »); eodem potius, quo plerumque (15,32; *Gal.* 3,15; *Rom.* 3,5) sensu expressio est adhibita (*cfr ad* 3,3). « Si cui humana videtur haec ratiocinatio, audiat legem aperte dicentem » (*Theod.*) : 9. *Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti*[2] ». Quae verba ex *Deut.* 25,4 iuxta Alex. desumta et hebraico textui plane consona ita explicat, ut Deo in hac lege ferenda eum fuisse finem insinuet, operarium mercede sua esse dignum (*cfr* 1 *Tim.* 5,18) : *Numquid de bobus cura est Deo?* Interrogatio, quae ne-

1. Vocabulum ὀψωνίου, quo Apostolus utitur, proxime annonam significat, quae militibus in singulos menses tribuebatur, et a Suida definitur ἡ ἀφωρισμένη τροφή.

2. Variis modis Israelitae olim, uti alii populi orientales hodie quoque, frumentum terebant. Ut pauperes omittamus, qui baculis aut fustibus paucas suas spicas excutiebant (*Iudic.* 6,11; *Ruth* 2,17), divites pecudibus ac maxime bobus ad fruges deterendas utebantur; atque interdum quidem manipuli in area pavita extensi pedibus aliquot boum iunctorum et in gyrum actorum conculcabantur, interdum iumentis iunctis et tribulo grana e spicis exterebantur. Avari vero, ne quid boves comederent neve comedendo lentiores incederent, camo vel capistro eorum ora ligare (κημοῦν, φιμοῦν) solebant aut aliis mediis adhibitis eos ne quid comederent prohibebant. Iam lege lata Deus ne boum ora alligarentur vetuit; in antiquis Aegyptiorum imaginibus quoque boves triturantes nec camo nec capistro sunt ligati (cfr *Fillion* Atlas archéol. de la Bible. Tabl. 26. 27; de variis triturandi modis, qui etiam pro frumentorum diversitate diversi erant, cfr *Is.* 28,27 sq.).

gativum responsum postulat, si verba urgentur, divinam de animalibus providentiam videtur negare; at quo sensu intelligatur oporteat, contextus clare docet. Neque enim de generali providentia agitur, qua Deus omnes etiam minimas res curat et ad fines eis propositos adducit, sed de speciali illa, qua creaturae rationales etiam positivis legibus ad fines suos diriguntur. Id igitur vult Paulus, legem hanc non propter boves, sed propter Iudaeos esse latam, cum nimirum in finem, ut Iudaei non tantum discerent, quanta cum sollicitudine animalia ipsa, quorum opera utebantur, essent tractanda, sed ut simul ex ea concluderent, multo magis homines pro iis laborantes mercede sua esse dignos[1].

Hinc alterum interrogationis membrum addit Apostolus, quo verum legis finem indicat : 10. *An propter nos utique hoc dicit?* Oppositio inter duo membra (numquid de bobus cura est Deo? propter nos hoc dicit?) evidentissime demonstrat, pronomine *nos* non solos Apostolos aut operarios evangelicos, id quod cum *Chrys.* etiam recentiores non pauci (*Est. Lap.* etc.) et moderni (acath. *Mey. Heinr.* etc.) censent, sed omnes homines designari, quorum gratia leges omnes latae sunt. Affirmativum responsum exspectari, per se iam clarum est et inserto *utique* (πάντως) extra controversiam ponitur; « neque enim sine causa illud πάντως posuit, ne auditori vel tantillum contradicere liceret » (*Chrys.*); quodsi cum aliis adverbium istud explices *in universum* vel *per omnia*, sensus parum mutatur; sed prior explicatio aptior est, quia non de variis rebus, quae hoc praecepto contineantur, Apostolus loquitur.

Affirmatione igitur supposita finem sensumque legis statim explicat : *nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat* (arator) *arare et qui triturat* (triturator) *in spe fructus percipiendi* (lege : *participandi*, μετέχειν) triturare. Coniunctio *quoniam* (ὅτι) sequentem sententiam non velut alterius verba inducit (ea ex apocrypho quodam esse desumta, somniarunt aliqui acath. *Rück. Ew.*), neque est causalis quae praecedentis sententiae rationem afferat (*Est.* etc., *Bisp.* —

1. Cfr *Chrys.* : « Boves ergo non curat, quaeso te, Deus? Curat utique, sed non ita, ut de ea re legem tulerit. Quapropter nisi magnum quid subindicaret, Iudaeos per bruta ad benignitatem exercens atque etiam illos per haec de doctoribus alloquens, non tale suscepisset studium, ut legem scriberet de bobus camo non ligandis ». Atque *S. Aug.* (In Ps. 145,13) : « Non hoc curat Deus monere, quid agas cum bobus; habet hoc natura ipsa humana. Sic factus est homo, ut norit consulere iumentis suis; nec inde praecepta a Deo accepit, sed insinuatum est illi in mentem a Deo, ut possit et sine praecepto [positivo] facere; fecit illum talem Deus. Sed quomodo regit pecudes, regendus est ab alio; ab eo, a quo regitur, praeceptum accepit. Ad praecepti ergo tenorem non est de bobus cura Deo; ad providentiam universitatis, qua creavit omnia et mundum regit, *homines et iumenta salvos facies, Domine*... Quod ergo ad dandam legem attinet, de bobus cura Deo non est ».

God. etc.) aut novum argumentum praecedentibus addat (*Lap.* etc.), neque epexegetica, quae praecedens *propter nos* explicet (*M Ev.* — *Mey. Heinr.* etc.), sed declarativa, quae a verbo ἐγράφη dependens sensum verborum in Deuteronomio scriptorum introducit (*Chrys.* etc., *Iust.* etc., *Mai.* — *Goeb.* etc.) : « nam propter nos scriptum est, debere in spe aratorem arare et trituratorem triturare ». Porro attende, de praecepto legis agi, illud *debere* (ὀφείλειν) igitur non tam aratorem et trituratorem attingere, quam agri et segetis dominum, qui operariis debitam mercedem dare debet, ut illi *in spe* operam suam praestare possint. Conclusione igitur a minore ad maius ducta Apostolus hunc sensum ex deuteronomicis verbis collegit; quo obvio consectario non contentus ad altiora assurgit et simili argumentatione illa, quae de vulgaribus aratoribus et trituratoribus dicta sunt, in se suosque socios transfert, qui Domini agrum arant Dominique segetem triturant : **11.** *Si nos* (apostolici operarii) *vobis* (fidelibus) *spiritualia seminavimus,* (num) *magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Similitudinem aliquantulum mutat Apostolus; seminantes enim aratoribus *et* trituratoribus respondent, metentes autem illis, qui laborum suorum fructum iam percipiunt. Operarii apostolici spiritualia seminant, doctrinam propagantes evangelicam, ex qua, si fide recepta fuerit, velut ex semine ditissima omnium aliorum bonorum spiritualium messis exoritur; metunt vero, i. e. velut fructum et mercedem laborum suorum percipiunt, carnalia, alimenta scilicet aliaque quae ad praesentem hanc vitam degendam necessaria sunt. Iure merito igitur non magnum esse dicitur, quod fideles Apostolis rependunt; agricolae enim multo plures eiusdem generis fruges percipere solent, quam quas seminaverunt, dum apostolici operarii seminibus suis et longe inferiores et pauciores fructus percipiunt : pro uberrima spiritualium bonorum segete pauca subsidia carnalia (cfr *Chrys. Theod.* etc.).

Ne Apostolus divinam de animalibus providentiam negare videatur (*v.* 9.), haud pauci interpretes eius verba ita mitigare conantur, ut verbulo quodam inserto ea restringant (*Cagn. Sa* « cura praecipua », *Lap. Men. Nat.* etc., *M Ev.* etc.; — ex acath. *Rück. Thol.* etc.); at id nec apte nec recte fieri arbitror[1]. Neque rectius aliqui multiplicem verborum istorum sensum literalem statuunt, ut et de bobus et de hominibus sint intelligenda (*Mar.* — etc.); nam de bobus vel potius boum gratia legem illam latam esse diserte negat Paulus. Parum apte quoque alii typicum

1. Absurdissime explicat *Lutherus,* « Deum omnium quidem rerum curam habere, sed non curasse, ut bobus scriberetur, *quia legere non possent* »; ridicule igitur censere videtur, totam argumentationis vim in illo « *scriptum est* in lege Moysi » sitam esse. Nihilominus ingenuam et lepidam esse illam interpretationem dicunt aliqui acatholici (*Mey. Heinr.* etc.); quid dixissent, si in catholico aliquo commentario eiusmodi ineptias invenissent?

sensum hic admittunt, ac si boves triturantes essent typi operariorum apostolicorum (*Lap. Men. Nat.* etc.); etenim quomodo boves, quorum curam Deus non habet, operariorum possunt esse typi? Neque satis recte *Chrys.*, quem haud pauci sequuntur, Apostolum immediate a bobus triturantibus ad Apostolos concludere censet; arctior enim esset haec verborum explicatio, atque nexus huius argumenti cum praecedente (*v.* 7) de veris aratoribus et trituratoribus in *v.* 10. cogitare nos iubet. Multo longius a vero aberrant acatholici haud pauci, qui Paulum sensu literali neglecto allegoricam verborum explicationem tradere contendunt (*Mey. Heinr.* etc.), at interpretes illi inter allegoricam accommodationem et inter legitima sententiae alicuius consectaria non distinguunt.

Uti tertium cum secundo, ita cum tertio quartum argumentum arcte cohaeret, quippe quod eius sit confirmatio quaedam; se enim suosque socios cum aliis doctoribus, quos neophyti corinthii revera sustentabant, et cum sacris ministris comparat. 12. *Si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos?* Vocabulum ἐξουσίας, quo Paulus utitur, apud profanos auctores haud raro *facultates* vel *opes* significat, atque eandem significationem ei nostro in loco satis multi attribuunt (si alii opum vestrarum participes sunt); aptam per se esse hanc explicationem non negamus, sed monemus in hoc eodem contextu vocabulum quater sensu *potestatis* usurpari (*vv.* 4. 5. 6. 18) nec ullo in loco Novi Test., quamvis frequenter adhibeatur, priorem significationem admittere. Ἡ ὑμῶν ἐξουσία igitur recte explicatur potestas de vobis disponendi; quae dispositio contextu ad sustentationem postulandam restringitur. Num *alii,* quibus Corinthii hanc de se disponendi facultatem concedebant, sint pseudapostoli, id quod cum *Chrys. Theod.* aliisque Graecis etiam multi Latini (*A^{ter}, Prim.* etc., *Thom.* etc., *Est.* etc., *Bisp.*) censent, non plane liquet; rectius tamen genuinos doctores, uti Apollo etc., intelligi arbitramur, quia in tota hac epistola Paulus de pseudapostolis nondum agit. Quidquid est, conclusio semper a minore ad maius erit; quod si operariis secundariis sustentationis postulandae ius concedebant Corinthii, illud primario suo Apostolo, Paulo eiusque sociis, negare non poterant.

Iam libertate styli epistolaris utens Apostolus confirmationem Maioris suae interrumpit, ut Minorem argumenti quasi parenthetice inserat, quam infra (*v.* 15 sqq.) accuratius exponet: *Sed non usi sumus hac potestate* de vobis disponendi et sustentationis a vobis expetendae; *sed omnia sustinemus* molestiis quibuscumque spretis, *ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.* Ut maius igitur bonum assequeretur atque impedimentum, quod propagationi Evangelii sese opponere potuit, removeret, iuri, quod sibi competere certis argumentis iam probavit, Apostolus renunciavit; quare Corinthiis illis, qui scandalo infirmorum suorum fratrum non attento idolothytorum come-

dendorum iure uti volebant, sese velut exemplar imitandum merito proposuit. Porro ethnici, si Apostolos per integras provincias continuo circumvagari omnibusque in civitatibus a neophytis, quibus praedicabant, sustentari videbant, offendi facile potuerunt, ut eos velut homines pigros et avaros despicerent, qui ex Evangelio facilem cibum quaestumque captarent; quin etiam in neophytorum offensionem incurrere potuerunt, qui, quum plerique essent pauperes, sustentatione operariorum apostolicorum forte gravabantur. Altera vero ex parte ethnici, si Apostolos nocte et die, ne quem discipulum gravarent, operari suisque manibus victum quotidianum sibi conquirere videbant, eos admirari cogebantur velut viros, qui neophytorum non divitias sed animas lucrari studerent (cfr 1 *Thess.* 2,5 sqq.; 2 *Thess.* 3,7 sqq.; 2 *Cor.* 12,14 etc.). Verumtamen cave, ne alios Apostolos, qui cum Petro alteram agendi methodum tenebant, Evangelio Christi offendiculum dedisse putes; alia enim, uti supra (*ad v.* 5) monuimus, fuit Apostolorum inter Iudaeos laborantium conditio, alia conditio Pauli sociorumque inter ethnicos Evangelium propagantium.

Ab hac brevi interruptione Apostolus ad quartum argumentum, quod inchoaverat, reversus illud alio modo proponit ad sacerdotes sacrosque ministros appellans : 13. *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur* (οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, qui sacra operantur, vel : qui in sacris operandis versantur) *quae de sacrario sunt* (ἐκ τοῦ ἱεροῦ, e sacrario vel templo) *edunt, et qui altari deserviunt* (οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ παρεδρεύοντες vel προσεδρεύοντες, altari continuo assidentes) *cum altari participant* (συμμερίζονται τῷ θυσιαστηρίῳ cum altari dividunt, ita ut partem altare, partem assidentes accipiant [1])? Magnus est interpretum dissensus in distinguendis illis *qui sacra operantur* ab illis *qui altari assident* vel *deserviunt.* Iuxta alios priore membro ethnicorum, altero Iudaeorum sacerdotes designantur (*A^ler*, *Rhab. Lomb. Iust.* etc.); at de ethnicis sacrificulis Paulum hic cogitasse vel ideo est improbabile, quia τὸ ἱερόν et τὸ θυσιαστήριον ei solum templum et altare veri Dei esse potuerunt. Graeci priore membro levitas, altero sacerdotes Iudaeorum (*Chrys. Oec. Theoph.*), alii contra priore sacerdotes, altero levitas (*Cai.* etc., *M Ev.*), alii priore artifices, altero sacerdotes et levitas (*Herv. Thom. Dion.* etc.), alii priore sacerdotes et levitas, altero solos sacerdotes (*Mai.* etc.; — *God.* etc.) intelligi ma-

1. Simili fere sensu, quo συμμερίζεσθαι etiam adhibetur verbum μετέχειν *cfr v.* 12. μετέχειν τῆς ἐξουσίας (participes esse potestatis), 10,21 μετέχειν τραπέζης κυρίου (mensae Domini participes esse); nec multum differt locutio κοινωνοὺς εἶναι *cfr* 10,18 κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσίν (socii altaris sunt), 10,20 κοινωνοὶ τῶν δαιμονίων (socii daemoniorum) etc., licet haec internam societatem et amicitiam simul exprimere videatur.

lunt. Qui dissensus certam distinctionem fieri non posse, satis ostendit, ita ut utroque membro aut sacerdotes levitaeque iudaici (*Est.* Lap. etc., *Bisp.* etc.) aut soli sacerdotes (*Theod.* etc. — *Mey.* etc.) significari rectius dicantur. Omnes enim, licet non eodem modo, in sacris operandis altarique deserviendo erant occupati, atque omnes quoque e templo revera vivebant, quum non tantum aut sacrificiorum aut aliarum oblationum (decimarum etc.) suam haberent partem, sed iuxta Legem etiam aliam haereditatem praeter ea non possidebant, quae ob sacra eorum ministeria illis erant attributa. Nihilominus *cum altari dividebant* soli sacerdotes, quare de his procul dubio Apostolus maxime cogitavit, quum et alibi apostolicum ministerium cum sacerdotali comparet vel potius ei aequiparet. Eam enim gratiam a Deo se accepisse dicit, « ut esset minister (rectius : sacerdos, λειτουργός) Christi Iesu in gentibus, sanctificans (ἱερουργῶν velut sacerdos administrans) Evangelium, ut fieret oblatio gentium accepta » i. e. ut gentes Evangelio recepto fierent oblatio Deo grata (*Rom.* 15,15; cfr *Phil.* 2,17).

Ultimum demum adiungit argumentum, quo tota quaestio definitur : 14. *Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Eadem ratione, qua sacerdotes de templo, Dominus operarios apostolicos de Evangelio vivere voluit (cfr *Matth.* 10,10 sq.; *Luc.* 10,7), quia dignus est operarius cibo suo. Sed considera, verba Domini, ad quae Paulus alludit, non tam praeceptum continere, cui Apostoli obedire tenebantur, quam facultatem, qua uti poterant; praeceptum tamen quoddam continent fidelibus impositum, siquidem accipiendi facultas Apostolis data supponit, obligatos esse fideles ad magistros suos sustentandos. Recte vero interpretes graeci ad verba *de Evangelio vivere* attendere nos iubent, quippe quae non sint eadem ac *de Evangelio ditari* nec quidquam praeter ea, quae vitae sunt necessaria, a fidelibus iure postulari insinuent.

Bene *Chrys.* haec verba (13. 14) perpendit : « Considera in hac re prudentiam Pauli, quam decore et quam magnifice eam commemoret. Neque enim dixit : *Qui sacra operantur* ab offerentibus accipiunt, sed quid? *de templo edunt*, ut nec accipientes probro afficiantur, nec qui dant, extollantur et superbiant. Neque etiam dixit : *Qui altari assidet* ab immolantibus accipit, sed *cum altari participat;* nam quae oblata sunt, non amplius sunt offerentium, sed templi et altaris (vel ipsius Dei, cui sunt oblata). Nec dixit : sacra accipiunt, sed *de sacrario edunt*, rursus moderationem ostendens, siquidem pecunias colligere aut ditari non oportet. Si autem dicit *cum altari participant*, non aequalem distributionem intelligit, sed consolationem quae eis iuxta eorum necessitatem debetur... *Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere;* iterum non dixit : ab homini-

bus ali, sed sicut in sacerdotibus : *de templo* et *de altari*, ita hic : *de Evangelio*, et sicut illuc : *edere*, ita hic : *vivere* ».

2.) *Paulus iure suo nec utitur nec uti vult, ut maiorem perfectionem assequatur* (9,15-18).

9,15. *Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi haec, ut ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* 16. *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit : vae enim mihi est, si non evangelizavero.* 17. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est.* 18. *Quae est ergo merces mea? Ut evangelium praedicans, sine sumtu ponam evangelium, ut non abutar potestate mea in evangelio.*

9,15. ἐγὼ δὲ οὐ κέχρημαι οὐδενὶ τούτων· οὐκ ἔγραψα δὲ ταῦτα, ἵνα οὕτως γένηται ἐν ἐμοί· καλὸν γάρ μοι μᾶλλον ἀποθανεῖν, ἢ τὸ καύχημά μου οὐδεὶς κενώσει. 16. ἐὰν γὰρ εὐαγγελίζωμαι, οὐκ ἔστιν μοι καύχημα· ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται· οὐαὶ γάρ μοί ἐστιν, ἐὰν μὴ εὐαγγελίσωμαι. 17. εἰ γὰρ ἑκὼν τοῦτο πράσσω, μισθὸν ἔχω· εἰ δὲ ἄκων, οἰκονομίαν πεπίστευμαι. 18. τίς οὖν μοί ἐστιν ὁ μισθός; ἵνα εὐαγγελιζόμενος ἀδάπανον θήσω τὸ εὐαγγέλιον, εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι τῇ ἐξουσίᾳ μου ἐν τῷ εὐαγγελίῳ [1].

Accurate et solide demonstrata Maiore Apostolus ad argumenti sui Minorem transiens sese potestate, quae ei competit, nec usum nec usurum esse asserit, ne gloriam suam amittat (*v.* 15.). Quae explicans ostendit, gloriam suam in eo esse sitam, ut aliquid faciens, quod stricto praecepto ei non est impositum, specialem sibi mercedem acquirat (16. 17.); et opus hoc supererogatorium esse *gratuitam* Evangelii praedicationem (*v.* 18).

Hucusque omnium operariorum apostolicorum ius ad sustentationem accipiendam vindicans Apostolus plurali numero usus est (*v.* 4-14); sed in Minore rationem explicans, ob quam ipse iuri huic renuntiaverit, de se solo loqui coactus singularem numerum adhibet : 15. *Ego autem nullo horum usus sum.* Sensus obvius videtur esse : « nullo horum, quae sustentationis accipiendae facultate continentur, usus sum nec victum nec commeatum nec vestitum nec quidquam aliud accipiens »; atque hanc interpretationem, cui *Act.* 20,34 (ταῖς χρείαις

1. *VV. LL.* — 15. ἢ τὸ καύχημά μου οὐδεὶς κενώσει. Hanc lectionem ob auctoritatem B ℵ D paucorumque aliorum codd. et verss. *Sah.* et *Bashm.* moderni critici plerique praeferunt; praeferenda tamen est altera : ἢ τὸ καύχημά μου ἵνα τις κενώσει vel κενώσῃ (quam gloriam meam ut quis evacuet) C K L P, plerique minusc., PP. et verss. De prioris lectionis explicatione varia *cfr* Comment. — 16. οὐκ ἔστιν μοι καύχημα (*non est mihi gloria*) lectio communis et retinenda contra χάρις (gratia cfr *Luc.* 6,32 sqq.) ℵ D E F G et aliqui codd. Italae. — οὐαὶ γάρ μοί ἐστιν (*vae enim mihi est*) B ℵ A C D E F G P, cum nonnullis minusc., antiquioribus PP, *It. Vulg. Copt.*; praeferenda lectioni *textus rec.* : οὐαὶ δέ μοί ἐστιν (vae *autem* mihi est) cum K L, plerisque minusc., *Syr. Aeth. Arm.*

μου... ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται) favet, cum *Theod.* aliqui moderni praeferunt (*Mai. Bisp*[1]. *LR. Ramb.* — *Mey. Kl Br.* etc.). Rectius tamen, si ad immediate sequentem sententiam attenditur, cum *Chrys.* longe plerique varia illa argumenta intelligunt, quibus Paulus illud ius extra controversiam posuit[1], sed quorum nullo usus est, ut sibi sustentationem vindicaret (*Oec. Theoph. Herv. Thom. Dion. Cai. Iust. Est. Nat.* etc. *M Ev. Bisp*[2]. — *God. Heinr. Goeb.*) Praecavens enim, ne quis illa iam nunc a se allata esse putet, quia illis in posterum uti suumque agendi modum mutare velit, pergit : *Non autem scripsi haec* (sc. argumenta), *ut ita fiant in me;* lege : *ut ita fiat* (γένηται) *in me*, sicut nimirum iuxta illa fieri debet; tantum enim abest, ut haec sit eius intentio, ut mori quam a fidelibus sustentari malit, quia maius, ad quod anhelat, bonum amittere non vult : *bonum enim est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Reliquos doctores corinthios atque alios quoque Apostolos in eo superat, quod Evangelium sine cuiuspiam onere annuntiat; haec igitur est res, de qua gloriari potest (καύχημα materia gloriandi), quamque tanti facit, ut mortem ipsam exinanitioni eius vel amissioni praeferat; cur vero tanti eam faciat, statim dicet.

Graeca antiquiorum codicum (B ℵ D) lectio (καλὸν γάρ μοι μᾶλλον ἀποθανεῖν ἢ τὸ καύχημά μου οὐδεὶς κενώσει) vario modo explicatur. Alii aposiopesin admittentes aut post ἢ aut post τὸ καύχημά μου phrasin interrumpunt (« Bonum mihi esset potius mori, quam! [sc. ab ecclesiis sustentari]. Nemo gloriam meam evacuabit ». — « Bonum mihi esset potius mori, quam gloriam meam! [sc. amittere]. Nemo eam evacuabit »). Alii particulam ἢ non pro comparativa (*quam*) sed pro disiunctiva (*aut*) habent et ita explicant : « Bonum mihi esset potius mori, aut (sc. si non moriar) nemo gloriam meam evacuabit ». Quae constructiones omnes non tantum sunt contortae nec ullo simili exemplo Scripturarum confirmantur, sed sensum quoque parum aptum exhibent. Auctoritas vero paucorum istorum codicum tanta non est, ut alios omnes una cum versionibus longe plerisque relinquamus. Aptam tamen constructionem et explicationem praebet lectio *Atri*, qui omissa comparationis particula (ἢ) habet : « bonum est enim mihi magis mori; nemo gloriam meam evacuabit »; ad eundem fere sensum pervenit *Lachm.* pro ἢ legens νή (*profecto*); sed superfluae sunt coniecturae, quum textus receptus versionibus confirmatus pro certo et indubitato admitti possit.

Quae igitur sit eius gloria vel potius gloriandi materia (καύχημα) et cur illam tanti faciat, iam exponit : 16. *Nam si evangelizavero* (lege :

1. *Chrys.* : « Horum : quorum? Multorum argumentorum; quum enim multa mihi sustentationis potestatem praeberent, miles, agricola, pastor, operarii apostolici, lex, ea quae a nobis vobis praestantur eaque, quae vos in alios impenditis, sacerdotes, praeceptum Christi : nulli horum obtemperavi, ut legem meam abrogarem et a vobis quidquam acciperem ».

evangelizo), *non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit : vae enim mihi est, si non evangelizavero.* Gravi praecepto Paulus ad praedicationem Evangelii obligatus erat (*cfr* 1,17; *Rom.* 1,14; *Act.* 26,16 sqq.; 22,21 etc.), ita ut poenam sibi attraxisset, si ab ea abstinere voluisset. Quapropter etiam de sola praedicatione non magis gloriari ei licuit, quam servo, qui opus exsequitur, quod sub gravis poenae denuntiatione ab hero ei iniunctum est. « Quum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus » (*Luc.* 17,10). Egregie in nostrum locum *Cai.* : « Si vis penetrare haec, considera in ministro duo operum genera, alterum ad quod tenetur, alterum ad quod non tenetur, sed quod sponte superaddit intuitu domini. Et quum perspexeris, quod ex his operibus, ad quae tenetur minister, non debetur ei nova merces nec habet, unde glorietur, sed tantum quod debuit fecit, quod ex iis vero, quae sponte supererogavit, habet unde glorietur et nova ei debetur merces : facile intelliges ea, quae hic dicit Paulus ». Haud immerito itaque, si solus sensus attenditur, *gloria* hic explicatur « supererogationis praemium » (*Thom.*), quatenus de tali praemio, utpote extraordinario, homo gloriari potest, non in se utique, id quod per se patet, sed in Deo, cuius gratiae hoc quoque debetur.

Revera Apostolus opera supererogatoria eorumque mercedem operibus, quae ex praecepto fiunt, opponit atque hac ratione praecedentem sententiam explicat et demonstrat : 17. *Si enim volens* (ἑκών) *hoc ago, mercedem habeo, si autem invitus* (ἄκων), *dispensatio* (οἰκονομία administratio *cfr ad* 4,1) *mihi concredita est.* Eo tendit Apostolus, uti ex toto contextu elucet, ut non ob praedicationem, sed ob *gratuitam* praedicationem gloriari sibi licere ostendat. Quare inter opera imperata et inter opera spontanea distinguit; priora non carere mercede sua, quum omnibus notum sit, non commemorat; sed speciali mercede, de qua aliquis iure gloriatur, illud solum opus dignum esse asserit, quod aliquis sponte sine ullo praecepto exsequitur. Ut aliquis vitam aeternam ingrediatur, *mandata* divina observet necesse est; at qui divina *consilia* sequitur, is perfectus erit habebitque thesaurum repositum in coelo (*cfr Mald.* ad *Matth.* 19,17 sqq.). Itaque Apostolo *volens* s. spontaneus (ἑκών) hoc loco ille est, qui non iussus, motu proprio, bonum opus perpetrat, atque hic mercedem non qualemlibet aut communem, sed singularem et extraordinariam obtinebit; *invitus* (ἄκων) vero, id quod ex oppositione apparet, intelligitur ille, cui *necessitas incumbit praecepti*, qui igitur non spontaneus sed praecepto adactus rem imperatam exsequitur, ideoque ad solam mercedem communem ius habet, quae ex promissione et fidelitate Dei cum prae-

cepti impletione coniuncta est; prior, si opus sponte susceptum non exsequitur, singulari quidem mercede carebit, at poenam non luet; sed alter, si opus imperatum non exsequitur, non tantum mercede communi privatur, sed etiam propter inobedientiam reus poenae erit[1]. Hinc elucet, quomodo *v.* 17. sit praecedentis sententiae explicatio et confirmatio. Sola praedicatio Evangelii Paulo non est gloriae, quia praecepto ei imposita non est spontanea nec proin singulari mercede digna; ideo vae ei est, si non evangelizaverit, quia Evangelii praedicatio ei velut *administratio* (οἰκονομία) commissa est, et administrator, qui munus suum non implevit, merito punitur.

Verumtamen Apostolus ad specialem quandam mercedem anhelat, quam certe se obtenturum esse sperat: qua autem ratione eam sibi acquirere studeat, explanare incipit interrogans : 18. *Quae est ergo merces mea?* τίς οὖν μοί ἐστιν ὁ μισθός; quid igitur, quum res ita se habeant, facio, quo singularem illam mercedem (τὸν μισθόν), quem sola praedicatio mea non meretur, obtineam? Atque respondet : *ut Evangelium praedicans sine sumtu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.* Prior particula *ut* est epexegetica atque suppressum pronomen demonstrativum explicat (« hoc, sc. ut Evangelium sine sumtu ponam, faciens illam mercedem mihi acquiro ») ; altera particula *ut non* (εἰς τὸ μή) est consecutiva (*ita ut non*; *cfr* 2 *Cor.* 7,3; 8,6 etc.). Quemadmodum fuse demonstravit (4-14), ad sustentationem ab ecclesiis accipiendam ius habens munere suo apostolico, si velit, sustentatus ab ecclesiis rite fungi potest; at iuri illi renuntians *sine sumtu ponit* (ἀδάπανον τίθησιν i. e. gratuitam facit) evangelicam praedicationem, atque hac ratione spontaneum actum bonum exsequitur, ad quem nullo praecepto adigitur et qui eam ob causam mercede singulari, de qua gloriari potest, est dignus. Ita autem agit, ut potestate sua in Evangelio, i. e. potestate, quam propter evangelicam praedicationem in neophytos relate ad suam sustentationem possidet, non abutatur. *Abuti* (καταχρῆσθαι) a graecis et plerisque latinis interpretibus hic eodem modo quo supra (7,31) non de malo, sed de completo rei alicuius usu recte explicatur; in eo, quod iure suo non complete utens Evangelium gratuito praedicat, stat Apostoli gloria, atque hac spontanea abstinentia mercedem singularem meretur. Unde Corinthii quoque discant oportet, interdum

1. Iure merito similis confertur loquendi modus in *Philem.* 14, ubi Apostolus τὸ ἀγαθὸν τὸ κατὰ ἀνάγκην, i. e. bonum actum, ad quem homo externis adiunctis certo quodam modo obligatur, τῷ ἀγαθῷ ἑκουσίῳ, bono actui spontaneo opponit, ad quem homo a nulla re externa impellitur aut movetur. Priori actui alterum longe praestare, ibidem innuit Paulus.

hominem, ut maius bonum sibi acquirat, illis renuntiare debere, quae per se licita sunt, neque ex sola liceitate res diiudicandas esse et eligendas.

In horum versuum interpretatione Graecos secuti sumus (*Chrys. Theod.* etc.), quibuscum etiam multi Latini (*Thom*[1]. *Cai. Gagn. Salm. Sa, Iust. Lap. Tir. Mai.* etc.) consentiunt. Sed obiicit ***Estius***, qui cum aliis alteram explicationem, de qua statim dicemus, praefert : « Hic commentarius nimium violentus est; nam ut de mercede taceam, quae nusquam eo modo sumitur, ista ratione fatendum esset, omnes Apostolos ***invitos*** Evangelium praedicasse et tam Angelos quam homines ***invitos*** facere, quaecumque ex Dei praecepto faciunt. Quod quidem dicere quam absurdum sit, nemo non videt ». At verbis ludit Estius, quum vocabulo ἄκων sensum hic attribuat, quem nos hic adesse negamus; propter suam enim oppositionem ad ἑκών (*spontaneus*) hoc loco ἄκων (= α priv. et ἑκών) est ***non spontaneus***. Recte *Cai.* et *Salm.* iisdem fere verbis : « Resolvit Apostolus differentiam inter debitum actum et actum supererogationis in propria principia. Et actus quidem supererogatorius principium ponit propriam voluntatem, quae sua sponte iniussa operatur; hoc enim significatur dicendo : ***volens hoc ago***. Et hinc novam deberi mercedem pro tali opere docet; dicendo enim : ***mercedem habeo***, meritum seu ius mercedis significat se habere; et quoniam in textu adiungitur coniunctio ***enim*** (si enim volens hoc ago) significatur, quod ratio redditur praecedentium. Et vere sic est; quoniam ex hoc, quod propria voluntate, non alieno iussu aliquid facimus, supererogationis opus est et novae mercedis, meritorum et gloriationis, materia est. Et ex opposito subiungitur : ***si autem invitus, dispensatio mihi concredita est***. Ecce ex opposito proprium principium actus debiti. Quod dicit : ***invitus ago***, non significat invitum absolute (nam absolute invitus nullus agit, sed patitur), sed significat alieno iussu agentem; et talis appellatur invitus per privationem non voluntatis, sed spontaneae voluntatis; i. e. quod non a se, sed obediens alteri agit; hoc enim directe opponitur ad id quod dixerat : ***sponte ago***. Atque hunc sensum manifeste aperit adiuncta particula : ***dispensatio mihi concredita est***. Hoc enim non sequitur ad invitum absolute, nec ad coactum timore, sed optime sequitur ad non operantem a se : si enim ago et non a me, dispensatio mihi credita est a iubente. Et sub hoc membro comprehendit actum evangelizandi reddens rationem, cur necessitas sibi incumbat » etc. — Quod deinde ***Est.*** praemittit, ***mercedem*** nusquam eo sensu sumi, id difficultatem non creat; ubique enim, quae intelligenda sit merces, contextu definitur; atqui hoc in loco contextus postulat mercedem prorsus singularem et eximiam, de qua homo gloriari potest.

Restat, ut de altera explicatione dicamus, quae *S. **Augustini*** auctoritate nititur. Qui, ut ostendat, Spiritum S. in Ecclesiae ministris ita operari, ut ille, qui non sit fictus, et suam et aliorum salutem promoveat, fictus vero aliis tantum prosit, non sibi ipsi, nostra verba affert et explicat : « Quapropter, inquit, Apostolus ait : *Si enim volens hoc facio*, ***mercedem habeo, si***

autem invitus, dispensatio mihi credita est, id est : illis prodest, quibus hoc dispenso, non mihi, qui fictus sum. Qui enim invitus facit propter commoda gaudiaque carnalia, quae si aliter habere posset, illud desereret, ille utique fictus est. Ideoque non ait : si invitus facio, nihil prosum eis, erga quos facio, sed se tantum a mercede salutis alienat » (c. Parmen. Don. II. 11). Haec Augustini explicatio in *Gl ord.* recepta (velut Glossa, sed non velut Scripturae textus explanatur a *Thom.*) effecit, ut multi latini interpretes illud ***volens*** interpretarentur « libenter, ex animo, cum gaudio », illud ***invitus*** deinde « coactus timore poenae vel motus spe boni alicuius temporalis », ***mercedem*** demum intelligerent praemium, quod operi bono ex iustitia debetur; unde in altero hemistichio poenam aliquam insinuari putarunt (***Herv. Lomb. Dion.*** etc., ***Est. Nat. Calm. M Ev. Bisp. LR. Ramb.***). Ita ***Est.*** : « Si volens, i. e. libenter et ex animo evangelizem, nimirum studens promovere gloriam Christi, mercedem habeo repositam apud Deum. Si vero non ex animo et promta voluntate serviendi gloriae Christi id faciam, sed vel coactus timore poenae vel spectans privata commoda, quemadmodum multi, qui in Evangelio Christi praedicando quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi : nihilominus tamen Evangelii praedicatio mihi commissa est, saltem ut servo, i. e. etiam sic dispensatur per me Evangelium, licet non ad meam, sed ad aliorum tantum utilitatem ». — Quae explicatio in multis videtur peccare; praeprimis enim verbis ipsis non convenit; quomodo enim ***volens*** (ἑκών) potest idem esse, quod « studens promovere gloriam Christi »? et quo cum iure ***invitus*** (ἄκων) dicitur, qui privata commoda suis actionibus quaerit? Haec omnia, uti reliqua, verbis ingeruntur, sed ex eis non eruuntur. Porro nec proximi nec remoti contextus rationem haec explicatio habet; siquidem nec praecedentem sententiam (« si evangelizavero, non est mihi gloria » etc.) demonstrat, nec sequentem (« merces mea est, ut sine sumtu ponam Evangelium ») apte praeparat; atque multo minus intelligitur, cur Apostolus haec attulerit, ut Corinthios illos, qui idola nihil esse sciebant, ab esu idolothytorum retineret.

De acatholicorum interpretatione dicere vix opus est. Plerique moderni vocabula ἑκών et ἄκων eodem fere sensu, quo nos, interpretantur, sed quia verum meritum ac proinde mercedem proprie dictam non admittunt nec quid opus supererogatorium sit, intelligunt, ad genuinum sensum pervenire nequeunt. Solus *Baur* de opere supererogatorio hic agi agnovit, sed Apostolum hanc doctrinam ex antiquo suo pharisaismo desumsisse stultissime putavit. — Ut opera supererogatoria removeret, ***Mey.*** erronee statuit, Paulum, quia non voluntarius apostolatum suscepisset, ob praedicatum Evangelium mercedem apostolicorum operariorum accipere non potuisse ideoque eum a sustentatione abstinere voluisse, ut hac ratione mercedem apostolicam sibi acquireret; hinc etiam ultimam sententiam prorsus erronee et contorte explicat; censet enim, interrogationem : ***Quae igitur est merces mea?*** negativum responsum postulare : ***nulla omnino***, atque reliquis verbis deinde hunc sensum attribuit : « hoc a Deo eum in finem est ordi-

natum, ut sine sumtu Evangelium ponam atque hac ratione mercedem mihi acquiram ». — A vero alii aberrant, qui mercedem nihil aliud putant esse, nisi conscientiam bonae actionis (*Heinr.*), aut ipsum Evangelii profectum, qui ob gratuitam eius praedicationem maior sit (*God.*) etc. Quae omnia non ad exegesin, sed ad praeiudicia protestantica pertinent.

2. *Apostolus, ut salutem suam securius obtineret, omnium servus factus* (9,19-23).

9,19. *Nam quum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.* 20. *Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer :* 21. *iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (quum ipse non essem sub lege), ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem; iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem (quum sine lege Dei non essem : sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant.* 22. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* 23. *Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps eius efficiar.*

9,19. ἐλεύθερος γὰρ ὢν ἐκ πάντων πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα, ἵνα τοὺς πλείονας κερδήσω. 20. καὶ ἐγενόμην τοῖς Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος, ἵνα Ἰουδαίους κερδήσω· τοῖς ὑπὸ νόμον ὡς ὑπὸ νόμον, μὴ ὢν αὐτὸς ὑπὸ νόμον, ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον κερδήσω. 21. τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος, μὴ ὢν ἄνομος Θεοῦ ἀλλ' ἔννομος Χριστοῦ, ἵνα κερδάνω τοὺς ἀνόμους· 22. ἐγενόμην τοῖς ἀσθενέσιν ἀσθενής, ἵνα τοὺς ἀσθενεῖς κερδήσω· τοῖς πᾶσιν γέγονα πάντα, ἵνα πάντως τινὰς σώσω. 23. πάντα δὲ ποιῶ διὰ τὸ εὐαγγέλιον, ἵνα συγκοινωνὸς αὐτοῦ γένωμαι[1].

Duas ob rationes apostolico sustentationis privilegio se usum non esse, hucusque ostendit Apostolus : neque enim Evangelii propagationi offendiculum obiicere (*v.* 12) voluerat atque opere supererogatorio splendidiorem sibi mercedem acquirere studuerat (*v.* 15 sqq.). Suo igitur exemplo duas causas indicaverat, quibus, ut ab idolothytorum usu, etsi per se licitum eum haberent, abstinerent, Corinthii permoveri potuerunt. Quam doctrinam confirmaturus ulterius progre-

1. *VV. LL.* — 21. μὴ ὢν αὐτὸς ὑπὸ νόμον (*quum ipse non essem sub lege*) B ℵ A C D E F G P, haud pauci minusc., *It. Vulg. Sah. Syr.* (codd.) *Arm. Goth.* etc.; male hoc membrum omittitur a *textu rec.* cum K et plerisque minusc., *Syr.* (codd.) *Memph. Aeth.*; est error ex homoioteleuto exortus. — ἄνομος Θεοῦ ἀλλ' ἔννομος Χριστοῦ (exlex Dei sed illex Christi, vel melius : *sine lege Dei sed in lege Christi*) B ℵ A C D F G P, aliqui minusc. *It. Vulg. Syr. Memph. Goth.*; minus apte *textus rec.* legit dativ. Θεῷ et Χριστῷ cum K L, plerisque minusc., *Sah. Arm.* — 22. τοῖς ἀσθενέσιν ἀσθενής (*infirmis infirmus*) B ℵ A, *It. Vulg.*; sed C D E F G K L P, omnes fere minusc. et reliquae versiones inserunt ὡς (infirmis *tamquam* infirmus); differentia non est magna; sed particula rectius videtur inseri. — πάντως τινάς (omnino aliquos) est communis fere lectio codd. graec. et verss.; sed cum *It. Vulg.* etiam codd. graecolatini D E F G et pauci PP. graeci legunt πάντας (*omnes*); *cfr* Comment. — 23. πάντα δὲ ποιῶ (*omnia autem facio*) B ℵ A C D E F G P, pauci minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.*; minus apte *textus rec.* : τοῦτο δὲ ποιῶ (hoc autem facio) cum K L, plerisque minusc., *Syr. Goth.*

diens nunc docet, se non in sola sustentatione sed in tota sua vita apostolica eandem semper tenuisse rationem agendi. Itaque brevi conspectu eis ostendit, quomodo libertati suae omnimodae, quam nemo ei negare potuit (*cfr v.* 1.), renuntians omnium servus factus sit (*v.* 19) omnibusque quum Iudaeis, tum ethnicis, tum infirmis Christianis sese accommodaverit, ut omnes Christo lucraretur (20-22), atque ita ipse quoque praemiorum evangelicorum particeps fieret (*v.* 23). Vere praeclaro modo paucis his versibus insatiabilem suum animarum zelum ardentemque omnium hominum amorem prodit, qui nihil non molitur, ut Christo quam plurimos asseclas adducat. Quantopere splendidum hoc exemplum Corinthios illos confundebat, qui ob idolothytorum usum fratres suos perdere non verebantur! Quantum quoque exemplum omnibus sacerdotibus, quibus cunctis munus et officium lucrandorum fratrum est impositum!

Pro more suo in ultimis praecedentis pericopae verbis novam hanc expositionem iam praeparavit Apostolus; se enim potestate sua in Evangelio plene usum non esse asserens non de solo sustentationis iure loqui voluerat, sed potestatem illam latiore sensu intellexerat, ita ut omnimodam quoque, quae Apostolis competebat, in propagando Evangelio libertatem comprehenderet. Itaque ut assertum istud confirmet, novam hanc expositionem affert : 19. *Nam quum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures* (τοὺς πλείονας) *lucrifacerem.* Tamquam legati divini in apostolico suo munere Apostoli *liberi ex omnibus* i. e. « nulli homini in ulla re subiecti » (*Chrys.*) erant, ut non tantum ubicumque et quibuscumque volebant praedicare liberi possent, sed eam quoque, quam volebant, agendi et vivendi rationem eligerent. At etiam huic libertati Paulus ita renuntiavit, ut non unius vel alterius, sed *omnium servum* se fecerit, omnibus nimirum, quibus praedicavit, eadem ratione, qua servus hero suo, sese accommodans. Qua in renuntiatione eum solum finem habuit, ut *plures* (τοὺς πλείονας i. e. non plures, quam alii lucrati sint, aut plures, quam alio modo agens ipse lucratus esset, aut indeterminate quam plurimos, sed determinate « maiorem omnium illorum, quorum servus factus est, numerum ») *lucrifaceret*, ad Christum nimirum adduceret (*cfr* 1 *Petr.* 3,1) et ita salvos faceret (*cfr v.* 22).

Quomodo omnium servus factus sit et qua ratione omnibus sese accommodaverit, uberius explicat tribus distinctis classibus : Iudaeis, ethnicis, infirmis Christianis. 20. *Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer,* 21. *iis qui sub lege erant, quasi sub lege essem* (*quum ipse non essem sub lege*), *ut eos qui sub lege erant lucrifacerem.* Antiqui interpretes fere omnes duobus his membris duas

classes distingui arbitrabantur, sc. priore membro Iudaeos et altero aut proselytos iudaicos (*Chrys*[2]. etc.), aut Iudaeochristianos qui legem retinuerant (*Theod.* etc.), aut Samaritanos (*A^{tr}, Pel. Gl ord. Herv. Lomb. Thom.*), quibus aliqui Sadducaeos addunt (*Lyr. Dion.*). Rectius tamen recentiores unam solam classem cum *Chrys*[1]. indicari censent, quum secunda descriptione (*v.* 21) nomen Iudaeorum (*v.* 20) explicetur. Neque enim Iudaeochristiani intelligendi sunt (*Est.* etc.), siquidem Apostolus de eiusmodi hominibus loquitur, quos accommodatione sua Christo lucrari voluit, sed Iudaei nondum conversi. Iamvero aliquid miri in eo erat quod se ipsum, qui Iudaeus genere erat, Iudaeum se fecisse diceret; nam nomine Iudaeorum proxime gens et indirecte tantum religio significatur; itaque quo sensu appellatio Iudaeorum sumenda esset, altero membro addito explicavit; *sub lege* (mosaica) enim omnes sunt, qui iudaicam religionem sectantur, sive genere sunt israelitico sive proselyti. Iudaeis incredulis igitur factus est tamquam Iudaeus, quando eorum moribus, ritibus, dicendi modo sese accommodavit, quando Timotheum circumcidit propter Iudaeos, inter quos illo tempore laborabat (*Act.* 16,3), quando in templo ierosolymitano votum persolvit, ut discessionem a Moyse se non docere ostenderet (*Act.* 21,18 sqq.; 24,17) etc. Quae omnia fecit, quamvis *sub lege ipse non esset;* prorsus liber enim et sua sponte, ut faciliorem aditum ad Iudaeos sibi pararet eosque ad Christum adduceret, ea quae antiquae legis erant observavit sola sua caritate permotus (cfr *Chrys.*).

Animadvertatur oportet, de accommodatione agi in rebus, quae per se erant indifferentes. Eadem ratione, qua cuncti Christiani ierosolymitani illo tempore *aemulatores legis* erant (*Act.* 16,20), Paulo quoque ritus iudaicos observare licuit, quamdiu et ubi nullum erat scandali periculum; quamprimum vero ritus illi velut ad salutem necessarii postulabantur, vehementer restitit (*Act.* 15,2), et quamquam Timotheum propter incredulos Iudaeos, qui in illis regionibus erant, circumciderat, nulla ratione adduci potuit, ut Titum circumcidi permitteret, quando Iudaeochristiani circumcisionem necessariam esse proclamabant (cfr *Gal.* 2,1 sqq.). Mere paedagogica igitur erat eius accommodatio; ad eos, qui christianam fidem nondum edocti iudaicos ritus observabant, sese in his rebus per se indifferentibus dimisit, ut eos ad se paullatim elevaret inutilitatemque illarum rerum doceret. Longe ergo abfuit ab accommodatione dogmatica, quam rationalistae ei affingere non verebantur[1].

1. Cfr *Introd. gener.* p. 714 sqq. — Optime *Chrys.* : « Non simulat; neque enim bonum eorum, quos salvavit, quaesivisset, si simulasset. Hypocrita enim aliorum interitum quae-

Simili modo quo Iudaeis velut Iudaeus factus est, ethnicis sese accommodavit : (factus sum) *iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem* (τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος exlegibus tamquam exlex) *quum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant.* De lege mosaica hic esse sermonem, praecedens sententia docet; hinc οἱ ἄνομοι (exleges) non, ut plerumque, impii et legum omnium violatores sunt (*Marc.* 15,28; *Luc.* 22,37; *Act.* 2,23; 2 *Thess.* 2,8; 1 *Tim.* 1,9 etc.), sed ethnici, qui legem mosaicam non habebant (*Rom.* 2,14 etc.). Quibus factus est ceu exlex, quando ritus externos a lege mosaica praescriptos non observans cum gentibus gentiliter vivebat (cfr *Gal.* 2,11 sqq.; *Act.* 11,3 etc.)[2]. Ne quis vero expressionem illam, se ὡς ἄνομον factum esse, male interpretatus Christianos omni lege carere existimaret, parenthetice addit, se *sine lege Dei non esse sed in lege esse Christi.* Quum legem Dei legi mosaicae opponat, recte deducitur, eum generalem abrogationem illius legis hic, ut multis aliis in locis, docuisse; at licet integra esset abrogata, moralia eius praecepta, quae cuncta duplici praecepto caritatis continentur, instaurata erant per Christum (*Gal.* 5,14; 6,2; *Rom.* 13,9. 10), atque hac lege Christi tenebatur Paulus et tenentur cum eo omnes Christiani.

Ex hac sententia duo dogmata cum *Pel.* probare vult *Est.* : « contra veteres quidem haereticos, Christum esse Deum; probat enim Apostolus, se non esse sine lege Dei ideo quod sit in lege Christi; quae

rit, et simulat ut accipiat, non ut det; Paulus vero non sic egit; sed sicut medicus, sicut doctor, sicut pater aegroto, discipulo, filio sese accommodat, ut corrigat, non ut noceat, ita etiam hic » etc. — Atque *S. Aug.* (ad Hier. ep. 82,3) : « Ergo et ipsi Paulo non solum viro, sed etiam dispensatori maxime fideli, non solum cognitori, verum etiam doctori veritatis, omnis utique in cibis creatura Dei non simulate sed vere bona erat (cfr 1 *Tim.* 4,4). Cur igitur nihil simulate suscipiendo sacrorum ceremoniarumque gentilium, sed de cibis et praeputio verum sentiendo et docendo, tamen tamquam gentilis factus est gentibus, et non potuit fieri tamquam Iudaeus Iudaeis nisi fallaciter suscipiendo sacramenta Iudaeorum? Cur oleastro inserto [i. e. gentibus] servavit dispensationis fidem veracem, et naturalibus ramis non extra sed in arbore constitutis [i. e. Iudaeis] nescio quod dispensatoriae simulationis velamen obtendit?... Sed absit hoc sapere. Utrisque enim debebat caritatem de corde puro et conscientia bona et fide non ficta : ac per hoc omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret, non mentientis astu, sed compatientis affectu; i. e. non omnia mala hominum fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tamquam si sua essent, misericordiae medicinae diligentiam procurando ».

2. *Chrys.* adnotat, « iuxta aliquorum sententiam Paulum hic subindicare disputationem, quam cum Atheniensibus habuit de inscriptione in altari posita »; quae sententia iunioribus Graecis (*Dam. Oec. Theoph.*) placuit : « Quum enim, Athenis concionaretur, non palam de Christo tamquam de Deo sed velut de mero homine disseruit; neque enim capaces erant, ut tale quid audirent; suspicabantur enim Christum esse quasi unum eorum, qui apud ipsos inter deos relati erant, sicut Heraclem aut Asclepiadem » (*Oec.*). Sed quominus haec sententia approbetur, prohibet totus contextus, qui non tam de docendi quam de vivendi et agendi ratione sermonem esse clare ostendit.

probatio firma non esset, nisi Christus sit Deus ». At nonne ante Domini mortem Iudaeus aliquis se sine lege Dei non esse ex eo recte probare potuit, quod esset in *lege Moysi?* Nihil aliud igitur sequitur, nisi legem a Christo datam revera divinam esse; divinitatem autem Christi innumeri alii textus efficacius demonstrant (cfr *Iust.*). Recte vero ex his verbis contra novos haereticos *Est.* colligit, Christum nobis datum esse non solum ut redemtorem, sed etiam ut legislatorem, uti *Concilium Trid.* (Sess. VI. can. 21) definivit: « Si quis dixerit, Christum Iesum a Deo datum fuisse ut redemtorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit ». De reliquo Christus antiquam legem ita instauravit, ut eam simul perfectiorem redderet (cfr *Matth.* 5,20 sqq. etc.).

Ad tertiam classem Apostolus iam transit: 22. *Factus sum infirmis* (tamquam) *infirmus, ut infirmos lucrifacerem.* Inter modernos interpretes nonnulli (*Bisp. Ramb.* — *Rück. Kl Br.* etc.) rudiores ethnicos et Iudaeos nomine infirmorum ab aliis infidelibus distingui coniiciunt; sed antiquiores fere omnes, quum ad *Rom.* 14. appellent, cum plerisque modernis Christianos infirmos intelligi rectius censent; neque verbum *lucrifaciendi* huic explicationi obstat, licet, uti per se patet, non plane eodem sensu, quo in prioribus membris, sumatur; infirmos Christo Paulus lucrifecit, quando se eorum infirmitati accommodans cavit, ne illis scandalum daret, atque ita paullatim eos ad firmiorem fidem et pleniorem rerum christianarum scientiam adduxit; etenim si alio modo egisset, eos perdidisset et a Christo alienasset (8,11; *Rom.* 14, 15). Neque immerito monet *Chrys.,* Apostolum hoc membrum duobus prioribus adiecisse, quia hac maxime in re Corinthiis suum exemplum imitandum proponere voluit.

Omnes demum classes ultimo membro comprehendit, sicut eos in primo (*v.* 19.) comprehenderat: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos,* vel *ut omnino aliquos facerem salvos.* Prior lectio est communis Latinorum atque etiam in graeco-latinis codicibus exhibetur, altera est communis Graecorum aliarumque ecclesiarum, eamque cum *Cai.* praeferunt plerique moderni (*Mai. Bisp.* etc.), idque non immerito, quia clarius amplissimam caritatem Apostoli manifestat veraeque eius agendi rationi accuratius respondet [1]. Sicut supra

1. Optime eam explanat *Chrys.*: « Videsne hyperbolen? Omnibus omnia factus sum, non sperans omnes me salvaturum, sed ut saltem aliquos salvos facerem. Tantum quidem studium adhibui et tantum ministerium suscepi, quantum ad omnes salvandos par erat, quamquam me omnes esse lucraturum non speravi. Vere magni et ferventis hoc est animi. Nam etiam qui seminat, ubique quidem seminat, etsi non omne semen salvat; sed quod sui est muneris praestat. Postquam autem parvum numerum salvatorum indicavit, addita voce πάντως (*omnino*) eos consolatur, qui hac de re dolebant. Licet enim fieri non potuerit,

dixerat, se *omnium* servum factum esse, ut *maiorem eorum numerum* (τοὺς πλείονας) lucrifaceret, ita hic se *singulis* placere voluisse dicit, ut *saltem aliquos* salvaret, atque ita paullatim ad maiorem illum numerum perveniret.

Demum ut Corinthios ad exemplum suum sequendum efficacius exhortetur atque simul sequens monitum praeparet, ultimum finem indicat, quem in eligenda hac agendi ratione persequitur : 23. *Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps eius efficiar.* Omnia sc. ea, quae enumeravit supererogatoria, quamquam munus apostolicum ei concreditum ea non absolute postulavit, *propter Evangelium* fecit; quod assertum qua ratione intelligi velit, explicat sententia addita : *ut particeps Evangelii efficiar;* Evangelium ei igitur hoc loco promissiones sunt in Evangelio omnibus illis propositae, qui Christi doctrinas praeceptaque amplectuntur. Iure merito attentos nos reddunt graeci interpretes ad vocabulum, quo usus est Paulus : ἵνα συγκοινωνὸς αὐτοῦ ἐγενόμην : *una cum* illis, quibus praedicavit, particeps praemii fieri desiderans, quamquam primas partes in laboribus habuit, in praemio primas partes sibi ob humilitatem non attribuit. Praeterea in accommodationis plenae defectu aliquid quoque periculi latere insinuat; etenim ut Evangelii particeps fiat, *omnia* facit; quo loquendi modo non tam id indicatur, eum *omnia quae facit* propter Evangelium facere, quam potius eum *omnia quae fieri possunt* propter istum finem facere; id enim ostendere vult, se nihil praetermisisse, quo salutem suam securius attingeret, sicut athleta, qui coronam propositam serio vult obtinere, nihil praetermittit, quo sese ad eam obtinendam aptiorem reddat (*cfr* *v.* 25).

Insignis est haec sententia, quum evidentissime doceat « eos orthodoxae religionis doctrinae adversari..., qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare, si in illis, suam ipsorum socordiam excitando et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam » (*Conc. Trid.* sess. VI. cp. 11). Quodsi ipse Apostolus eum quoque in finem omnia fecit, ut particeps praemiorum evangelicorum fieret, ac proinde praeter gloriam Dei, quae omnium actionum supremus finis sit oportet, etiam suum ipsius praemium aeternum prae oculis habuit, quis non cum *Tridentino* (l. c. can. 31) anathema dicet eis, qui contendunt « iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur »?

ut totum semen salvetur, tamen fieri quoque nequit, ut totum pereat; ideo dixit : *omnino*, quia necesse est eum, qui tam ferventer rem aggreditur, illam etiam assequi ».

Non abs re erit, complementi gratia verba adscribere, quibus *Chrys.* hanc pericopam terminat : « Videsne humilitatem, quomodo Paulus in mercedis retributione unum inter multos sese ponat, licet plus quam omnes laboraverit ideoque maiora meruerit praemia? Attamen se dignum non censet qui primas teneat, sed exoptat ut cum aliis particeps (συγκοινωνός) fiat coronarum, quae repositae sunt. Porro haec dicebat, non quia propter mercedem solam hoc fecit, sed ut illos hac quoque ratione attraheret et hac spe illos ad laborem pro fratribus suscipiendum excitaret. Vidistine prudentiam? vidistine diligentiae magnitudinem, quomodo plus quam praeceptum erat fecerit nihil accipiens, licet accipere liceret? vidistine summam accommodationem, quomodo qui in lege Christi erat et supremam servabat legem, iis qui sine lege erant, tamquam sine lege factus sit, et Iudaeis tamquam Iudaeus, in utrisque summus apparens et omnes vincens? Hoc et tu facito, et noli putare, te cadere, si summus sis et aliquid humile et abiectum propter fratres patiaris; hoc enim non est cadere, sed descendere. Qui enim cecidit, iacet et vix surget; qui autem descendit, ascendet et cum multo lucro; quemadmodum etiam ***Paulus descendit solus, sed cum orbe ascendit*** ».

3. *Corinthii exemplum Apostoli imitentur oportet* (9, 24-10, 14).

Postquam exemplum suum proposuit, Apostolus Corinthios ut se imitentur exhortatur; neque enim ad salutem assequendam sufficit esse Christianos, sed omnibus viribus ad Pauli exemplum laborent necesse est, ut certam suam salutem reddant. Duabus quasi partibus exhortatio constat; namque agonis comparatione illos solos bravium obtinere ostendit, qui magno cum ardore certaverit (9,24-27), quam doctrinam typice deinde explicata narratione exitus ex Aegypto confirmat (10,1-14).

1.) *Corinthiis concertandum est, ut bravium accipiant* (9,24-27).

9,24. ***Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.*** 25. ***Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet : et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*** 26. ***Ego igitur sic curro, non quasi in incertum : sic pugno, non quasi aerem verberans;*** 27. ***sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forte quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.***

9,24. οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες πάντες μὲν τρέχουσιν, εἷς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον; οὕτως τρέχετε, ἵνα καταλάβητε. 25. πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται· ἐκεῖνοι μὲν οὖν, ἵνα φθαρτὸν στέφανον λάβωσιν, ἡμεῖς δὲ ἄφθαρτον. 26. ἐγὼ τοίνυν οὕτως τρέχω ὡς οὐκ ἀδήλως, οὕτως πυκτεύω ὡς οὐκ ἀέρα δέρων, 27. ἀλλὰ ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶ, μήπως ἄλλοις κηρύξας αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι [1].

1. *VV. LL.* — 27. ὑπωπιάζω (plagis contundo) B ℵ A C D et nonnulli minusc.; ὑπο-

Nexus huius particulae cum praecedente in aperto est; se enim omnia, quae potuit, sponte fecisse, ut praemiorum evangelicorum particeps fieret, asseruerat Paulus; qua de re mirari non debent Corinthii sed potius Apostolum suum imitari : 24. *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.* Num hanc certantium metaphoram Apostolus ex ludis isthmicis desumserit, quae secundo quoque anno prope Corinthum celebrabantur, an ex olympiacis, in quibus cursu maxime certabatur, superflue inquiritur; eo enim tempore omnibus fere in civitatibus amphitheatra erant, in quibus cursores et pugiles et gladiatores concertabant. Quare etiam Paulus frequentissime hac imagine utitur ad ea describenda, quae nobis facienda sunt, ut finem nostrum ultimum attingamus, atque Christianos interdum cursoribus, interdum pugilibus vel athletis comparat aut etiam gladiatoribus vel potius militibus [1]. Comparationis rationem cum *Chrys.* recte indicat *Theoph.* : « Nolite existimare, quod simulac credidistis et in Ecclesiae stadium ingressi estis, istud vobis ad salutem sufficiat; quemadmodum etiam certantibus non sufficit, ut simpliciter currant, nisi hoc quoque adsit, ut inculpate et ad metam usque currant. Quare et ille solus, qui ita currit, bravium accipit; dum vos in periculo versamini, ne illud amittatis, quia propter suppositam scientiae vestrae perfectionem fratres contemnitis » eosque scandalo dato perditis. Attamen differentia quoque quaedam adest, quam Apostolus innuit; in stadio enim unus solus bravium accipit, Christianis vero omnibus bravium praeparatum est [2]; quod ut assequantur, debent currere eadem ratione, qua ille unus in stadio; hinc enim addit Paulus : *sic currite,* sicut ille unus, eo fine *ut comprehendatis.* Minus recte alii illud *sic* ad sequens *ut* referant (tali modo, ut); graece enim non habetur ὥστε sed ἵνα : neque rectius alii particulam οὕτως pro consecutiva (id fere quod *igitur*) habent, quia hoc sensu vix adhibetur.

Quid vero faciendum sit, ut ita currere possint, explicat Apostolus

πιάζω vel ὑποπιάζω (subiicio) F G K L P et haud pauci minusc. Versiones etiam variant; aliqui codd. *It.* cum *S. Iren. interpr.* (c. haer. IV. 37,7 et) *S. Paulin.* (ep. 12. 24. 50) : *lividum facio*, alii codd. *It.* cum *S. Ambr.* *Atro* et *Vulg.* : *castigo*, *S. Hil.* (Ps. 135) cum aliis : *subiicio*, *Rufin.* (Bened. Patriarch. 2) : *macero*. Inter *Syr.* alii *contundo*, alii *subiicio*; *Memph.* : *domo*, *Sahid.* : *sugillo* etc.

1. Cfr *Gal.* 2,2; 5,7; *Phil.* 2,16; 3,12 sqq.; 1 *Tim.* 6,12; 2 *Tim.* 2,5; 4,7; *Hebr.* 12,1. 4. 12. 13; *Eph.* 6,13 sqq.; 1 *Thess.* 5,8 etc.

2. Bravium (brabium, brabeum) est latina transcriptio graeci βραβεῖον, quo nomine corona pinea designabatur, quae a certaminis iudicibus (βραβευταῖς vel ἀγωνοθέταις) victori decernebatur. Quidnam Paulus Christianis velut bravium proponat, elucet ex 1 *Tim.* 6,12 et 2 *Tim.* 4,8.

eadem cursorum metaphora retenta : 25. *Omnis autem qui in agone contendit* (πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος i. e. omnis concertans[1]) *ab omnibus se abstinet; et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant : nos autem incorruptam.* Longa et magna requirebatur praeparatio, ut alicui in antiquis ludis concertare liceret; per decem menses cursores et athletae olympiaci ab omnibus abstinebant, quibus vires debilitabantur aut diminuebantur. « Qui studet, inquit *Horat.* (de art. poet. 412) optatam cursu contingere metam, Multa tulit fecitque puer; sudavit et alsit; Abstinuit Venere et Baccho » etc.; atque *Epict.* (Enchir. 35) : « Vis Olympia vincere? considera, quid antecedere debeat, atque ita rem agendam suscipito. Oportebit te temperanter degere, definito uti victu, a bellariis abstinere, exerceri necessario et certo tempore, in aestu et in frigore, non frigidam bibere, nec vinum; uno verbo, moderatori (ἐπιστάτῃ) tuo, sicut medico aegrotus, in omnibus obedias oportet ». Iam vero duram istam vitam a multis licitis abstinentes agonistae agunt, ut lauri vel olivae vel pini coronam adipiscantur mox perituram (φθαρτὸν στέφανον); quid igitur nobis agendum, quibus, si vicerimus, supremus iudex coronam numquam perituram (ἄφθαρτον στέφανον) largietur[2]?

Hanc enim dignam esse, quae summo cum labore acquireretur, intellexerat Paulus, quare nulli labori pepercit, ut eam assequeretur : 26. *Ego igitur* (quia coronam immortalem mihi repositam esse scio, si legitime certaverim) *sic curro* (sicut requiritur, ut ad metam pertingam), *non quasi in incertum* (ὡς οὐκ ἀδήλως sc. τρέχων). *In incertum currit,* qui incertus est, quo currere debeat; qui enim ad metam pertingere vult, eo cursum suum dirigat et certam viam teneat necesse est, atque hoc modo Paulus « versus metam properavit ad

1. Antiqua versio verbum graecum retinuerat *agonizari* (cfr *Eccli.* 4,33); ita *S. Iren.* interpr. (c. haer. IV. 37,7) : *omnis autem, qui agonizatur, in omnibus continens est.* Ultima quoque huius sententiae verba : « *in* omnibus *continens est* » graeco πάντα ἐγκρατεύεται accuratius respondent, quam *Vulg.* « *ab* omnibus *se abstinet* ».

2. Arctius quidem, quia solos martyres in carcere detentos alloquitur, sed egregie hunc textum amplificat *Tert.* (ad martyr. 3) : « Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes [certaminis iudex] Deus vivus est, xystarches [praeses certaminis] Spiritus sanctus, corona aeternitatis brabium. Itaque epistates [moderator] vester, qui vos spiritu unxit et ad hoc scamma [in hoc stadium] produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem a liberiore conditione seponere, ut vires corroborarentur in vobis. Nempe enim et athletae segregantur ad severiorem disciplinam, ut robori aedificando vacent; continentur a luxuria, a cibis lectioribus, a potu iucundiore; coguntur, cruciantur, fatigantur; quanto plus in exercitationibus laboraverint, tanto plus de victoria sperant. Et illi, inquit Apostolus, ut coronam corruptibilem consequantur, nos aeternam consecuturi. Carcerem nobis pro palaestra interpretemur, ut ad stadium tribunalis bene exercitati incommodis omnibus producamur; quia virtus duritia exstruitur, mollitia vero destruitur ».

bravium supernae vocationis Dei » (*Phil.* 3,14) [1]. Hoc solo sensu verba (οὐκ ἀδήλως) explicari posse, neque aut de praemii certitudine (« neque enim incerta est mihi corona » *Theod.*) aut de certaminis claritate (« non abscondite [ἀδήλως] sed omnibus manifeste curro » *cfr Grot.*) etc. illa recte intelligi, ex membro addito elucet, in quo alteram certaminis speciem, pugilatum, Apostolus pro similitudine adhibet : *sic pugno* (πυκτεύω, pugilem ago), sicut pugilem decet, qui adversarium vincere coronamque adipisci vult, *non quasi aerem verberans*, sed adversarium pugnis conscindens. Ultimum enim membrum (*non quasi aerem verberans*) priori (*non in incertum* currens) omnino respondet modumque indicat, quo ei, qui ad finem suum pervenire vult, agere non licet.

Quis demum sit adversarius in spirituali hoc pugilatu devincendus, docet ultima sententia : 27. *sed castigo corpus meum et in servitutem redigo ne forte, quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Duplicem esse diximus huius loci lectionem (ὑπωπιάζω et ὑποπιάζω vel ὑποπιέζω), utramque sufficiente testium auctoritate fultam et per se aptam; prior tamen, quam antiquiores codices exhibent, imagini magis videtur convenire. Etenim ὑπωπιάζειν (ὑπώπιον pars faciei infra oculos) proxime designat *faciem pugnis sugillare* (cfr *Luc.* 18,5), maxime autem de pugilibus adhibetur, qui adversarii corpus pugnis et caestibus sugillant, vel uti antiqua versio latina habuit, *lividum faciunt.* Eidem quoque imagini alterum verbum (δουλαγωγεῖν) respondet, sive illud cum antiquis interpretemur « plane subiicere et in servitutem redigere », sive cum nonnullis modernis rectius, ut videtur, dicamus, Paulum morem athletharum respexisse, qui devictum adversarium applaudentibus spectatoribus in arena velut servum sibi subiectum circumducebant. Porro adversarius, quem vehementibus ictibus sugillat Paulus, est eius corpus, corpus carnis (*Col.* 1,22), quod spiritui resistit (*cfr ad* 2,13) ; ictus vero, quos huic adversario infert, sunt omnes illae molestiae, quas ob Evangelium propagandum perfert nocte et die laborans, ne quem neophytorum gravet (1 *Thess.* 2,9 etc.), omnes illae tribulationes persecutionesque, quas ob eandem rationem

1. Cfr *Chrys.* : « Quid sibi vult : *non in incertum?* Ad scopum meum, inquit, aspicio, non sicut vos, inconsiderate et in vanum curro. Quid enim vobis accedit, si in idolorum templa intratis et vestram suppositam perfectionem ostentatis? Nihil omnino. At non ita ego, sed quaecumque facio, ad salutem proximi facio : si perfectionem ostendam, propter illum ago; si me aliis accommodem, propter ipsum; si Petrum in eo superem, quod nihil accipiam, propter ipsos, ne illis offendiculo sim; si plus quam omnes me demittam, circumcidens Timotheum et me tondens, propter ipsos, ne supplantentur. Hoc est illud : *non in incertum.* Tu vero cur, quaeso te, in idolio comedis? Aptam rationem proferre non potes; cibus enim te non commendat Deo; temere igitur et inconsiderate, i. e. in incertum, curris ».

undique patitur continuo degens in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis etc. (*cfr supra* 4,11; 2 *Cor.* 6,4 sq.; 11,23 sqq. etc.). Quibus molestiis, tormentis, cruciatibus libere in se susceptis corpus castigatum plane sibi subiecit et velut devictum servum per ecclesias circumduxit, spectaculum factus Angelis et hominibus, quo discerent neophyti, quid pro modulo suo agere in hoc pugilatu deberent.

Id enim solum, quod omnes fideles persequi tenentur, Apostolus quoque in hoc pugilatu sibi proposuit, ut ad coronam victoriae perveniret. Eandem enim imaginem retinens hunc finem explicat: μή πως ἄλλοις κηρύξας αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι, (*ne postquam apud alios praeconem egi, ipse corona indignus fiam*). Duplicem quasi personam gerebat; velut praeco (κήρυξ) alios ad certamen suscipiendum invitabat, leges pugilatus promulgabat, certantes excitabat, sed ipse quoque palaestram ingressus tamquam unus ex athletis coronam adipisci studebat adversarium suum debellans, ne ἀδόκιμος fieret. Quo de vocabulo recte *Mald.*: « ἀδόκιμον hoc loco eum vocari arbitror, qui in certamine vincitur » (cfr *Lap.*). Recte quoque moderni (cfr *Mai. Bisp.* etc.) Apostolum ad propriam vocabuli κηρύσσειν significationem (*praeconem agere*) attendisse censent, quamvis antiqui omnes cum *Chrys.* de sola derivata *praedicandi* significatione cogitent; neque enim concinnior tantum priore sensu admisso tota fit oratio, sed plenior quoque eius sensus. Uti autem pugilatus, de quo Apostolus loquitur, totam vitam hominis christiani complectitur nec umquam est intermittendus, ita corona, qua dignus inveniri vult Paulus, aeternae est beatitudinis corona, « corona iustitiae, quam Dominus iustus iudex illis reddet, qui adventum eius diligunt » (2 *Tim.* 4,8).

His verbis (9,24-27) iure merito *Conc. Trid.* (Sess. VI. cp. 11) doctrinam catholicam confirmat, qua homo « sibi in sola fide blandiri » prohibetur, « putans fide sola se haeredem esse constitutum haereditatemque se consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut et conglorificetur ». Neque minus clare ex illis eruitur, hominem nec de sua iustificatione certum esse atque etiam iustificationem amittere posse, nisi strenue laboret, ut salutem suam certam faciat; quapropter Patres illis frequenter utuntur, ut Christianos doceant, quantopere sibi invigilare et omnem negligentiam in vita spirituali evitare debeant, quum vel ipse Paulus post tot labores exantlatos et tot excelsissimas gratias acceptas sibi timuerit. Audiatur unus *S. Gregorius M.* piam alloquens mulierem (ad Gregor. Epist. VII. 25): « Quod vero dulcedo tua in suis epistolis subiunxit, importunam se mihi exsistere, quoadusque scribam mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sunt, rem difficilem etiam et inutilem postulasti; difficilem quidem,

quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat; inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi quum iam in die vitae tuae ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quae dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes atque eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus Apostolus iam ad tertium coelum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quae homini loqui non liceret, et tamen adhuc trepidans dicebat: castigo corpus meum et servituti subiicio, ne forte aliis praedicans ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui iam ad coelum ducitur, et iam timere non vult, qui adhuc in terra versatur? Perpende, dulcissima filia, quia mater negligentiae solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris. »

Erronee vero *Est.* ex his verbis satis apparere censet, « Apostolos hac vita durante non ita fuisse confirmatos in iustitia, quin excidere ab ea potuerint; contra quam nonnulli opinantur absque solido fundamento ». Id quidem sequitur, Paulum (de se solo enim loquitur) tunc temporis ignorasse, se in gratia esse confirmatum; quomodo autem ulterius deducatur, eum toto vitae suae tempore hoc ignorasse (nam *cfr* 2 *Tim.* 4,8) aut nec eum nec alios Apostolos revera fuisse confirmatos in gratia, non apparet. De reliquo quaestio ipsa, utrum confirmati fuerint, necne, huc non spectat.

2.) *Fatis Israelitarum ex Aegypto egressorum Corinthii erudiri debent* (10,1-14).

10,1. *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt, 2. et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari; 3. et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, 4. et omnes eundem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra : petra autem erat Christus) : 5. sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo : nam prostrati sunt in deserto. 6. Haec autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt ; 7. neque idololatrae efficiamini sicut quidam ex ipsis : quemadmodum scriptum est : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. 8. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. 9. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. 10. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab extermi-*

10,1. Οὐ θέλω γὰρ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, ὅτι οἱ πατέρες ἡμῶν πάντες ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν καὶ πάντες διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον, 2. καὶ πάντες εἰς τὸν Μωυσῆν ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ, 3. καὶ πάντες τὸ αὐτὸ πνευματικὸν βρῶμα ἔφαγον, 4. καὶ πάντες τὸ αὐτὸ πνευματικὸν ἔπιον πόμα· ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, ἡ πέτρα δὲ ἦν ὁ Χριστός. 5. ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεός· κατεστρώθησαν γὰρ ἐν τῇ ἐρήμῳ. 6. ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν, εἰς τὸ μὴ εἶναι ἡμᾶς ἐπιθυμητὰς κακῶν, καθὼς κἀκεῖνοι ἐπεθύμησαν. 7. μηδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε, καθώς τινες αὐτῶν, ὥσπερ γέγραπται· Ἐκάθισεν ὁ λαὸς φαγεῖν καὶ πιεῖν, καὶ ἀνέστησαν παίζειν. 8. μηδὲ πορνεύωμεν, καθώς τινες αὐτῶν ἐπόρνευσαν καὶ ἔπεσαν μιᾷ ἡμέρᾳ εἴκοσιν τρεῖς χιλιάδες. 9. μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Κύριον, καθώς τινες αὐτῶν ἐπείρασαν καὶ ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλλυντο. 10. μηδὲ γογγύζετε, καθάπερ τινὲς αὐτῶν ἐγόγγυσαν καὶ ἀπώλοντο ὑπὸ

natore. 11. *Haec autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt.* 12. *Itaque, qui se existimat stare, videat, ne cadat.* 13. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana; fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* 14. *Propter quod, carissimi mihi, fugite ab idolorum cultura.*	τοῦ ὀλοθρευτοῦ. 11. ταῦτα δὲ τυπικῶς συνέβαινεν ἐκείνοις, ἐγράφη δὲ πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντηκεν. 12. ὥστε ὁ δοκῶν ἑστάναι βλεπέτω μὴ πέσῃ. 13. πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν εἰ μὴ ἀνθρώπινος. πιστὸς δὲ ὁ Θεός, ὃς οὐκ ἐάσει πειρασθῆναι ὑμᾶς ὑπὲρ ὃ δύνασθε, ἀλλὰ ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν τοῦ δύνασθαι ὑπενεγκεῖν. 14. διόπερ, ἀγαπητοί μου, φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας [1].

In ultimis superioris capitis versibus Apostolus se iterum Corinthiis velut exemplum proposuerat ostendens, quo cum ardore in stadio concertaret, ne corona victoriae indignus haberetur. Ne vero vanum inanemque esse eius timorem neophyti putent atque ut sibi ipsi consulant, pro confirmatione exemplum Israelitarum affert, quorum paucissimi tantum, licet omnes iisdem beneficiis ex Aegypto exeuntes ornati sint, ad terram promissam pervenerint. Itaque praeprimis magna illa beneficia, quae omnibus Israelitis ex Aegypto egressis a Deo collata sunt, ita exponit, ut illis gratias multo sublimiores, quae in Novo Test. omnibus ex Aegypto (i. e. ex hoc mundo) egressis conceduntur, praefiguratas esse appareat (1-4). Plerosque deinde Israelitas in itinere per desertum periisse praemonens (*v.* 5), peccata quoque illorum atque poenas prophetias reales esse docet eorum, quae Chri-

1. *VV. LL.* — 10,1 οὐ θέλω γάρ (*nolo enim*) B ℵ A C D E F G, pauci minusc., antiquiores PP., *It. Vulg. Copt.*; minus recte *textus rec.* : οὐ θέλω δέ (nolo *autem*) cum K L, plerisque minusc., *Syr.* — 2. εἰς τὸν Μωυσῆν ἐβαπτίσαντο (in Moysen baptismo se subiecerunt) B K L P, plerique minusc.; sed εἰς τὸν Μωυσῆν ἐβαπτίσθησαν (*in Moysen* [*Vulg.* : in Moyse] *baptizati sunt*) ℵ A C D E F G, pauci minusc., *It.* (*S. Hil.* in Ps. 134. n. 11; *S. Aug.* in Ioan. tract. 26,12 etc.), *Vulg.* — 9, μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Κύριον (neque tentemus *Dominum*) B ℵ C P et pauci minusc.; pro Κύριον substituunt τὸν Θεόν (Deum) A et aliqui minusc.; at genuina lectio est : μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστόν (*neque tentemus Christum*) D E F G K L, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Copt.*; duae aliae lectiones difficultatem quandam evitare voluerunt. — Utrum in hoc versu Imperfect. ἀπώλλυντο cum B ℵ A, an Aoristus ἀπώλοντο cum reliquis codd. gr. legatur, nihil interest; lectio *It.* et *Vulg.* (*perierunt*) Aoristo favet. — Item parum interest, utrum in *vv.* 9. 10 post καθώς cum *text. rec.* inseratur particula καί. — 11. ταῦτα δέ (haec autem) sine addito B ℵ et aliqui PP. gr., reliqui testes omnes addunt πάντα (*haec autem omnia*), atque haec lectio est praeferenda. — τυπικῶς (typice vel *in figura*) B ℵ A C K P, nonnulli minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.); praecedenti versui lectionem conformarunt alii, qui scripserunt τύποι (typi) D E F G L, plerique minusc., *Copt.* — 13. πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν (tentatio vos non apprehen*dit*) est communis... lectio codd. et PP. graec. et verss., quam etiam multi Latini praetulerunt; minus recte : οὐ καταλάβῃ (*non apprehendat*) F G cum *Vulg.* et plerisque Latinis (*cfr* Comment.).

stianis contingunt (6-11). Unde ad directam exhortationem transiens vigilantiam omnibus inculcat auxilio simul divino iis promisso, qui tentationibus sese ultro non obiiciant (12-14).

Duo summa sunt beneficia, quae Christianis praestantur, baptismus in aqua et Spiritu S., quo homo ad novam vitam renascitur, Eucharistia, qua nova vita alitur et confortatur; priore homo in stadium luctae spiritualis ingreditur, altero in stadium ingressus novas semper acquirit vires, quibus luctam sustinere et coronam victoriae adipisci possit. Utriusque beneficii figura etiam collata est omnibus Israelitis; omnibus ex Aegypto egredientibus collatus est typicus baptismus (1. 2.), omnes ex Aegypto egressi cibo et potu typico corroborati sunt (3. 4).

Historia exitus Israelitarum ex Aegypto neophytis corinthiis procul dubio erat nota, illius vero altiorem sensum spiritualem nondum percepisse videntur. Hinc Apostolus : 1. *Nolo enim* (sc. ut vobis ipsi consulatis) *vos ignorare, fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt.* In praecedente sectione Graecis quodam modo Graecus factus ex eorum ludis argumentum suum desumserat, nunc Iudaeis Iudaeus factus ex Iudaeorum historia argumentatur; utrosque autem, et Ethnicochristianos et Iudaeochristianos, in utroque argumento respicit, quum appellatione *fratres* integram ecclesiam comprehendat. Neque ideo exclusi censendi sunt Ethnicochristiani, quia Israelitas ex Aegypto egredientes vocet patres *nostros* (uti arbitrantur *Est. Lap.* etc.); neque enim ad sanguinis cognationem, sed ad fidei religionisque coniunctionem (cfr *Thom. Cai. Iustin.* etc.) attendit, qua ratione omnes Christiani, quemadmodum sunt semen Abrahae (*Rom.* 9,6; *Gal.* 3,7), etiam posteri sunt eorum, qui tantis beneficiis in exitu ex Aegypto sunt ornati. Iamvero baptismus Novi Test. est in aqua et Spiritu (*Ioan.* 3,5); quorum duorum elementorum, quibus unus baptismus efficitur, typos Paulus videt in nube et in mari : « Nubes, inquit cum aliis *Thom.*, erat symbolum Spiritus, mare vero symbolum aquae »[1]. *Nubes* autem, de qua loquitur Paulus, est columna nubis, quae non tantum Israelitas continuo praecedebat, ut dux esset itineris (*Exod.* 13,21), sed super eos expansa velut velamentum eos obumbrabat et protegebat (*Ps.* 104,39; *Sap.* 10,17; 19,7 cfr *Exod.* 14,19 sqq.; *Num.* 14,14 etc.), ut revera *omnes sub* nube essent. Porro nubes iam ante transitum maris apparuit,

1. Uberius, sed non plane accurate typicam rationem excolit *Theod.* : « Mare figurabat aquam, nubes autem gratiam Spiritus; Moyses sacerdotem (baptizantem), virga crucem; Israelitae transeuntes baptizandorum, persequentes vero Aegyptii daemonum figuram implebant, ipse autem Pharaon typus erat diaboli : post transitum enim Israelitae ab Aegyptiorum potestate liberati sunt ».

quare Apostolus ordine chronologico retento eam priore in loco commemorat. Nube igitur protecti et obumbrati *omnes* per mare transierunt, ita ut quasi mediis in aquis essent; « erat enim aqua quasi murus a dextra eorum et a sinistra » (*Exod.* 14,22).

Haec ex historia neophytis erant cognita, sed sublimiorem sensum eis nunc aperit Paulus addens : 2. *et omnes in Moyse* (lege : *in Moysen*) *baptizati sunt in nube et in mari,* vel si alteram lectionem graecam (ἐβαπτίσαντο) praefers : « baptismo in Moysen se subiecerunt in nube et in mari »[1]. Textus graecus (εἰς Μωυσῆν) prohibet, quominus explicemus : *per Moysen,* licet haec Theodoreti sententia esse videatur, *S. Augustinus* quoque semel (in Ioan. tract. 11,4; sed *cfr* tract. 26, 12) ita legerit, atque multi iuniores Latini lectione sua in errorem inducti hanc (*per* Moysen) vel similem (duce Moyse) interpretationem praetulerint. Recte potius inter Latinos iam monuit *Pel.,* Moysen hic esse typum Christi, ut Israelitae in Moysen dicantur baptizati, sicut Christiani in Christum baptizantur, vel « cultui ac legi per Moysen tradendae specie quadam baptismatis initiati, quomodo nos in Christum baptizari dicimur, i. e. Christo et religioni christianae per baptismum initiari » (*Est.*). Revera quemadmodum Christus est mediator Deum inter et homines in Nova Lege, ita Moyses in Vetere Lege munere mediatoris functus est Deum inter et populum; « data est enim lex disposita per angelos, in manu mediatoris (videlicet Moysis) secundum provocationem populi dicentis : Loquere tu nobis et non loquatur nobis Deus » (*S. Basil.* De S. Spir. 33 cfr *Gal.* 3,19; *Exod.* 20,19). Figurativo igitur baptismo illa occasione Israelitae omnes se submiserunt : nubes fuit figura Spiritus realiter dandi in antitypico baptismo; transitus per mare, quod sicco pede transierunt aquis nullo modo ad eos pertingentibus, figura fuit realis immersionis in fontem baptismalem; sicut baptismus noster baptizandos ab eorum peccatis realiter abluit, ita figurativus ille baptismus Israelitas ab eorum incredulitate abluit, i. e. effecit, ut Moysi postea crederent; egressus enim e mari « timuit populus Deum et crediderunt Domino *et Moysi* servo eius » (*Exod.* 14,31); sicuti baptismo nostro fideles Christo consecrantur legique per eum datae adstringuntur, ita typico illo baptismate Israelitae Moysi sese addixerunt Legique per eum promulgandae sese subiecerunt; demum iure merito cum Patribus anti-

1. Medialis forma hoc loco praeferenda videri potest, quia cooperationem quandam Israelitarum innuit, ut aptius typus antitypo correspondeat; cfr *Act.* 22,16 ἀναστὰς βάπτισαι καὶ ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας σου « surge, baptizare et ablue peccata tua ». Simili modo in sequente versu Paulus verbo activo (*manducaverunt, biberunt*), non passivo (cibati sunt, potati sunt) utitur.

quioribusque interpretibus, qui hoc fere solum urgere solent, addere licet, figurativo baptismo Israelitas ex temporali Pharaonis Aegyptiorumque potestate esse liberatos, sicut nos baptismo nostro a daemonis iugo liberamur.

Non satis recte nonnulli tria beneficia (protectionem nubis, transitum maris, baptismum typicum) enumerata vident (*Thom*[1]. *Dion*[1]. *Cai*. etc.) aut saltem duo (protectionem nubis, qua praefiguretur protectio Spiritus S., et transitum maris, quo praefiguretur baptismus. *Gagn*. etc.); nam ex v. 2. clare elucet, Apostolum de uno baptismo typico loqui voluisse. — Acatholici nonnulli (*Mey*. *Heinr*.) nube Spiritum praefigurari negant, quia secus dicendum foret, baptismum Spiritus baptismati aquae tempore antecessisse; at quis prudens umquam baptismum Spiritus et baptismum aquae ita distinxit, ut duos baptismos diceret? Unum baptisma in Spiritu et in aqua iuxta duplex suum elementum, spirituale et materiale, praefiguratur atque in figuris illis indicandis Paulus, ut diximus, chronologicum ordinem tenuit. At monet alter, uno membro non posse spirituale, altero materiale elementum praefigurari (*Ev*.); cur vero id fieri nequeat, non apparet, idque eo minus, quia nubes, de qua Paulus agit, ipsa iam erat symbolum Dei in medio populo commorantis eumque protegentis. Id tamen concedimus, non satis ad typicum characterem attendisse eos, qui cum *Est*. putant, « Israelitas guttis tum ex aquis maris hinc inde qua transibant in altum erectis, tum ex nube supra ipsos expansa fuisse nonnihil aspersos, quo baptismi sacramentum evidentius significaretur ». Sicco enim pede transierunt mare neque nubes data erat, ut super populum plueret; si realis aspersio aquae requireretur, ut baptismus praefiguraretur, non minus realem gratiae communicationem requiri dicendum esset, ita ut non amplius typum sed rem ipsam haberemus; « typus autem partem indicat, inquit *S. Hier*. (in Os. 11,1. 2); quod si totum praecedat in typo, iam non est typus, sed historiae veritas appellanda est ».

Typico baptismo igitur muniti omnes Israelitae in stadium ingressi sunt, et credentes Deo et Moysi ad legem accipiendam Moysenque ducem sequendum parati erant promtique ad luctam subeundam; verum ut in stadio fortiter concertare possent, etiam cibo potuque spiritali indigebant, quo continuo confortarentur; quem eis datum esse Apostolus nunc ita describit, ut in illo typus Eucharistiae non cognosci non possit : 3. *et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt*. Esca, qua toto peregrinationis tempore in deserto quotidie vescebantur, manna erat, qui cibus, quia in sua origine, in sua natura, in sua significatione miraculosus erat, merito vocatur spiritalis (πνευματικὸν βρῶμα). Origo eius erat de coelo (cfr *Exod*. 16,4; *Ps*. 77,24; 104,40; *Sap*. 16,20), id quod cum carnalibus Iudaeis crasso sensu intelligere non licet (*Ioan*. 6,31), sed praeternaturalem atque immediate divinam eius productionem innuit; in se ipso eum miraculosum fuisse, ex tota eius descriptione luculentissime apparet (*Exod*. 16,16-24; *Sap*. 16,20 sq. etc.); eum sublimioris quoque cibi in nova oeconomia dandi, veri panis de coelo, figuram fuisse, Dominus haud

obscure docuit (*Ioan.* 6,48 sqq.) et apertius Paulus hoc loco docet. Sed quid sibi vult : *eandem escam* manducaverunt? Utique *inter se* eandem; iuxta *S. Aug.* quidem, cuius explicatio in *Gl ord.* recepta a mediae aetatis interpretibus haud paucis (*Rup Tuit. Herv. H Vict. Lomb.* Thom[1]. etc.) magis minusve est adoptata, Israelitae in deserto « eandem *nobiscum* escam » manducaverunt[1]; at haec explicatio fini et scopo Apostoli non convenit. Neque enim Israelitas nobiscum ratione beneficiorum comparare vult, sed eos inter se aequales quidem ac pares fuisse, quum iisdem donis omnes essent ornati, neque tamen omnes ad finem praestitutum venisse docet; hanc enim ob causam quatuor his primis versibus quinquies illud *omnes* urget, ut *v.* 5. statim inter eos discrimen fuisse ostendat.

Neque eodem tantum cibo, sed etiam eodem potu spiritali omnes nutriti sunt : 4. *et omnes eundem potum spiritalem bibebant.* Sed quia potus, quo in deserto utebantur, aqua erat naturalis, addit probationem, qua illum iure spiritalem vocari ostendat, siquidem et modo praeternaturali est datus et sanguinem Christi in nova oeconomia dandum praefiguravit : *bibebant autem* (lege cum Graecis et aliis verss.[2] : *enim*) *de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Quae in verba egregie *Chrys.* : « Sicut tu corpus Christi comedis, ita illi manna; et sicut tu sanguinem bibis, ita illi aquam de petra. Etiamsi enim illa, quae fiebant, sensilia erant, spiritali tamen modo praebebantur, non secundum naturae exigentiam, sed iuxta doni gratiam, et cum corpore, quia ad fidem adducebant, etiam ani-

1. Quoniam haec S. Aug. verba ab antiquis et modernis acath. (*Calv. Beza* etc., *Heinr.* etc.) in malum sensum detorquentur, integrum contextum adscribimus (in Ioan. tract. 26, 12) : « Hunc panem, sc. Eucharistiam, significavit manna, hunc panem significat altare Dei. Sacramenta illa fuerunt, in signis diversa sunt, in re, quae significatur, paria sunt. Audi Apostolum : omnes eandem escam spiritalem manducaverunt. Spiritalem utique eandem, nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud, spiritalem vero, quam nos. Sed patres nostri, non patres illorum : quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Et adiungit : et omnes eundem potum spiritalem biberunt; aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spiritali ». Figurative tantum eandem escam ab Iudaeis et a nobis manducari, i. e. manna praefigurasse corpus Christi, quod nos manducamus, S. Doctoris est sententia; id non tantum ex ipsis eius verbis in contextu consideratis, sed ex aliis similibus evidentissime elucet. Etenim « idem, inquit (in Ps. 77. n. 2), in mysterio cibus et potus eorum, qui noster; sed *significatione* idem, non *specie;* quia idem ipse Christus illis *in petra figuratus*, *nobis in carne manifestatus* », atque alibi de eadem re agens : « sacramenta Novi Test. *dant salutem*, sacramenta Veteris Test. *promiserunt Salvatorem* » (in Ps. 73. n. 2). Qui igitur Augustini verbis realem corporis et sanguinis dominici praesentiam in Eucharistia negari putat, hallucinatur; longissime enim S. Doctor a Calvini aliorumque neotericorum sententia abfuit, qui iuxta Apostoli doctrinam simili modo, quo manna Christum praefigurabat, panem consecratum dumtaxat significare corpus Christi blasphemant.

2. Haec antiquae quoque Italae fuit lectio; cfr *S. Iren.* interpr. c. haer. IV. 14; *S. Aug.* in Ioan. tract. 45,9; *A*tor etc.

mam nutriebant. Ideo de cibo quidem nihil dixit; erat enim non solo modo, quo dabatur, sed etiam in se prodigiosus; manna quippe erat. Sed quia in potu solus dandi modus praeter naturam erat, ideo probatio requirebatur; quapropter subiunxit, eos de consequente petra bibisse, petram autem Christum fuisse. Neque enim natura petrae aquam emittebat; alioquin etiam antea illam scaturiisset; verum alia quaedam petra spiritalis hoc totum faciebat, i. e. Christus, qui semper eis praesens aderat et omnia mirabiliter operabatur; ideo quoque dixit : de consequente petra ».

Quibus verbis *S. Chrys.* genuinam difficilis huius sententiae interpretationem innuit. Prorsus absurde aliqui moderni rationalistae (*De W. Baur* etc.) Apostolum rabbinicas fabulas de petra in medio populo sese volutante Israelitasque in deserto comitante secutum esse somniarunt; neque ulla quoque est ratio, cur cum aliis (*Nat. Bisp. Dr. — Del. Schn.* etc.) Paulum ad eas saltem allusisse concedamus; ineptiores enim sunt, quam quae a scriptore inspirato commemorari potuerint[1]. Vix minus absurda est aliorum interpretatio, petram effectu suo Israelitas semper esse consecutam, i. e. aquam ex illa emissam per avia et devia, per colles et montes magno flumine populum esse secutam (*Erasm. — Grot.*); neque intelligo, quomodo *Est. Men. Nat.* (cfr etiam *Dr. M Ev.*) similem explicationem praetulerint (*Est.* « bibebant autem ex petra fundente aquas, quomodo bibere aliquis ex dolio dicitur, ex quo vinum depromitur. Haec autem petra comitata esse Israelitas dicitur, quia aquae, quas petra copiosissime fundebat, pro commoditate populi in rivos divisae longo spatio profluerent, donec veniretur ad locum, ubi esset aquarum copia »); neque magis intelligo, quomodo *Calm.* cum aliis ita textum explicaverit, ut eatenus petra dicatur esse secuta, quatenus Israelitae proficiscentes copiam aquarum ex ea haustarum secum detulerint iisque usi sint, quotiescunque in aridas regiones pervenerint. Recte omnes eiusmodi explicationes iam refutavit *Theodoret.* interrogans, cur Israelitae, postquam primo peregrinationis anno illum puteum comitem vel illum fluvium etc. acceperint, postea iterum de aquarum inopia conquesti sint. Neque felices in his verbis interpretandis fuerunt plerique mediae aetatis interpretes (*Herv.*

1. Variae hac de re fabellae in Tharg. et Midr. traduntur : *Onkel.* ad Num. 21,18 sqq. : « Ex eo tempore, quo datus est eis (sc. Israelitis puteus), ascendit cum eis de torrentibus ad colles et de colle in vallem » etc. Quae fusius explicantur in *Bammidbar rabb.* sect. 1. fol. 182 b. et *Ialkut* Rubeni f. 144 : « Quomodo comparatus fuit ille puteus? Fuit sicut petra, sicut alveus apum et globosus et volutavit se et ivit cum illis in itineribus illorum. Quando castra ponebantur et tabernaculum stabat, illa petra venit et consedit in atrio tentorii. Tunc venerunt principes et iuxta illum steterunt, dicentes : Ascende, putee etc. (*Num.* 21,16) et ascendit ». Quoniam Mariae, sororis Moysis, meritis miraculosa illa aqua attribuebatur (post Mariae enim mortem secunda vice Israelitis data est aqua ex petra. *Num* 20,1), fons ipse saepe « fons Miriam » appellabatur; ita *Raschi* ad Taanith fol. 19 a. : « fons Miriam erat petra, ex qua fluebant aquae. Ea vero se circumvolvebat et ibat cum Israelitis, illa ipsa petra, quam Moyses virga sua percussit » etc. Iuxta alios (*Alschesch* in Legem fol. 236 a) « ivit cum illis ad modum peditis et plenus fuit. Nam ecce triginta octo stationes iverunt Israelitae in deserto et in unaquaque ipsarum fons Miriam cum illis fuit; ivit nempe ad stationes illorum a loco ad locum ». Iuxta alios tam parva erat petra, ut Maria eam in sinu secum portaret etc. Cfr *Schoettg.* Horae hebr. et thalmud. p. 623 sq. etc.

obscure docuit (*Ioan.* 6,48 sqq.) et apertius Paulus hoc loco docet. Sed quid sibi vult : *eandem escam* manducaverunt? Utique *inter se* eandem; iuxta *S. Aug.* quidem, cuius explicatio in *Gl ord.* recepta a mediae aetatis interpretibus haud paucis (*Rup Tuit. Herv. H Vict. Lomb.* Thom[1]. etc.) magis minusve est adoptata, Israelitae in deserto « eandem *nobiscum* escam » manducaverunt[1]; at haec explicatio fini et scopo Apostoli non convenit. Neque enim Israelitas nobiscum ratione beneficiorum comparare vult, sed eos inter se aequales quidem ac pares fuisse, quum iisdem donis omnes essent ornati, neque tamen omnes ad finem praestitutum venisse docet; hanc enim ob causam quatuor his primis versibus quinquies illud *omnes* urget, ut *v.* 5. statim inter eos discrimen fuisse ostendat.

Neque eodem tantum cibo, sed etiam eodem potu spiritali omnes nutriti sunt : 4. *et omnes eundem potum spiritalem bibebant.* Sed quia potus, quo in deserto utebantur, aqua erat naturalis, addit probationem, qua illum iure spiritalem vocari ostendat, siquidem et modo praeternaturali est datus et sanguinem Christi in nova oeconomia dandum praefiguravit : *bibebant autem* (lege cum Graecis et aliis verss.[2] : *enim*) *de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Quae in verba egregie *Chrys.* : « Sicut tu corpus Christi comedis, ita illi manna; et sicut tu sanguinem bibis, ita illi aquam de petra. Etiamsi enim illa, quae fiebant, sensilia erant, spiritali tamen modo praebebantur, non secundum naturae exigentiam, sed iuxta doni gratiam, et cum corpore, quia ad fidem adducebant, etiam ani-

1. Quoniam haec S. Aug. verba ab antiquis et modernis acath. (*Calv. Beza* etc., *Heinr.* etc.) in malum sensum detorquentur, integrum contextum adscribimus (in Ioan. tract. 26, 12) : « Hunc panem, sc. Eucharistiam, significavit manna, hunc panem significat altare Dei. Sacramenta illa fuerunt, in signis diversa sunt, in re, quae significatur, paria sunt. Audi Apostolum : omnes eandem escam spiritalem manducaverunt. Spiritalem utique eandem, nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud, spiritalem vero, quam nos. Sed patres nostri, non patres illorum : quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Et adiungit : et omnes eundem potum spiritalem biberunt; aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spiritali ». Figurative tantum eandem escam ab Iudaeis et a nobis manducari, i. e. manna praefigurasse corpus Christi, quod nos manducamus, S. Doctoris est sententia; id non tantum ex ipsis eius verbis in contextu consideratis, sed ex aliis similibus evidentissime elucet. Etenim « idem, inquit (in Ps. 77. n. 2), in mysterio cibus et potus eorum, qui noster; sed *significatione* idem, non *specie;* quia idem ipse Christus illis *in petra figuratus*, *nobis in carne manifestatus* », atque alibi de eadem re agens : « sacramenta Novi Test. *dant salutem*, sacramenta Veteris Test. *promiserunt Salvatorem* » (in Ps. 73. n. 2). Qui igitur Augustini verbis realem corporis et sanguinis dominici praesentiam in Eucharistia negari putat, hallucinatur; longissime enim S. Doctor a Calvini aliorumque neotericorum sententia abfuit, qui iuxta Apostoli doctrinam simili modo, quo manna Christum praefigurabat, panem consecratum dumtaxat significare corpus Christi blasphemant.

2. Haec antiquae quoque Italae fuit lectio; cfr *S. Iren.* interpr. c. haer. IV. 14; *S. Aug.* in Ioan. tract. 45,9; Aᵗᵉʳ etc.

mam nutriebant. Ideo de cibo quidem nihil dixit; erat enim non solo modo, quo dabatur, sed etiam in se prodigiosus; manna quippe erat. Sed quia in potu solus dandi modus praeter naturam erat, ideo probatio requirebatur; quapropter subiunxit, eos de consequente petra bibisse, petram autem Christum fuisse. Neque enim natura petrae aquam emittebat; alioquin etiam antea illam scaturiisset; verum alia quaedam petra spiritalis hoc totum faciebat, i. e. Christus, qui semper eis praesens aderat et omnia mirabiliter operabatur; ideo quoque dixit : de consequente petra ».

Quibus verbis *S. Chrys.* genuinam difficilis huius sententiae interpretationem innuit. Prorsus absurde aliqui moderni rationalistae (*De W. Baur* etc.) Apostolum rabbinicas fabulas de petra in medio populo sese volutante Israelitasque in deserto comitante secutum esse somniarunt; neque ulla quoque est ratio, cur cum aliis (*Mat. Bisp. Dr. — Del. Schn.* etc.) Paulum ad eas saltem allusisse concedamus; ineptiores enim sunt, quam quae a scriptore inspirato commemorari potuerint[1]. Vix minus absurda est aliorum interpretatio, petram effectu suo Israelitas semper esse consecutam, i. e. aquam ex illa emissam per avia et devia, per colles et montes magno flumine populum esse secutam (*Erasm. — Grot.*); neque intelligo, quomodo *Est. Men. Nat.* (cfr etiam *Dr. M Ev.*) similem explicationem praetulerint (*Est.* « bibebant autem ex petra fundente aquas, quomodo bibere aliquis ex dolio dicitur, ex quo vinum depromitur. Haec autem petra comitata esse Israelitas dicitur, quia aquae, quas petra copiosissime fundebat, pro commoditate populi in rivos divisae longo spatio profluerent, donec veniretur ad locum, ubi esset aquarum copia »); neque magis intelligo, quomodo *Calm.* cum aliis ita textum explicaverit, ut catenus petra dicatur esse secuta, quatenus Israelitae proficiscentes copiam aquarum ex ea haustarum secum detulerint iisque usi sint, quotiescumque in aridas regiones pervenerint. Recte omnes eiusmodi explicationes iam refutavit *Theodoret.* interrogans, cur Israelitae, postquam primo peregrinationis anno illum puteum comitem vel illum fluvium etc. acceperint, postea iterum de aquarum inopia conquesti sint. Neque felices in his verbis interpretandis fuerunt plerique mediae aetatis interpretes (*Herv.*

1. Variae hac de re fabellae in Tharg. et Midr. traduntur : *Onkel.* ad Num. 21,18 sqq. : « Ex eo tempore, quo datus est eis (sc. Israelitis puteus), ascendit cum eis de torrentibus ad colles et de colle in vallem » etc. Quae fusius explicantur in *Bammidbar rabb.* sect. 1. fol. 182 b. et *Ialkut* Rubeni f. 144 : « Quomodo comparatus fuit ille puteus? Fuit sicut petra, sicut alveus apum et globosus et volutavit se et ivit cum illis in itineribus illorum. Quando castra ponebantur et tabernaculum stabat, illa petra venit et consedit in atrio tentorii. Tunc venerunt principes et iuxta illum steterunt, dicentes : Ascende, putee etc. (*Num.* 21,16) et ascendit ». Quoniam Mariae, sororis Moysis, meritis miraculosa illa aqua attribuebatur (post Mariae enim mortem secunda vice Israelitis data est aqua ex petra. *Num* 20,1), fons ipse saepe « fons Miriam » appellabatur; ita *Raschi* ad Taanith fol. 19 a. : « fons Miriam erat petra, ex qua fluebant aquae. Ea vero se circumvolvebat et ibat cum Israelitis, illa ipsa petra, quam Moyses virga sua percussit » etc. Iuxta alios (*Alschesch* in Legem fol. 236 a) « ivit cum illis ad modum peditis et plenus fuit. Nam ecce triginta octo stationes iverunt Israelitae in deserto et in unaquaque ipsarum fons Miriam cum illis fuit; ivit nempe ad stationes illorum a loco ad locum ». Iuxta alios tam parva erat petra, ut Maria eam in sinu secum portaret etc. Cfr *Schoettg.* Horae hebr. et thalmud. p. 623 sq. etc.

Christianis Deus esset collaturus, ita in sorte totius illius populi propter peccata in deserto interemti figuram videt multo graviorum poenarum, quibus Christianos, si similia peccata commissuri sint, Deus sit puniturus[1]. Hinc strages Israelitarum in deserto relate ad nos eum finem habuit, *ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt*. Generali expressione (*concupiscere mala*), uti recte *Chrys.* adnotat, Apostolus utitur, quae sequentibus exemplis accuratius definitur; omnia enim peccata ex concupiscentia exoriuntur (*cfr* etiam *Theod. Oec. Theoph. A*ter *Lomb.* etc. *Lap. Men. Mai.* — *Mey. God.* etc.). Porro tria singularia Israelitarum peccata enumerantur, quae id habent commune, quod directe sint contra Deum; prae oculis enim Paulus semper habet finem suum, ut ab idolothytorum usu Corinthios retrahat. Quae tria peccata : idololatria (7. 8), tentatio Christi (*v.* 9), murmuratio contra Deum (*v.* 10), iterum ultimo membro (*v.* 11) comprehenduntur, sicut *v.* 6. comprehensa sunt.

Quoniam adiectivum ἐπιθυμητής et in Novo Test. hic tantum et in Vetere Test. ab Alexandrinis in *Num.* 11,34 dumtaxat adhibetur, rectissime quidem Paulus ad illam narrationem (*Num.* 11,4 sqq.) respexisse censetur. Arctius tamen cum *Thom.* nonnulli versum nostrum ita interpretantur, ut Corinthii ex gulositate carnes in idolio comedentes similes dicantur Israelitis carnes in deserto desiderantibus (cfr *Est. Iust. Nat. Calm. M. Ev. Bisp. L. R. Dr.* — *Rück. Os. Heinr. Schn.* etc.). Neque enim solas carnes, sed omnia, quibus in Aegypto olim fruiti erant, filii Israel concupiverunt (cfr *Num.* 11,4. 5. 6), eorumque exemplo proposito Apostolus neophytos monet, ne omnia illa, quibus ante conversionem delectati erant, concupiscentes in priora sua peccata relabantur; ad idolothytorum autem usum in exemplis respicit. Quae tria sola enumerari censemus, licet longe plerique interpretes quatuor enumerent; namque tres tantum poenae, quibus peccata punita sunt, a Paulo recensentur, quare *vv.* 7. et 8. coniungamus et de idololatria explicemus oportet. Neque enim sufficit cum *Chrys.* dixisse, idololatriae poenam esse praetermissam, quia aut per se clarum fuerit, poenam illi non defuisse, aut quia punitio a Moyse relata minor fuerit quam illa, quibus fornicarii affecti sint. Rectius igitur duo illa crimina notari dicimus, quibus indirecta idololatria committebatur; sed de hac quaestione statim agemus. — *Thom.*

1. « Sicut enim dona, inquit *Chrys.*, figurae sunt, ita quoque supplicia sunt figurae; et sicut baptismus et mensa (eucharistica) prius describebantur, ita in sequentibus praesignificatum est, quod qui tali dono indigni fuerint, supplicio sint afficiendi, ut tali exemplo moniti cautiores simus et temperantiores. Sicut enim in beneficiis typi praecesserunt et secuta est veritas, ita etiam in suppliciis sequetur. Videsne, quomodo ostendat, non tantum eos punitum iri, sed etiam graviores poenas esse luituros? Nam si illud quidem typus est, hoc autem veritas, necesse est in suppliciis culmen quoddam esse, sicut in donis ». Ad quae ultima verba, quibus typus a suo antitypo, sicut umbra a re ipsa, cuius umbra est, differre insinuatur, explicanda cum *Thom.* « notandum est, quod sicut in bonis longe melius est, quod figuratur, quam ipsa figura, uti regnum coelorum, quam terra promissionis, ita in malis longe peius est, quod figuratur, quam figura significans; iuxta *Aug.* autem illa supplicia, quae Israelitae sustinuerunt, figura gehennae fuerunt, quae omni poena maior est ». Sim. alii antiquiores interpretes.

quoque et *Cai.* tria peccatorum genera distinguunt, sed non satis recte, nisi omnia nos fallunt. Etenim *Thom.* peccata cordis (*v.* 6), operis (7. 8. 9.), oris (*v.* 10) distinguit; *Cai.* vero peccatum cordis (*v.* 6) et peccatum operis (v. 7) velut duo extrema vel maxima « peccatis mediis » (8. 9. 10) opponit. De solis enim peccatis externis loquitur Apostolus, atque concupiscentiam illam commemorat, quia verbis et operibus sese manifestaverat; quid vero sibi illa « crimina media » velint, ignoro; velut leviora enim peccata Apostolus profecto nec fornicationem, nec tentationem Dei, nec murmurationem contra Deum consideravit, quas tam gravibus poenis castigatas describit.

Ad particularia igitur peccata veniens primo in loco Apostolus idololatriam vitari iubet : 7. *Neque idololatrae efficiamini sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est : Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere.* Iuxta verba ex *Exod.* 32,6 allegata integer quidem populus criminis istius fuit reus; *quidam ex ipsis* autem illud commisisse ab Apostolo cum aliqua, ut videtur, litote dicuntur, quia inter seductores et seductos distinguere voluit; ex poena enim secuta, quae *Exod.* 32,26 sqq. narratur, satis apparet, haud paucos aliorum exemplo seductos aut etiam vi coactos partem aliquam sceleris, de quo sermo est, attigisse. Ceteroquin quamnam idololatriam hic maxime prae oculis habuerit Paulus, etiam textu allegato docet, quum de epulis loquatur, quas populus, postquam vitulo aureo sacrificia oblata erant, in deserto celebravit; indirectam ergo illam idololatriam quasi digito monstrat, cuius neophyti nonnulli in idoliis epulis sacrificalibus accumbentes reos sese faciebant. Simili ratione alii indirectae idololatriae rei facti sunt fornicatione, quae cultus nonnullis diis exhibiti pars erat non minus essentialis, quam epulae sacrificales. Haud plane immerito *Tert.* (de iei. 6) ad verba *surrexerunt ludere* monet : « Intellige Scripturae verecundiam; lusum, nisi impudicum, non denotasset ». Revera verbum παίζειν, quo Alexandrini hebr. צָחֵק reddiderunt, etsi per se significationem ludendi vel choreas agendi et saltandi habet et saltationes cum coenis sacrificalibus saepe coniunctas esse constat, tamen peiorem quoque significationem luxuriose agendi interdum admittit (*Gen.* 26,8; 39,14. 17 etc.), nec quidquam impedit, quominus hoc in loco isto sensu sumatur. Sed quae illis verbis obscurius tantum innuit, ea Apostolus clare in sequenti versu proponit : 8. *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia.* Quin Apostolus ad *Num.* 25,1 sqq. alludat, vix est dubium : « fornicatus est populus cum filiabus Moab, quae vocaverunt eos ad sacrificia sua; at illi comederunt et adoraverunt deos eorum initiatusque est Israel Beelphegor » etc. Simili enim modo, quo Moabitae suum Beelphegor

impudicitiis colebant, Corinthi Aphrodite impurissimum suum cultum habebat; eidem igitur periculo, cui Israelitae in cultu idoli moabitici, neophyti corinthii erant expositi, quatenus cum scortis illi deae dicatis fornicantes reos se reddebant indirectae idololatriae.

Difficultas quaedam in eo est, quod iuxta Paulum viginti *tria*, iuxta *Num.* 25,9 viginti *quatuor* millia virorum interiisse dicantur. Quam dissonantiam ut removeamus, absit ut cum multis modernis acath. (quibus ex cathol. *Mai.* et ex parte *LR.* consentiunt) Paulo lapsum memoriae attribuamus; idem enim esset, ac si epistolae nostrae inspirationem negaremus. Variae propositae sunt solutiones : minus recte aliqui cum *Thom*[1]. minore numero non excludi maiorem aut maiore minorem includi monent; neque rectius alii illud *una die* urgent, quod Paulus addat, Moyses omittat, ac si mille pridie aut postridie interiissent; neque utrumque numerum, utpote rotundum, veritati consonare cum aliis arbitramur, ac si interemtorum numerus tria et viginti millia superaverit sed infra viginti quatuor millia haeserit; neque cum modernis nonnullis (*God.* etc.) ad rabbinicam consuetudinem appellari posse putamus, iuxta quam ad vitandam exaggerationem minor numerus adhiberi soleat (cfr 2 *Cor.* 11,26 et *Deut.* 25,3); nec rectius alii rabbinicam supponunt traditionem, iuxta quam viginti tria millia lue a Deo immissa perierint, mille a populi iudicibus sint suspensi et occisi; sed cum *Thom*[2]. aliisque multis errorem librarii antiqui statuere malumus; facile enim τρς (i. e. τέσσαρες) et τρεῖς χιλιάδες permutari potuerunt[1]. Interrogat *Chrys.*, cur Paulus, qui antea (6,12 sqq.) de fornicatione egit, eam hic iterum vitandam moneat, atque nonnullis (cfr *Est.* etc.) approbantibus respondet, eum efficacius ab hoc peccato Corinthios absterrere eiusque originem in deliciis et gula sitam esse docere voluisse. Rectius vero, uti iam innuimus, respondemus, Paulum hic fornicationem velut formam cultus idololatrici considerare.

Alterum peccatum, quo Israelitae interitum in deserto sibi attraxerunt atque Christiani quoque periculo ultimi exitii sese exponunt, est tentatio Christi : 9. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt et a serpentibus perierunt.* Vulgatae lectionem (*Christum*) testimoniis criticis probabiliorem reddi, iam diximus (cfr *VV. LL.*) ; nomine Christi autem, quem Israelitae in deserto tentaverunt, intelligi Verbum incarnandum, atque eodem nomine, si Corinthii mo-

1. Pauci quidem minusc. graeci exhibent τέσσαρες pro τρεῖς, atque eandem lectionem aliqui codd. *syr. lat. arm.* supponunt; sed haec lectio iunioribus correctoribus deberi recte dicitur. — Si *Vulgatae* nostrae lectio in *Exod.* 32,28 (*viginti tria millia*) esset certa, ad textum *Num.* 25. recurrere non cogeremur; nostrum enim versum explicationem praecedentis verbi *ludere* apte diceremus, ita ut Paulus solum cultum vitulo aureo exhibitum hic notasset. At Vulgatae haec lectio vix ac ne vix quidem defendi potest, siquidem contra illam cum textu massorethico omnes antiquae versiones militant, quae cunctae *tria millia* legunt.

nentur ne Christum tentent, intelligi Verbum incarnatum, clarum est (*cfr ad v.* 4). De quanam vero Christi tentatione loquatur Apostolus, ex narratione, ad quam alludit, desumatur oportet; variae enim sunt tentationis Dei species pro variis attributis divinis, quae aliquis factis suis explorat. Iam vero ad intimum nexum, qui inter tentationem Christi, quam in Israelitis Apostolus punitam esse dicit, et inter tentationem illam intercedit, a qua Corinthios absterrere vult, multi interpretes non satis attendentes in explicando hoc versu a vero aberrarunt; ita cum aliis *Chrys.* censet, Corinthios moneri, ne miracula postulantes divinam potentiam explorent, *Thom.* ne dubitationibus suis de futura resurrectione eandem potentiam tentent, *Theodor.* ne linguarum dono ad propriam gloriam abutentes maiestatem divinam tentent etc. Attamen in narratione, quam respicit Paulus (*Num.* 21,4 sqq.), Deus in populum ignitos serpentes immisisse refertur, quia « taedere coepit populum itineris et laboris locutusque est contra Deum et Moysen dicens : Cur eduxisti nos de Aegypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquae; anima nostra iam nauseat super cibo illo levissimo ». Querelis igitur de difficili sua conditione in deserto Israelitae Deum tentaverunt; sese enim dubitare ostendebant, num Deus in suis promissionibus esset fidelis specialemque protectionem promissam esset daturus. Simili ratione neophyti Christum tentassent, si eos legis christianae taedere coepisset, aut quia a multis, quae antea licita crediderant, iam sese abstinere cogebantur, aut quia cultu minus sollemni, qualis tunc temporis erat in nascentibus ecclesiis, non contenti sollemnitatum ethnicarum desiderio flagrabant atque omni quo potuerunt modo earum partem quandam habere conabantur coenis sacrificalibus accumbentes.

Simile est tertium peccatum, quod vitari iubetur : 10. *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.* Saepe populus in deserto murmurasse legitur, ut difficile sit dictu, ad quodnam factum particulare Apostolus alluserit. Istae procul dubio murmurationes, quae *Exod.* 15,24 (de aqua amara), 16,2 (de cibi defectu), 17,3 (de inopia aquae) referuntur, praetermittantur oportet, quia Dominus populum vix ex Aegypto egressum nequedum lege data eruditum non punivit sed inopia laborantem miraculis adiuvit. Omitti quoque debet prima murmuratio post legem acceptam, quia poena secuta est levior neque Apostoli descriptioni respondet (*Num.* 11,1-3). Ob eandem rationem etiam illa intelligi non potest, quam fallax exploratorum relatio provocavit (*Num.* 14), licet aliqui interpretes ad eam alludi censeant; integer quidem populus murmuravit, sed soli decem exploratores mendaces coram Domino

percussi sunt atque reliquis futurus dumtaxat interitus praedictus est (*Num.* 14,26 sqq.). Duae aliae remanent narrationes, quae ambae descriptioni Apostoli satis consonant; ob defectum enim deliciarum, quibus fruiti erant in Aegypto, Israelitae murmuraverunt carnes postulantes (*Num.* 11,4 sqq.), atque iterum propter severum iudicium, quo Deus arrogantiam Corae eiusque asseclarum suppressit, omnes murmurarunt (*Num.* 16); iuxta priorem narrationem Deus populo utique carnes dedit, sed « adhuc carnes erant in dentibus eorum et ecce *furor Domini* concitatus in populum percussit cum plaga magna nimis » (11,33); iuxta alteram « egressa est *ira a Domino* et desaeviit plaga magna », quae Aarone thymiama offerente cessavit, postquam quatuordecim millia et septingentos homines abstulerat (16,46 sqq.). Longe plerique interpretes cath. (*Thom.* etc., *Est. Iust.* etc., *Mai. Bisp. LR.* etc.) et acath. ad alterum factum alludi censent, idque ni fallor recte. Neque enim tantum prius iam *v.* 6. commemoratum est, sed etiam auctor *Sap.* (18,25) alterum referens eadem appellatione (ὁ ὀλοθρεύων), qua nostro in loco Paulus (ὁ ὀλοθρευτής), utitur, ita ut Apostolus simul ad librum Sap. respexisse videatur. De reliquo utra ex his duabus narrationibus praeferatur, parvi est momenti; iuxta utramque enim filii Israel directe et proxime contra duces suos divinitus constitutos murmuraverunt indirecteque dumtaxat Deum attigerunt (cfr *Exod.* 16,8); iam vero recte monere videntur interpretes (cfr *Calm. Nat. Mai. LR.* etc. — *God. Heinr.* etc.), Apostolum tale exemplum elegisse, quia Corinthii nonnulli contra ipsum, velut doctorem severiorem, murmurare vel etiam in genere liberius de magistris suis iudicare iisque obloqui coeperant. Etenim *v.* 7. et 10., ubi de idolothytis et de murmuratione loquitur, secundam personam adhibet Corinthios alloquens (*ne efficiamini* idololatrae, *ne murmuraveritis*), sed *v.* 6. 8. 9., ubi peccata attingit, quorum periculo omnes Christiani magis minusve erant eodem modo expositi, primam personam usurpat (*ne simus* concupiscentes malorum etc.).

In neutra narratione, nec *Num.* 11. nec *Num.* 16., « exterminator » (ὁ ὀλοθρευτής) nominatur; at nihil obstat, quominus Paulum per prosopopoeiae figuram *furorem Domini* aut *iram a Domino egressam* velut personam repraesentasse dicamus. Antiquiores tamen plerique interpretes angelum designari putant, quo velut instrumento Deus ad populum puniendum usus sit. Media aetate Latini latinae denominationis (*exterminator*) etymologiam haud sane recte urgentes « angelum, qui *extra terminos* terrae promissae Israelitas percusserit », intellexerunt (*Herv. Lomb. Thom. Lyr. Dion.* etc.) a *Glossae interlin.* auctore, ut videtur, in errorem inducti. Num malus an bonus ange-

lus fuerit, inquirunt alii (cfr *Est. Iust. Lap.* etc.), atque nonnulli eum *Angelum Domini* fuisse arbitrantur ad *Exod.* 23,20. 21 provocantes (cfr *Nat.*); sed hae quaestiones parum videntur esse utiles, quum de angelo quodam velut poenae istius exsecutore cogitare nec Pauli nec auctoris l. Sap. verbis cogamur.

Quae singula enumeravit, nunc comprehendit Apostolus, ut deinde ad directam exhortationem transeat : 11. *Haec autem omnia in figura contingebant illis* (τυπικῶς συνέβαινεν αὐτοῖς), Deo providentia sua ita singulos eventus disponente, ut et peccata, quae Israelitae in deserto commiserunt, et poenae, quas peccatis sibi attraxerunt, sint reales prophetiae eorum, quae Christianis contingere possunt; *scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt.* « Neque enim, inquit *Theod.*, propter illorum utilitatem effecit Deus, ut haec scriberentur; quam enim utilitatem caperent mortui ex scriptis? » Profecto eadem providentia, quae rerum cursum ita direxerat, ut nos docere posset, etiam effecit, ut singuli eventus *ad nostram correptionem* (πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν i. q. ad nostram admonitionem; cfr 4,14 νουθετῶ *moneo*) scriberentur; Israelitarum enim fatis admonemur, nos quoque, si beneficiis nostris antitypicis neglectis peccaverimus, poenas esse luituros, quae ad Israelitarum stragem eadem ratione se habeant, qua nostrae gratiae ad eorum typica beneficia. Porro recte adnotat *Cai.*, omnia propter nos scripta dici, « quia omnes Scripturae sint propter tempus Messiae » (cfr *Rom.* 15. 4). Etsi enim antiquo populo velut manuductor ad Christum inserviebant, plenam tamen suam et perfectam utilitatem exhibere non coeperunt, nisi quando tempore messianico figuris et vaticiniis impletis Vetus Testamentum in Novo patere coepit. Quamobrem Paulus quoque messianicam aetatem denotat dicens, *fines saeculorum in nos devenisse*, vel accuratius iuxta graecum (κατήντηκεν) nobis occurrisse. *Fines saeculorum* (τὰ τέλη τῶν αἰώνων) enim illam aetatem designant, quam alibi consummationem saeculorum (συντέλειαν τῶν αἰώνων *Hebr.* 9,26) aut plenitudinem temporis vel temporum (τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, τῶν καιρῶν *Gal.* 4,4; *Eph.* 1,10) nominavit atque SS. Petrus et Ioannes ad prophetarum loquendi usum (novissimi dies) propius accedentes *novissimum tempus* (καιρὸν ἔσχατον 1 Petr. 1,5) vel novissimam horam (ἐσχάτην ὥραν 1 *Ioan.* 2,18) appellarunt; significatur illa periodus, quae antemessianicae opposita a primo Domini adventu initium suum sumit, et secundo eius adventu ita terminatur, ut regnum messianicum terrestre in coeleste transmutetur. Per hypallagen vero quandam, ut monet *Est.*, *fines saeculorum* nobis occurrere dicuntur, dum

recto ordine nos in illa tempora incidere diceretur; sed maioris momenti est, quod plurali numero de *finibus* saeculorum loquens Apostolus varias innuat periodos, quas aetas messianica complectitur; errant ergo, qui ex eius verbis nonnullis, quae perverse interpretantur, eum aetatem illam brevi finituram et Christum mox ad iudicium adventurum credidisse asserunt (*cfr ad* 6,11; 7,26).

Ceterum iuxta eius sententiam omnia, quae Israelitis in aetate antemessianica contigerunt, illa quae tempore messianico sunt futura praefigurant[1] atque in illorum, qui felici ista aetate victuri sint, utilitatem sunt scripta. Unde sua sponte fluit eius monitum : 12. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Israelitarum enim lapsus et interitus nos, qui omnes baptismo e mundo egressi eucharisticoque cibo et potu refecti nobis stare videmur, admonet, lapsum et interitum nobis esse pertimescendum; quare cauti nobis invigilemus oportet, ne cadamus. Utrum verba standi et cadendi hic cum plerisque catholicis de firmitate in via virtutis et de lapsu in peccata (*Chrys.* etc., *A*[ler] etc., *Thom.* etc., *Est.* etc.; — multi acath.), an cum nonnullis acath. (*Calv. Beng.* etc.) immediate de perseverantia in gratia intelligantur, per se parum interest, quamvis prior explicatio contextui, qui ad vitanda peccata et tentationes superandas exhortatur, sit conformior; iuxta utramque enim explicationem duo dogmata catholica invicte demonstrant. Hominem gratiam iustificantem, quam a Deo accepit, amittere posse clare docent, atque in huius doctrinae confirmationem allegantur a *Conc. Trid.* (Sess. 6. de iustif. c. 13.), neque minus clare insinuant, hominem de suo statu gratiae plenam perfectamque certitudinem non habere. Neque enim Apostolus dixit : *qui stat*, sed *qui se stare existimat* (ὁ δοκῶν ἑστάναι); quae verba cave ne explices : *qui videtur stare* (sed revera non stat), uti semel legit *S. Aug.* (de dono persev. 8); qui enim non stat, cadere non potest; sed loquendi istum modum elegit Paulus ad incertitudinem illam exprimendam, quam diximus. Nimis tamen verba haec urget *Chrys.*, si illis etiam arrogantiam, qua Corinthii propriis suis viribus confidebant, carpi censet, siquidem eiusmodi vituperium nec verbis ipsis nec contextu innuitur. Recte tamen addit : « hac in terra stare non est firmiter stare, donec a praesentis vitae fluctibus liberati ad tranquillum

1. Antiquorum rabbinorum est dictum : « Quidquid evenit patribus, signum est filiis » (*Eisenmenger* Entdecktes Iudenth. II. 159 sq.; cfr 264. 801 etc.). — Egregie *S. Aug.* (c. Faust. XXII. 24) : « Dico illorum hominum non tantum linguam verum etiam vitam fuisse propheticam, totumque illud regnum Hebraeorum magnum quendam, quia et magni cuiusdam (sc. regni messianici) fuisse prophetam ». Simili modo alii Patres loquuntur; qua tamen cum limitatione haec eorum verba intelligantur oporteat, alibi diximus (cfr *Introd. gener.* p. 539 sq.).

portum pervenerimus. Noli itaque altum sapere, sed cave lapsum; si enim Paulus timuit (*cfr* 9,27), omnium fortissimus, multo magis nos timere oportet ».

Verumtamen ne neophyti, quando cunctos duobus exceptis Israelitas magnis divinis beneficiis non obstantibus in deserto periisse recordabantur, hunc quoque typum urgentes animis caderent seseque stare posse desperarent atque plus, quam praestare possent, a se postulari existimarent, Apostolus eos ita erigere voluit, ut exhortationem suam non infirmaret sed potius confirmaret, explicaret, suoque themati accuratius adaptaret. Itaque duas tentationum species, quibus ad lapsum adduci possunt, distinguit : priores, quae hominem sine eius culpa apprehendunt nec praecaveri queunt, magnum non creare periculum docet, siquidem ad eiusmodi tentationes vincendas auxilium divinum non sit defuturum (*v.* 13.); quam maxime vero cavendas esse alteras, quibus sua sponte et sine ulla necessitate vel utilitate homo sese exponit (*v.* 14.).

De prioribus igitur agens ait : 13. *Tentatio vos non apprehendat* (lege : *apprehendit*) *nisi humana; fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Consueta Graecorum lectio (εἴληφε *apprehendit*), quam praeferendam esse critica testimonia suadent (cfr *VV. LL.*), etiam contextui aptius respondet; quomodo enim Apostolus, si cum *Vulg.* coniunctivum (καταλάβη *apprehendat*) adhibuit, ex hoc suo desiderio et voto exhortationem sequentem (*v.* 14) velut sequelam desumserit, non apparet. Cum praecedente quidem sententia quis sit huius versus nexus, particula nulla indicavit; tacitae autem neophytorum obiectioni occurrisse videtur ostendens, suam exhortationem (*v.* 12.) nihil continere, quod eorum animas percellere aut frangere possit. Ad eorum enim experientiam provocans docet, omnes tentationes, quas hucusque experti sint, eiusmodi fuisse, ut eas a Deo adiuti superaverint; propter fidelitatem Dei quoque, qui eos ad fidem et ad salutem vocavit, confidere eos iubet, in posterum quoque se alias non esse experturos, nisi quas cum eodem divino auxilio sint superaturi; quapropter, uti addit v. 14., id unum maxime eis est cavendum, ne ipsi sese in tentationes iniiciant.

Tentationis (πειρασμός) nomine non solas hic intelligi persecutiones tribulationesque (*Chrys. Oec.* etc.), sed quidquid hominem ad peccatum alliciens ei causa ruinae spiritualis fieri potest, ex nexu cum superiore versu et tota praecedente pericopa plerique interpretes recte desumunt; eodem igitur sensu universali vocabulum hic adhibetur, quo in sexta orationis dominicae petitione; neque enim ulla est ratio,

cur de externis solis aut de solis internis incitationibus ad malum sumatur. Namque *humanas* eas non vocat Apostolus, quia ex hominis concupiscentia exoriantur (*Thom*[1]. etc.) aut daemoniacis opponantur (*Dion.* etc.), sed quia hominis infirmitati adaptatae « parvae, breves, moderatae » (*Chrys.*) sint et « humanae naturae conveniant » (*Theod.*; cfr *Cai. Est.* etc., *Nat.* etc., *Mai. M Ev.* etc.; — acath. multi); quem sensum voci competere, *Chrys.* aliique ex *Rom.* 6,19 haud immerito colligere videntur (cfr *Tolet.* in *Rom.* 6,19), alii non minus recte, sed clarius, ex alterius membri oppositione (*supra id quod potestis*) colligunt. *Humana* igitur remanet tentatio, licet in se gravissima sit, quamdiu vires hominis non superat. Verum animadverte, humanas vires ab Apostolo non nudas aut divino auxilio destitutas considerari, siquidem in altero membro Deum facere proventum dicit. Namque argumentum ex neophytorum experientia desumtum, quae eos stare potuisse demonstret, Paulus altero confirmat et extendit ad fidelitatem divinam provocans : Deus enim, qui ad fidem eos vocavit, ut salutis participes fierent, fidelitate sua tenetur, ut in tentationibus, quas ipse supra eos venire patitur, eos ita corroboret, ut illis omnibus superatis ad salutis portum perveniant. Nolite itaque timere, inquit, quia fidelis Deus supra vires vestras vos tentari non patietur. Idem est Deus, qui ut tentemur permittit et qui tentationibus nos resistere iubet; iam vero « Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis » (*Conc. Trid.* Sess. 6. de iustif. 11; cfr *S. Aug.* de nat. et gr. 43). Etenim *faciet cum tentatione proventum*, τὴν ἔκβασιν i. e. exitum eumque felicem (quare Vulg. vertit « *pro*ventum ») ex tentatione vel, uti antiqua versio exhibuit, *evadendi facultatem* (cfr *S. Cypr.* Test. c. Iud. III. 91). « Ipse enim perseverantiam praestat et celerem liberationem affert, ut hac ratione tentatio ferri possit » (*Chrys.*); Deum autem tentatis auxilium statim dare, recte cum *Theoph.* aliisque ex eo colligimus, quod *cum* tentatione simul et evadendi facultatem dare dicatur. Tentationes igitur omnes, quae iuxta sapientissimum Dei consilium nos apprehendunt quibusque Deus nos exerceri patitur (attende, verbo ἐᾶν, *pati*, aliquid plus exprimi, quam negativa expressione : *non impedire*), vires nostras non superant, quia Deus semper adest auxilio suo nos roboraturus, ut eas sustinere in iisque stare possimus. « Vere fidelis Deus, qui dat potentiam ne vincamur, gratiam ut mereamur, constantiam ut vincamus » (*Thom.*).

Confidere igitur debent neophyti, se a Deo adiutos lapsum evitaturos, si sine sua culpa in tentationes quascumque inciderint; at aliter se res habet, si sponte ac libere in eas se iniicientes proximam quasi

peccandi occasionem quaesierint; quamvis enim ad eiusmodi tentationes evitandas Deus eis non sit defuturus, in eis tamen sustinendis, si temere periculo peccandi sese exposuerint, idem auxilium eis non est promissum : « qui amat periculum, in eo peribit » (*Eccli.* 3,27). Hinc intelligitur conclusio Apostoli : 14. *Propter quod, carissimi mihi, fugite ab idolorum cultura* (ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας). Ex omnibus gravibus tentationibus, in quas homines temere ipsi irruunt, unam solam nominat, ut post longam digressionem ad practicam quaestionis de idolothytis propositae solutionem veniat; idololatriae enim nomine hic indirectam illam designari, cuius periculo sese exponunt, qui epulis sacrificalibus ethnicorum accumbunt, quum descriptio sequens (*v.* 16 sqq.) tum exempla praecedentia (*v.* 9, sqq.) docent. Iam vero idolothytorum usum nullam afferre utilitatem atque eos, qui epulis sacrificalibus accumbunt, infirmis fratribus scandalum praebere, supra (8,8 sqq.) iam ostenderat; at epulae in se ipsae gravissimum peccandi periculum continent, quia, etsi idololatria per se non sunt, cum ea tamen intime cohaerent cultusque idololatrici pars quaedam sunt atque convivas suos constituunt socios daemoniorum (*cfr v.* 20). Iure merito igitur Apostolus earum societatem velut gravem tentationem considerat, cui Christianus sponte ac libere sese exponere non potest, nisi cadere et prosterni velit. « Hortatur nunc, inquit *A*[er], ut abstineant se ab omni societate idololatriae, ut non solum spes sed et animus inde tollatur, ne per hoc nascatur in Deum tentatio. Nemo enim assiduus in idolio nihil sperat ab eo (sc. idolo); hinc autem sperare dubitare de Deo est ». Quapropter Apostolus neophytos societatem illam fugere iubet periculi gravitatem et magnitudinem expressione (φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας « fugiendo discedite ab idololatria ») manifestans; neque enim ipsam idolorum venerationem et adorationem, id quod per se patet, vitandam esse sed omnia illa quoque longe arcenda esse innuit, quae quomodocumque ad illam adducunt; amplior enim est verbi φεύγειν vis, si cum praepos. ἀπό, quam si cum nudo accusativo (6,18) coniungitur. Quin etiam compellatione caritatis plena (ἀγαπητοί μου *carissimi mihi*) se aliquid magni ab eis postulare ostendit, quod difficile quidem sit, sed necessarium (cfr *Chrys. Theod.* etc.).

Restat, ut de v. 13. quaedam addamus; Iansenistae enim eum ita exposuerunt, ut solis electis et praedestinatis auxilium divinum in tentationibus non defuturum significetur, atque *Est.* hanc explicationem satis fuse defendere conatur. « Loquitur enim ad hunc modum Apostolus, inquit, propterea quod promissiones Novi Test. principaliter ad electos pertinent, quibus Deus absolute promisit ac praeordinavit vitam aeternam et omnia

bona ad eam consequendam necessaria; quale est *vincere tentationes et hoc ipsum a Deo petere.* Nam huiusmodi promissio nec omnibus fidelibus nec omnibus iustis facta est, sed solis et omnibus electis : eo nimirum sensu, quia, quamvis interdum Deus eos sinat supra vires tentari ac tentatione deiici,... tamen finaliter nulla tentatione a Deo separantur ». Totam hanc quaestionem de tentationibus tractare ad nos non spectat; sed, adnotemus S. Paulum pronomine *vos* totam ecclesiam corinthiam alloqui, quam solis electis atque absolute ad salutem praedestinatis constitisse, nemo prudens asseruerit. Porro suis verbis Apostolus Corinthios procul dubio erigere et confortare voluit, ut stare studerent et lapsum caventes tentationem non timerent; atqui nemo, quamdiu hac in terra vivit, sine speciali revelatione scire potest, num ex numero electorum sit; si quis vero se electum esse scivisset, illa confortatione non indiguisset; in aerem igitur locutus esset Paulus, si pronomine *vos* solos electos et absolute praedestinatos intellexisset atque praecedens monitum (*qui se existimat stare, videat ne cadat*) prorsus fuisset superfluum, ne dicam absurdum. Clarissimis quoque Pauli verbis aperte contradicit Estius cum Iansenistis, si illa de sola ultima tentatione intelligens ipsos *electos* « interdum supra vires tentari » asserit. Hominem enim non obstante gratia sufficiente, quam Deus ei offert, « interdum tentatione deiici » certissimum est, at lapsus eius non exinde provenit, quod tentatio eius vires superat, sed exinde, quod ipse vires suas divinitus adiutas et corroboratas non adhibet. Patribus omissis, quorum ne unus quidem de solis *electis* verba paulina ita est interpretatus, ut ex numero eorum, quos Deus supra eorum vires tentari non patitur, omnes alios excluderet, sufficit demum monuisse, a Conc. Trid. textum istum latiore sensu adhiberi. Anathema enim dixit asserentibus « posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, quum Deus id recte petentibus non deneget *nec patiatur nos supra id quod possumus tentari* » (*Conc. Trid.* Sess. 24. De sacr. matr. can. 9.); num forte Concilium omnes, qui castitatem voverunt, dicere voluit *electos?* Aut si Concilium sub anathemate doctrinam prohibet « Dei praecepta homini etiam iustificato sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia » (Sess. 6. De iustif. can. 18), numquid « homines iustificatos et sub gratia constitutos » dicemus esse solos *electos?*

Rectius quidem, quam Estius, verba explicat *Nat.* : « Electis, ad quos praecipue pertinent promissiones Novi Test. et quos nemo rapiet de manu illius, Deus certissime tribuet evasionem e tentationibus et in fine saltem vitae tentationum victoriam; iustis autem omnibus, quibus nihil impossibile praecipit, evadendi et vincendi facultatem, eorum infirmitatem auxilio sufficiente gratiae suae muniens, quoties urget praeceptum ». At non satis accurata est explicatio, quia nullo verbo distinctio inter *electos* et inter *iustos omnes* a Paulo innuitur. Neque accuratius *Calm.* verba interpretatur, si electis et iustis semper proximum in tentationibus auxilium dari, reprobis et impiis ad summum remota auxilia offerri insinuat; nam haec quoque distinctio e verbis paulinis non eruitur, sed in ea ingeritur. Nihil aliud

asserit Paulus, nisi Deum *fideles* supra eorum vires tentari non pati atque auxilio suo, sive remoto sive proximo, eis adfuturum, ut tentationem, quae secundum suum consilium eos apprehendit, possint sustinere et vincere. An et quomodo haec verba, quae de solis fidelibus pronuntiavit Paulus, de infidelibus quoque intelligi possint, est quaestio, de qua agunt theologi dogmatici.

Non multi sunt interpretes, qui simili modo, quo nos, duas tentationum species a Paulo distingui monent (cfr *Iustin.*, qui *v.* 14. de tentatione « non amplius humana, sed plane diabolica, a qua longissime sit recedendum » sermonem esse censet; *Bisp. I.R.* etc.; — ex acath. *God.*) atque eundem vel similem trium versuum (12-14) nexum admittunt. — Latini non tantum antiquiores (*Herv. Lomb. Thom.* etc.) sed etiam haud pauci recentiores (*Lap. Men. Tir. Calm.* etc.) latinam lectionem (*apprehendat*) retinent, sed a *v.* 14. sequentem particulam inchoant, neque tamen, quid sibi velit particula *propter quod* satis sciunt (cfr ex. gr. *Thom.* « dicit ergo *propter quod*, ac si diceret : quia sacramenta sola non salvant et qui cadit punitur et auxilium Dei non deest, fugite » etc.; aut *Lap.* « per τὸ *propter quod* significat se omnia praecedentia dixisse, ut eos absterreat ab idololatria et idolothytis » etc.). Plerique tamen iuniores graecam lectionem (*apprehendit*) recte praeferunt, sed in nexu statuendo *Chrys.* aliosque Graecos sequuntur. Qui in *v.* 12. repressionem superbiae Corinthiorum humilitatisque commendationem deprehendunt, quae *v.* 13. confirmetur : « Postquam veteribus narratis exemplis eos satis terruit verbisque : *Qui videtur stare videat ne cadat*, in animi angorem eos iniecit, nunc rursus (ne dicerent : Cur nos terres et timore afficis? neque enim in illis malis inexercitati sumus, quia multa iam pericula sustinuimus) illorum tumorem reprimens ait : *Tentatio vos non apprehendit nisi humana* i. e. parva, brevis, moderata; ne itaque altum sapiatis ac si tempestatem superaveritis; nondum enim vidistis periculum, quod mortem minatur, neque usque ad sanguinem restitistis. Deinde exterritos, postquam illis humilitatem commendavit, iterum erigit, dicens *Fidelis Deus* » etc. (*Chrys.*). Paulus igitur scribere debuit : « Hucusque tentatio vos non apprehendit, nisi humana; maiores tentationes instant; sed nolite timere, nam fidelis est Deus » etc. Nescio vero, an eiusmodi supplementum legitime admittatur; sin vero admittatur, remanet difficultas annectendi verba sequentia, quae velut conclusio ex praecedentibus inferuntur. At de hoc nexu Graeci non loquuntur; inter Latinos vero aliqui *v.* 14. immediate cum *v.* 12. coniungunt (« ut quilibet caveat, ne cadat, fugite ab idololatria » *Cai.* etc.), alii cum ultimis verbis *v.* 13. (« quia Deo adiuvante omnes tentationes sustinere et vincere potestis, fugite ab idololatria » *Dr.* etc.); alii alio modo, sed omnes, ut videtur, parum apte.

III. — *Practica solutio quaestionis de idolothytis* (10,15-11,1).

Pro more suo Apostolus ultimo praecedentis pericopae versu viam sibi paraverat ad novum argumentum tractandum. Itaque postquam suo exemplo proposito et fatis Israelitarum typice explicatis Corinthios docuit, strenue viro christiano esse laborandum, ut salutem suam assequatur divinaque gratia adiutus omnibus tentationibus resistat, practicam tradit quaestionis de idolothytis solutionem regulis indicatis, quae observandae sint. Diversimode autem de hac re iudicandum

esse docet pro diversa ratione, qua idolothyta adhibebantur; omnino enim ab indirecta illa idololatria abstinendum esse, quae committitur, si quis in idolorum fanis epulis sacrificalibus accumbit (10,15-22ᵃ); quod si vero in mensa communi idolothyta proponantur, ad id maxime esse attendendum, ne fratribus scandalum praebeatur (10, 22ᵇ-11,1).

1. *De epulis sacrificalibus* (10, 15-22).

10,15. *Ut prudentibus loquor, vos ipsi iudicate, quod dico.* 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi, est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* 18. *Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* 19. *Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid?* 20. *Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum: non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum;* 21. *non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum.* 22. *An aemulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus?*

10,15. Ὡς φρονίμοις λέγω· κρίνατε ὑμεῖς ὅ φημι. 16. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία ἐστὶν τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ; τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστίν; 17. ὅτι εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν· οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. 18. βλέπετε τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα· οὐχὶ οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσίν; 19. τί οὖν φημί; ὅτι εἰδωλόθυτόν τί ἐστιν ἢ ὅτι εἴδωλόν τί ἐστιν; 20. ἀλλ' ὅτι ἃ θύουσιν, δαιμονίοις καὶ οὐ θεῷ θύουσιν· οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς κοινωνοὺς τῶν δαιμονίων γενέσθαι. 21. οὐ δύνασθε ποτήριον Κυρίου πίνειν καὶ ποτήριον δαιμονίων· οὐ δύνασθε τραπέζης Κυρίου μετέχειν καὶ τραπέζης δαιμονίων. 22. ἢ παραζηλοῦμεν τὸν Κύριον; μὴ ἰσχυρότεροι αὐτοῦ ἐσμέν [1];

Quam periculosae sint ethnicorum epulae sacrificales, Apostolus ex earum effectu demonstrat. Argumentum enim suum neophytorum

[1] *VV. LL.* — 17. οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν (omnes enim de uno pane participamus) est communis lectio Graecorum, quae plerisque verss. confirmatur; sed D E F G cum *It* (*Alter*, *Pel.* etc.), nonnullis codd. *Vulg.* (*Demid. Harl. Tol.* etc. quos sequitur *Vulg. Sixt.*), et *Goth.* addunt καὶ τοῦ ἑνὸς ποτηρίου (et de uno calice), quod additum, utpote glossema per se quidem rectissimum, sed superfluum, omittatur oportet. — Pro *Vulg. Clem.* lectione: *omnes qui* codd. *Fuld. Am.* cum aliis exhibent: *omnesque;* rectius autem vertitur: *omnes enim* cum antiqua versione (*S. Aug.* c. advers. leg. I. 19; *Alter*, *Pel.* etc.), a qua vix dissentiunt multi mediae aetatis expositores (*Lomb.:* quoniam omnes, *Herv.:* quia omnes etc.). — 19. Ordo duorum membrorum (ὅτι εἰδωλόθυτον... ὅτι εἴδωλον...), quem habent B D E P et pauci minusc., confirmatur a verss. *It* (cfr *S. Aug.* c. adv. leg. I. 19), *Vulg. Copt. Arm. Aeth.; textus rec.* ordinem invertit cum K L, plerisque minusc., *Syr. Goth.*; nonnulli codd. gr. et aliqua exemplaria verss. alterutrum membrum omittunt. — 20. ἀλλ' ὅτι ἃ θύουσιν (sed quia quae immolant) B D E F G.; sed alii codd. et verss. addunt subiectum τὰ ἔθνη (*gentes*). Antiqua versio latina cum graeco textu plane consensit (cfr *S. Aug.* l. c.); sed librarii particulam *quia* (ὅτι) ante *quae* (ἃ) per errorem probabiliter omiserunt.

iudicio quasi subiiciens (*v.* 15) ostendit, Christianos suis epulis sacrificalibus, i. e. sumtione eucharistici panis et vini, intime cum Christo uniri (16., 17), sicut Israelitae infideles e suis sacrificiis comedentes cum altari uniuntur (*v.* 18); unde consequens est, ut ii, qui ethnicorum epulis sacrificalibus accumbunt, cum iis uniantur, quibus ethnici sua sacrificia revera offerunt, i. e. cum daemoniis; quam perversum autem sit, simul cum Christo et cum daemoniis uniri velle, per se clarum est (19-22ª).

Quoniam satis frequentes erant inter ethnicos epulae sacrificales, utpote cum omnibus fere domesticis celebritatibus coniunctae, facile intelligitur, neophytos ethnicos non nisi aegerrime illis renuntiasse; ab illis enim sese abstinentes omnia fere consanguinitatis et amicitiae vincula abrumpere cogebantur. Quapropter, ut molestum et difficile, quod daturus erat, mandatum mitigaret (cfr *Chrys.* etc.), neophytos ipsos velut iudices constituit ad eorum sapientiam, qua gloriabantur, appellans : 15. *Ut prudentibus loquor* (ὡς φρονίμοις λέγω), tamquam viris, quibus tanta competit rerum sacrarum scientia, ut verba mea intelligere et diiudicare possint, sententiam meam eiusque probationem exponam : *vos ipsi iudicate*, *quod dico*. Qua praemissa benevolentiae captatione statim velut rem neophytis cognitam et ab eis admissam ostendit eucharistica coena veram et propriam unionem cum Christo iniri : 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio* (κοινωνία) *sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus*, *nonne participatio* (κοινωνία) *corporis Domini est?* « Ideo primum calicem nominat, inquit *Pel.*, ut possit de pane latius disputare »; revera integro versu sequente hanc unionem, quae pane consecrato initur, accuratius explicat et ab ea ad Iudaeorum et ethnicorum sacrificia transit; at eodem ordine calicem ante panem nominat *vv.* 20. 21; quare forte melius dicemus, hunc ordinem ab Apostolo esse electum, quia a libatione epulae sacrificales ethnicorum inchoabantur. Ceterum ubi de ordine, quo iuxta Christi institutionem Eucharistia celebratur, agit, panem ante calicem nominat (11,23 sqq.)[1].

Quin *calix benedictionis, cui benedicimus* (τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ

1. Nonne etiam coniicere licet, in primitiva Ecclesia celebrationem eucharisticam a benedictione quadam praevia calicis esse inchoatam? Iuxta *Luc.* 22,17 sqq. Dominus primum accepto calice gratias egit, deinde panem consecravit distribuitque atque tum demum calicem consecravit et distribuit; eundem forte ritum tenuit etiam primitiva Ecclesia. Revera antiquissimum documentum christianum (*Doctr. duodec. Apost.* 9) de Eucharistia loquens actionem gratiarum de calice praemittit ante gratiarum actionem de pane, sed statim postea quum eodem capite tum capite insequente communionem corporis Domini ante communionem sanguinis commemorat. Ipsam vero consecrationem omittit, quia integram liturgiam tradere noluit.

εὐλογοῦμεν) sit calix consecratus vel, si sine metonymia loquimur, illud quod peracta consecratione in calice eucharistico continetur, nemini est dubium; sed dubia est verborum ipsorum interpretatio. Iuxta *Chrys.* hoc nomine appellatur, quia « omnem divinae beneficientiae thesaurum » continens benedictionem sumentibus tribuit; cui sententiae parum convenit phrasis relativa (*cui benedicimus*), quae genitivi *benedictionis* explicationem et rationem dare videtur [1]. Iuxta *Oec. Thom.* (cfr Summa theol. III. qu. 78. a. 1) multosque iuniores Latinos vocabulis benedictionis et benedicendi ipsa consecratio directe indicatur [2], contra quam sententiam alii (cfr *Est. Lap.* etc.) acriter disputant monentes verba εὐλογεῖν et εὐχαριστεῖν a Patribus quidem sensu consecrandi adhiberi, in Scriptura vero de precibus illis usurpari, quae consecrationem ipsam praecesserunt (*Matth.* 26, 26 sq., *Marc.* 14,22). Quae etsi recte essent dicta, nihil tamen obstaret, quominus et preces, quae consecrationem praecedunt sequunturque, et ipsam consecrationem illis verbis indicatas diceremus, ita ut *calix benedictionis, cui benedicimus* sit calix, quem praemissis precibus Dominus in ultima coena consecravit (*cfr ad* 11,24) quemque iuxta eius mandatum in eius memoriam nos praemissis precibus consecramus (cfr *Herv.* etc., *Mai.* etc.). Sufficiens autem ratio deest, ut cum nonnullis modernis (*Mai. Bisp.* etc. — *God.* etc.) appellatione *calicis benedictionis* ad hebr. כּוֹס הַבְּרָכָה, quo nomine rabbini tertium poculum in coena paschali adhibitum appellant, alludi dicamus. Porro prima persona plur. utitur Apostolus (*benedicimus*) non tam quia in persona sacerdotum loquitur (*Gl ord. Herv.* etc.), sed potius quia omnes fideles, quum sacrificio eucharistico adstent, una cum sacerdote sacrificium offerunt suoque *Amen* preces benedictionesque a sacerdote prolatas certo quodam modo suas faciunt (*Chrys. Thom. Cai. Est.* etc.).

Calix benedictionis igitur, cui benedicimus, dicitur esse *communicatio* (κοινωνία *communio*) sanguinis Christi; quia « hoc quod in calice est, illud ipsum est, quod ex latere eius fluxit » (*Chrys.*), ita ut ex calice bibentes fideles sanguinis Christi participes fiant et cum eo uniantur. Quo sensu et quem in finem Apostolus haec dicat, ex altero membro clarius apparet, quum illud ipse explicet. *Et panis, quem*

1. Prorsus inepte recens quidam interpres acath. (*God.*) genitivo *benedictionis* sententiam exprimi censet : « Sit Deus benedictus propter hunc calicem », dum phrasis relativa (*cui benedicimus*) sensum habeat : « Utinam hic calix nobis benedictioni sit »; quomodo altera haec explicatio verbis consonet, nemo prudens dixerit.

2. *Similis* est plerorumque Protestantium sententia (cfr *Grot.* etc., *Beng.* etc., *einr.* etc.), quos tamen veram consecrationem non admittere, opus non est dictu.

frangimus, nonne participatio (κοινωνία communicatio, vel potius : communio) *corporis Christi est?* De pane eucharistico consecrato Apostolum loqui, iterum inter omnes constat. *Frangere panem* (κλάζειν ἄρτον) enim inde ab eo tempore, quo Dominus in ultima coena « panem gratiis actis (εὐχαριστήσας) fregit » (11,24; *Luc.* 22,19; cfr *Matth.* 26,26; *Marc.* 14,22) expressio est usitatissima, qua quum corporis dominici consecratio, tum tota Eucharistiae celebratio vel, ut accuratius loquamur, integrum sacrificium eucharisticum designatur (*Act.* 2,42. 46; 20,7. 11; *Doctr. duodec. Apost.* 14 etc.). Porro iuxta Apostolum panis consecratus *est communio corporis Christi,* quatenus isto pane vescimur, sicut calix consecratus est communio sanguinis Christi, quatenus ex illo calice bibimus. Quae phrases accurate perpendendae sunt, quia sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem Domini vere et realiter adesse demonstrant. Neque enim ista manducatio et potio nostram cum Christi corpore et sanguine unionem significare aut dumtaxat producere dicitur, sed ipsa *est* unio; atqui quomodo id esse potest, nisi corpus et sanguis Christi vere et realiter et substantialiter adsint? Attende quoque, Apostolum non usum esse vocabulo μετοχῆς (participationis), uti monet *Chrys.*, sed dixisse κοινωνίαν (communionem vel *unionem*), quia panem illum edentes et e calice illo bibentes vere et proprie cum Christo *unimur.*

Praecipua vis argumentationis est in hac unione (κοινωνίᾳ), quapropter Apostolus eam demonstrat ex effectu (unione fidelium inter se) ad causam (unionem fidelium cum Christo) concludens : 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus,* vel clarius et rectius (cfr *VV. LL.*) in secundo membro : *omnes enim de uno pane participamus.* Quae verba, ut eorum sensus clarius illucescat, hac ratione exponere liceat : Uti conceditis, nos fideles omnes, quamvis multi simus (οἱ πολλοί), *unum* constituimus *panem* mysticum, *unum corpus* mysticum; unde intima haec inter nos unio? Nonne ex eo, quod *omnes ex uno* eodemque *pane* (ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου) *participamus?* Sed quomodo participatio ex uno pane efficere potest, ut unum corpus simus? Quia hic panis est ipsum Domini corpus, quod a nobis sumtum nos in se transmutat nosque sibi concorporeos facit.

S. Aug. (Conf. VII. 10) Dominum in Eucharistia ad fideles loquentem inducit : « Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me »; atque *S. Cyr. Ier.* (Catech. 22,3) catechumenos, qui prima vice ad mensam eucharisticam admittebantur, alloquitur : « Cum omni certitudine haec tamquam corpus et sanguinem

Christi sumamus. In figura panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis, ut, quum corpus et sanguinem Christi sumseris, *concorporeus et consanguis ei* efficiaris » (ἵνα γένῃ, μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ, σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτοῦ) [1]. Inter nos unimur, quia cum Christo per Eucharistiam unimur, atque duplici ratione panis, quem frangimus, et calix, cui benedicimus, est unio corporis et sanguinis Domini : namque, uti apposite explicat *Damasc.* (de orthod. fide IV. 14) : « communio (κοινωνία) dicitur et vere est Eucharistia, quia nos per illam unimur Christo et participamus eius carnem et divinitatem; atque communio etiam est, quia unimur per ipsam inter nos. Quia enim ex uno pane participamus, omnes efficimur unum corpus Christi et unus sanguis et ad invicem membra, concorporei Christo effecti ».

Duobus vocabulis (*unus panis, unum corpus*) Apostolus iuxta *Thom.* duplicem unitatem, qua inter nos unimur exprimere voluit : « primam incorporationis, qua in Christum transformamur, quum dicit : unus panis; alteram vitae et sensus, quam a Christo capite accipimus, quum addit : et unum corpus »; rectius vero, ni fallor, unam solam indicari dicimus, quae pro duplici argumenti, quod tractat,

1. Haud raro Patres graeci vocabulo συσσώμου, quod ex *Eph.* 3,6 hauserant, ad effectum Eucharistiae designandum utuntur; prae ceteris *S. Cyr. Alex.* illud amavit, cuius unum dumtaxat locum adscribemus, quia ad explanandum nostrum textum inservit. De Domini enim verbis « Ego sum vitis » etc. (*Ioan.* 15,1) disserens contra haereticum quendam « nos etiam corpore cum Christo coniunctos esse » ostensurus ita argumentatur (In Ioan. X. 2. M. 74,341) : « Quod vero dicere ausi sunt (haeretici), nullam esse nobis cum Christo carnalis coniunctionis rationem, sacris Literis penitus dissentire ostendemus. Quis enim prudens umquam dubitaverit ea ratione Christum esse vitem, nos vero palmitum formam referentes vitam ex ipso et ab ipso in nos trahere, quum Paulus dicat : *Omnes enim unum corpus sumus in Christo, quoniam unus panis multi sumus : omnes enim de uno pane participamus.* Dicat enim nobis aliquis causam, et vim eulogiae mysticae obiter doceat. Nam cur in nobis inseritur? Nonne ut Christum inhabitare faciat in nobis etiam corporaliter participatione et communione sanctae suae carnis? Sane quidem; scribit enim Paulus gentes factas esse *concorporales et comparticipes et cohaeredes Christi* (*Eph.* 3,6). Concorporales autem quomodo factae sunt? Nempe eulogiae mysticae participatione unum cum eo factae sunt corpus, sicut et unusquisque sanctorum Apostolorum. Alioquin quam ob causam Paulus sua propria, immo omnium membra sicut sua, membra Christi nuncupavit? Sic enim scribit : *Nescitis quoniam membra vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit!* (1 *Cor.* 6,15). Sed Salvator ipse : *Qui manducat meam carnem,* inquit, *et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* (*Ioan.* 6,56). Hic enim animadvertere est operae pretium, Christum non dicere, se dumtaxat in nobis futurum secundum relationem quamdam affectualem sed et per participationem physicam (οὐ κατὰ σχέσιν τινὰ μόνην τὴν ἐν διαθέσει νοουμένην ἀλλὰ καὶ κατὰ μέθεξιν φυσικήν). Sicut enim si quis ceram alteri cerae coniunxerit et igne simul liquaverit, unum aliquid ex ambobus efficit, ita per corporis Christi et pretiosi sanguinis participationem ipse quidem in nobis, nos autem in eo simul unimur (συνενούμεθα) ». Quae ulterius persequens fructum huius intimae unionis exponit. Cfr etiam In Ioan. IV. 2 (6,48 sqq. M. 73. 564 sqq.); de SS. Trin. dial. 1. (M. 75,697) etc.

ratione duobus istis vocabulis exprimitur : panis enim, cuius species post consecrationem remanent, ex multis, uti monent Patres, granis conficitur, et corpus Christi quum verum tum mysticum multis membris componitur (cfr *Gl ord.*). Unitas porro haec exoritur « quia omnes de uno pane participamus », quae sententia novum praebet argumentum ad realem praesentiam Domini sub speciebus panis demonstrandam. Quodsi enim illud, quod propter remanentes species panis vocatur, non *est* corpus Christi, sed corpus Domini significat tantum, fideles de uno eodemque pane (τοῦ ἑνὸς ἄρτου) non participant; alius enim panis Corinthi, alius Ephesi distribuebatur, alius hodie, alius cras distribuitur; eadem vero rerum distinctarum significatio non potest efficere, ut diversae istae res fiant una eademque res; num forte omnia Veteris Test. sacrificia, quia omnia sacrificium Domini praefigurabant et significabant, vocari possunt unum idemque sacrificium? numquid toto antiquae oeconomiae tempore unus idemque sacerdos unum eundemque vitulum obtulit atque omnes Israelitae ex uno eodemque vitulo participabant? At quia panis, quem frangimus, *est* corpus Christi, ideo ubique et semper numerice unus idemque est ideoque etiam hic panis solus omnes, qui ex eo participant, et secum et ad invicem unit. Profecto tam clare his verbis realis praesentia docetur, ut iam *S. Iren.* (c. haer. V. 2) ex iis contra Gnosticos demonstraverit, Christum vere redemisse nos sanguine suo ac proinde vere hominem esse factum, atque carnem nostram esse resurrecturam eamque capacem esse incorruptibilitatis [1].

Ad ultimi versus, quum magni sit momenti, ampliorem expositionem non inutile erit duorum Patrum, unius graeci, alterius latini, verba attulisse. Haec igitur *S. Chrys.* : « Quid dico *communicationem* (κοινωνίαν)? Illud ipsum corpus sumus. Quid enim est panis ille? Corpus Christi. Quid autem fiunt sumentes? Corpus Christi :

1. De S. Irenaei argumentatione cfr *Massuetii* Diss. praev. III. a. 7. n. 89 sqq. Quoniam in Eucharistia iuxta Apostolum vera et proprie dicta unio habetur sumentis cum corpore et sanguine Christi, ad angustias rediguntur acatholici, qui realem praesentiam negant. Inde a Ps. Reformatorum aetate iam ad absurdissimas explicationes confugerunt, ut verborum apostolicorum vim confringerent. Omnia eorum effugia recensere nec vacat nec iuvat; curiositatis tantum causa unum alterumve indicamus. Iuxta *Zwingl.* (Resp. ad Bugenh.) poculum eucharisticum, de quo agit Paulus, nihil aliud est quam nos ipsi. « Nos enim, inquit, quid aliud sumus nisi ipsa communio, ipse coetus et populus, consortium et sodalitas sanguinis Christi, i. e. ille ipse populus, qui sanguine Christi ablutus est? » Haec ne ipsi quidem eius filii repetere audent. Recentissimus interpres e Calvini schola argumento ut ait « simplicissimo » ostendit, de reali praesentia carnis et sanguinis Christi in S. Eucharistia S. Paulum ne cogitare quidem potuisse. Iuxta Paulum enim (*infra* 15,50) « caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt »; iuxta Paulum igitur glorificatum Domini corpus nec carnem nec sanguinem habet; ergo etiam iuxta Paulum in Eucharistia caro et sanguis Domini adesse non possunt. Quis eiusmodi ineptiis immorari voluerit? Ex *S. Iren.* c. haer. V. 9 iam discere potuit, quo sensu Apostoli verba (15,50) sint intelligenda.

non corpora multa sed unum corpus. Sicut enim panis ex multis granis constans unitus est, ita ut grana nusquam appareant, sed sint quidem ipsa, non autem manifesta sit illorum differentia propter coniunctionem : sic nos et inter nos et cum Christo unimur. Neque enim ex altero corpore hic, ex altero ille nutritur, sed ex uno eodemque omnes; quapropter addidit : omnes enim ex uno pane participamus. Si autem ex eodem omnes et idipsum efficimur omnes, cur non eandem quoque caritatem exhibemus et secundum hanc quoque unimur? » etc. Et *S. Aug.* explicans *Ioan.* 6,52 (« Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ». In Ioan. tr. 26,13) : « Norunt, inquit, fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi; de spiritu Christi non vivit nisi corpus Christi. Intelligite, fratres mei, quid dixerim. Homo es et spiritum habes et corpus habes. Spiritum dico, quae anima vocatur, qua constat, quod homo es; constas enim ex anima et corpore. Habes igitur spiritum invisibilem, corpus visibile. Dic mihi, quid ex quo vivat : spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis : corpus meum vivit de spiritu meo. Vis ergo et tu vivere de spiritu Christi? In corpore esto Christi. Numquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo et tuum de tuo. Non potest vivere corpus Christi, nisi de spiritu Christi. Inde est, quod exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem : *Unus panis*, inquit, *unum corpus multi sumus*. O sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum caritatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat; accedat, credat, *incorporetur*, ut vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum, non sit putre membrum quod resecari mereatur, non sit distortum de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum; haereat corpori; vivat Deo de Deo; nunc laboret in terra, ut postea regnet in coelo ».

Antiqua vers. 17. constructio et explicatio, quam secuti sumus, omnino est retinenda, ita ut duo substantiva *unus panis*, *unum corpus* eodem modo ad praedicatum phraseos pertineant, cuius subiectum est *nos multi*. Ita cum *Chrys.* reliqui Graeci et cum *Atro* antiqui Latini plerique (inserta particula *et* duo substantiva coniungentes) phrasin construxerunt. Novam viam inierunt plerique moderni, sed dissensu suo multiplici se infelicem viam elegisse ostendunt. Alii nexum inter *vv.* 16. et 17. negantes explicant : « quia unus panis est, ideo unum corpus sumus multi » (*Nat. Mai.* — *Beng.* etc., *Cod. Heinr.* etc.); alii intimum nexum causalem *v.* 17. ad *v.* 16. retinentes coniungunt : « participatio corporis Domini est, quia unus panis est ideoque unum corpus sumus » (*Mey.* etc.) aut : « quia, sicut unus panis est, ita unum corpus sumus » (*De W.* etc.). Quod si Paulus duas phrases distinguere voluisset, in priore copulam non omisisset (ὅτι εἷς ἄρτος ἐστίν, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν), quin etiam articulo inserto subiectum a praedicato distinguere debuisset (ὅτι ὁ ἄρτος εἷς).

Ex *vv.* 16. 17. igitur corpus et sanguinem Domini sub speciebus eucharisticis realiter adesse clare deducitur, quia sumtio panis et vini consecrati iuxta apostolicam doctrinam nos cum corpore et sanguine Domini intime unit; sed ex iisdem character sacrificalis quoque Eucharistiae clare demonstratur, siquidem ex analogia sumtionis Eucharistiae ad ethnicorum epulas sacrificales concludere non potuisset Paulus, nisi ex utraque parte ratio sacrificii adesset et sumtio Eucharistiae rationem dapis sacrificalis haberet; id quod clarius ex sequentibus patebit. Etenim a sacrificio christiano ad sacrificium iudaicum

transit, ut altero analogo epulis sacrificalibus unionem quandam produci ostendat. 18. *Videte Israel secundum carnem; nonne qui edunt hostias participes* (κοινωνοί) *sunt altaris?* Israel secundum carnem Israeli secundum spiritum (qua quidem appellatione Apostolus nusquam utitur, quam tamen innuit *Rom.* 2,28 sq.; *Gal.* 4,29), aut, si mavis, Israeli Dei (*Gal.* 6,16) opponitur. Secundum carnem proxime quidem est Israelita, qui naturali generatione per Iacobum ab Abraham originem trahit; at in oppositione expressa vel tacita ad Israel Dei Apostolus nomine *Israelis secundum carnem* omnes illos complectitur Iudaeos, qui quia Messiam suum respuerant nullam amplius benedictionum patribus eorum factarum partem habebant; *Israel Dei* vero omnibus iis constat, qui Christo inserti ad illud iam semen Abrahae pertinent, cui promissiones sunt factae (*Gal.* 3,29). Iam vero ante Domini passionem sacrificia populi israelitici, utpote a Deo ipso ad praefigurandum et significandum crucis sacrificium instituta, si debito modo debitaque cum animi dispositione offerebantur, Deo grata acceptaque fuerant, veram quoque virtutem quandam (non utique ex sese, sed ex sacrificio quod praefigurabant) habuerant, quin etiam certo quodam modo offerentes, qui ex hostiis manducabant, cum Deo unierant; integra victima Deo quidem tradita erat, sed eius partem aliquam Deus offerentibus reliquit, ut ex ea epulas pararent; qui autem his epulis accumbebant, ii convivae erant Dei atque hac ratione velut cum eo reconciliati considerabantur. Verum postquam Dominus in ara crucis sese ipse Deo sacrificium obtulit, antiqua sacrificia iudaica, quae ex sola sua ad futurum sacrificium relatione eiusque praefiguratione totam suam virtutem hauserant, inanes factae erant ceremoniae, quae quia a Deo non amplius accipiebantur etiam offerentes et manducantes cum Deo non amplius uniebant; itaque *Israel secundum carnem* suis sacrificiis et epulis sacrificalibus solius *altaris*, in quo offerebantur, particeps (κοινωνός) fiebat, sacrificiorum autem et epularum continuatione semper suam persuasionem de unitiva eorum virtute profitebatur. Quapropter Apostolus iure merito sacrificia, quae tum temporis in templo ierosolymitano offerebantur, velut alterum analogum attulit.

Chrys. iam bene perpendendum esse monet, iuxta Apostolum Iudaeos non cum Deo sed cum *altari* uniri; at nec ipse nec plerique alii, nisi omnia nos fallunt, huius locutionis veram rationem videntur indicasse. Namque iuxta *Chrys.* (sim. *Theod. Dam. Oec. Theoph.*) Israelitae secundum carnem « altaris participes dicuntur, quia urebatur, quod superimpositum erat: in corpore Christi autem id non fit; sed panis, quem frangimus, communio corporis Christi est, atque ita non cum altari, sed cum Christo unimur ».

At in ethnicorum quoque sacrificiis pars victimae comburebatur in altari, nihilominus ethnicos epulis suis sacrificalibus, a quibus Christianos absterrere vult, non cum altari, in quo offerebant, sed cum daemonibus, quibus offerebant, uniri innuit Apostolus (*v.* 20). — *Cai.*, quocum ***Est. Iust. Lap.*** etc. (ex acath. ***Ros.*** et haud pauci) fere consentiunt, nomine altaris metonymice sacrificium in eo oblatum significari censet; at non tantum superfluum erat dicere, eos *qui edunt hostias* cum hostiis uniri, sed etiam non attenditur, de effectu huius unionis cum hostiis quaestionem esse. — Neque minus a vero aberrant, qui altare quasi instrumentum vel medium, quo gratiae a Deo conferebantur, considerari putant (***Mai.***), aut unione cum altari simul unionem cum Deo indicari asserunt (***Bisp. LR.*** — ***Rück*** etc.); de ***Israele secundum carnem*** enim agitur, qui, quatenus ***Israeli Dei*** opponitur, nec cum Deo uniri nec ab eo gratias accipere potest. — Ob similem quoque rationem eorum reprobatur opinio, qui altare velut centrum religionis mosaicae considerantes sacrificiis unionem cum hac religione asseri volunt (***Mey. Heinr. God.*** etc.); nudum enim altare, quod solum Israeli secundum carnem reliquum erat, centrum religionis ei nec fuit nec esse potuit. Itaque remanet explicatio, quam supra innuimus.

Iam duo haec analoga Apostolus ad thema suum de epulis sacrificalibus ethnicorum ita adhibet, ut neophytorum animi ab iis non abhorrere non possint. Duobus enim exemplis allatis constat, epulis sacrificalibus hominem cum eo uniri, cui sacrificia sunt oblata. Perfectissimo modo unio haec habetur in mensa eucharistica : Christianus enim corpus et sanguinem Domini sub speciebus panis et vini sumens cum Christo, cum eius humanitate et divinitate ac proin cum Deo ipso, cui sacrificium eucharisticum offertur, intima quae excogitari potest unione coniungitur; imperfectiore modo antiqui Iudaei epulis suis sacrificalibus cum Deo, quatenus eos in convivium suum adhibebat, coniungebantur, atque huius unionis testis remanet Israel secundum carnem, qui, quia nemo amplius adest, qui eius sacrificia accipere velit, cum nudo altari coniungitur : a simili igitur ethnici suis epulis sacrificalibus cum iis coniungantur necesse est, quibus sacrificant. Quibus vero ethnici sacrificia sua offerant, explicat Apostolus praecavens errorem, ne idolis, quippe quae nihil sint (8,4), offerri putentur : 19. *Quid ergo? Dico, quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid?* Clarior et concinnior est sermo, si interpungimus : *Quid ergo dico* vel *assero? Quod idolothytum sit aliquid? aut idolum sit aliquid?* Apostolus sententiam suam de inanitate idolorum nequaquam mutat, id quod aliquis ex eius argumentatione concludere potuit; nec Iupiter nec Venus nec aliud quodcumque idolum, cui ethnici sacrificabant, sunt aliquid in rerum natura ideoque etiam victimis, quae illis offeruntur, nihil virtutis tribuere pos-

sunt; idolothytum igitur qua idolothytum nihil est nec prodesse cuiquam aut obesse potest, atque idolum nihil est. Haec firma rataque manent, 20. *sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo.* Δαιμόνιον, quo nomine Graeci suas divinitates designabant, in toto Novo Test. (si *Act.* 17,18 excipitur, quo in loco Athenienses ethnici loquuntur) semper spiritus malos, diabolum aliosque, qui cum eo ceciderunt, angelos Deo adversarios significat atque eodem sensu iam ab alexandrinis interpretibus adhibetur; nullo igitur modo cum nonnullis acath. (*Mosh. Neand.* etc.) vocabulum hoc in loco de falsis ethnicorum diis explicare licet. Iuxta Apostolum gentes sua sacrificia malis spiritibus offerunt; dii enim illi, quos colere praetendunt, quum nihil sint, quidquam efficere nequeunt; ab iis igitur potestas illa praeterhumana, quae quum in oraculis ethnicis nonnullisque quae inter gentes fiunt prodigiis tum in apparenti ethnicarum precum exauditione et in reliquo eorum cultu interdum sese manifestat, procedere non potest; progreditur autem a principe huius saeculi et angelis eius, qui hac ratione ethnicos semper magis occaecaverunt. Illi sacrificia accipiunt, et quamquam gentes daemoniis sacrificare directe non intendunt, neque clare sibi conscii sunt, sua sacrificia a daemonibus acceptari, indirecte tamen id intendunt et obscure id percipiunt, quatenus totam suam idololatriam cultui veri Dei adversari non ignorant atque ita se ipsos velut servos exhibent potestatum illarum, quae vero Deo adversantur. Hanc explicationem innuit Apostolus, quum gentes non tantum *daemoniis immolare* asserat, sed simul addat eos *non Deo immolare*. Eandem doctrinam Alexandrini iam expresserant in textu *Deut.* 25,17, ad quem Apostolus alludit (immolaverunt daemoniis et non Deo, diis, quos ignoraverunt), uti aliis in locis (*Ps.* 105,37; 95,5; *Bar.* 4,7), eandemque expressit S. Ioannes (*Apoc.* 9,20). Quam tamen ita intelligere non licet, ut in idolis ipsis daemones quasi praesentes fuisse aut, ut censet *Est.* « omnibus simulacris immundis spiritus assedisse » dicantur; id enim si verum esset, Apostolus dicere non potuisset *idola nihil esse;* neque cum nonnullis Patribus verba apostolica ita intelligere licet, ut singulis falsis ethnicorum diis certus daemon respondisse credatur. Sed tota idololatria totusque polytheismus daemonibus ita adscribitur, ut sacrificia, quae ethnici suis idolis offerre intendebant, re in daemoniorum honorem cederent iisque offerrentur. Haec asserit Paulus; quapropter dubitare non licet, quin daemones in polytheismo cultuque ethnico magnam immo primam partem habuerint.

Hinc intelligitur exclamatio Pauli : *Nolo vos socios fieri* (κοινωνοὺς γενέσθαι, unionem inire) *daemoniorum*, quae severum continet prae-

ceptum. Qui epulis sacrificalibus accumbit (id analogis allatis constat), cum eo unitur, cui sacrificium est oblatum; consequens est, ut ii, qui ethnicis epulis sacrificalibus accumbunt, cum daemoniis uniantur. « Quae autem conventio Christi ad Belial? quae societas luci ad tenebras » (2 *Cor.* 6,15)? Absonum est duobus istis dominis servire illisque adhaerere et cum iis uniri velle : *Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum;* 21. *non potestis mensae Domini participes esse* (μετέχειν, partem habere) *et mensae daemoniorum.* Insignis Christo inferretur contumelia, si eius membra cum acerbissimis eius adversariis unionem inirent; neophyti eucharistico cibo et potu Domino concorporei et consanguines (σύναιμοι) facti sunt; quomodo igitur iidem ethnicis epulis accumbentes sese cum daemonibus unire eorumque quasi membra fieri possunt? Nonne maius hoc est crimen, quam si quis corpus suum, quod est membrum Christi, membrum faciat meretricis (6,15)? Profecto tale crimen is solus committere potest, qui Dominum ad iracundiam provocare stultissimus audeat, ac si cum eo concertare posset : 22. *An aemulamur* (παραζηλοῦμεν) *Dominum? numquid fortiores illo sumus?* Verbum παραζηλοῦν a *Chrys.* explicatur : « tentare Deum num punire possit eumque irritare »; *Deut.* 32,21 (αὐτοὶ παρεζήλωσάν με ἐπ' οὐ θεῷ), ad quem locum Apostolus alludere videtur, hebraico קִנֵּא respondet atque idem est quod « iram alicuius provocare excitata aemulatione »; quae significatio ad nostram sententiam quadrat. Sunt, qui formam παραζηλοῦμεν pro irregulari coniunctivo (παραζηλῶμεν, cfr *Gal.* 4,17 ζηλοῦτε pro ζηλῶτε) habeant, qui voluntativi locum occupet (numquid Domini iram provocare volumus?); at aptior est indicativus, quum eiusmodi homines, qui liberaliore sua agendi ratione Dei iram provocaverunt, Corinthi revera insinuet adfuisse; eorum vero stultitiam et insolentiam acerba cum ironia interrogatio altera castigat et reprimit.

In tota hac sectione (15-22[a]) Eucharistiam verum esse sacrificium, Apostolus continuo supponit; atque tota eius argumentatio plane rueret, nisi sumtio panis et vini consecrati epulis sacrificalibus aequipararetur ac proin consecratio ipsa esset actio sacrificalis. Verum id, quod in tota argumentatione clare docet, *vv.* 20. 21 clarius enuntiat; atque meritissimo Patres *Conc. Trid.* (Sess. 22. de sacrif. missae c. 1) mundam oblationem a Malachia praedictam, « *non obscure,* inquiunt, innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, quum dixit, non posse eos, qui participatione mensae daemoniorum polluti sunt, mensae Domini participes fieri, *per mensam altare utrobique intelligens* ». Ita profecto res se habet, atque recte *Cai.* : « adverte, prudens lector, errorem noviter exortum dicentium, quod tempore Apo-

stolorum Eucharistia non erat sacrificium sed tantum sacramentum, ex hoc loco manifeste confutari; nam hic clare de Eucharistia, quatenus est sacrificium, est sermo. Expresso enim connumerat sacrificia Iudaeorum et sacrificia gentilium ad nihil aliud nisi ad ostendendum sacrificium Christianorum non posse simul participare cum sacrificio gentilium; unde et iisdem utitur nominibus mensae Domini et mensae daemoniorum ». Revera quin *mensa daemoniorum* altare proprie dictum, in quo victimae offerebantur, quarum pars epulis sacrificalibus inserviebat, aut directe significet, aut illud saltem innuat, quatenus mensa in idolio instructa velut altaris ipsius pars quaedam considerabatur cum eo tam arcte coniuncta, ut idem utrique nomen competat, non potest esse dubium. Iam a sacris scriptoribus nomen *mensae* (שֻׁלְחָן τράπεζα) et de altari veri Dei (*Mal.* 1,7; *Ezech.* 44,16) et de altari idolorum (*Is.* 65,11) adhibetur; apud graecos quoque scriptores profanos ἡ τράπεζα ἡ ἱερά aut etiam ἡ τράπεζα (sine ullo addito) altare in templo erectum significat (cfr *Steph.* Thes. s. v.); hinc etiam Patribus θυσιαστήρια et τράπεζαι unum idemque significant (cfr *S. Bas.* ep. 277 al. 73,2; *S. Greg. Nyss.* Orat. in bapt. Chr. M. 46,581 etc.) iidemque frequentissime nomine τραπέζης de altari, in quo corpus et sanguis Domini consecrantur, ita utuntur, ut in hoc paulino loco verum sacrificium se deprehendisse manifestent (cfr *S. Hipp.* fragm. M. 10,628; *Orig.* c. Cels. VIII. 17; *S. Chrys.* in Eph. hom. 3,4 etc. etc.). Invicte quoque constat ex *Doctr. duod. Apost.* 14. tempore apostolico Eucharistiam velut sacrificium esse consideratum.

2. *De idolothytis in mensa communi appositis* (10,22-11,1).

10,22b. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* 23. *Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant.* 24. *Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius.* 25. *Omne, quod in macello vaenit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* 26. *Domini est terra et plenitudo eius.* 27. *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire : omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* 28. *Si quis autem dixerit : Hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter illum, qui indicavit, et propter conscientiam :* 29. *conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?* 30. *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo, quod gratias ago?* 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite.* 32. *Sine offensione estote Iudaeis et gentibus et ecclesiae Dei :* 33. *sic-*

22. Πάντα ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει. 23. πάντα ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. 25. μηδεὶς τὸ ἑαυτοῦ ζητείτω, ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑτέρου. 26. πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν. 26. τοῦ Κυρίου γὰρ ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς. 27. εἴ τις καλεῖ ὑμᾶς τῶν ἀπίστων καὶ θέλετε πορεύεσθαι, πᾶν τὸ παρατιθέμενον ὑμῖν ἐσθίετε μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν. 28. ἐὰν δέ τις ὑμῖν εἴπῃ· Τοῦτο ἱερόθυτόν ἐστιν, μὴ ἐσθίετε δι' ἐκεῖνον τὸν μηνύσαντα καὶ τὴν συνείδησιν. 29. συνείδησιν δὲ λέγω οὐχὶ τὴν ἑαυτοῦ, ἀλλὰ τὴν τοῦ ἑτέρου. ἵνα τί γὰρ ἡ ἐλευθερία μου κρίνεται ὑπὸ ἄλλης συνειδήσεως; 30. εἰ ἐγὼ χάριτι μετέχω, τί βλασφημοῦμαι ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ; 31. εἴτε οὖν ἐσθίετε εἴτε πίνετε εἴτε τι ποιεῖτε, πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ ποιεῖτε. 32. ἀπρόσκοποι καὶ Ἰουδαίοις γίνεσθε καὶ Ἕλλησιν καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, 33. καθὼς

ut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. 11,1. *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*	κἀγὼ πάντα πᾶσιν ἀρέσκω μὴ ζητῶν τὸ ἐμαυτοῦ σύμφορον, ἀλλὰ τὸ τῶν πολλῶν, ἵνα σωθῶσιν. 11,1. μιμηταί μου γίνεσθε, καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ [1].

Duae primae sententiae (22 [b]. 23) a plerisque antiquioribus (*Chrys.* etc., *Thom.* etc.) praecedenti pericopae adiunguntur; at de epulis sacrificalibus, quas Apostolus velut absolute illicitas et impias respuit, non nisi coacte intelliguntur. Pro introductione igitur novae sectionis eas rectius sumimus, quippe in qua de re per se licita, de idolothytorum nimirum in mensis communibus appositorum usu, agat. Etenim supra (8,4 sqq.) hanc quaestionem theoretice iam ita tractaverat, ut idolothyta, quum idolum nihil sit nec proin victimas sibi oblatas polluere possit, a reliquis cibis non differre ostenderet, in eorum tamen usu ad adiuncta attendendum esse et ob infirmorum fratrum scandalum ab iis interdum abstineri oportere moneret. Quam quaestionis solutionem ad vitam practicam accommodaturus praeprimis docet, in adiaphororum usu ad eorum utilitatem esse attendendum (22-24); licet igitur nulla per se sit ratio, cur in ciborum communi in mensa appositorum naturam curiosius inquiratur (25-27), ab illis tamen cibis, quos aliquis idolothyta esse monuerit, abstinendum esse, ne monenti scandalum praebeatur (28-30); quas regulas terminat exhortans, ut ad suum exemplum neophyti in omnibus suis actionibus gloriam Dei sectentur (11,1).

Simili modo, quo suam fornicationis increpationem, explicatis limitibus, quibus adiaphororum usus circumscribitur (*cfr ad* 6,12), hanc expositionem inchoat : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt;* 23. *omnia mihi licent, sed non omnia aedificant.* Ex sola liceitate res

1. *VV. LL.* — 22. 23. πάντα ἔξεστιν... πάντα ἔξεστιν (omnia licent... omnia licent) B ℵ A C D E, pauci minusc., *It. Vulg.* (*Fuld. Am. Demid. Tolet* etc.), *Copt. Goth.*; quae lectio videtur praeferenda lectioni *textus rec.* : πάντα μοι ἔξεστιν... πάντα μοι ἔξεστιν (*omnia mihi licent... omnia mihi licent*), quam cum H K L tuentur plerique minusc., *Vulg.* (*Clem.*) *Syr. Arm.* — 24. ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑτέρου (*sed quod alterius*) B ℵ A C D F G H P, pauci minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.*; quae lectio retinenda contra *text. rec.*: ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑτέρου ἕκαστος (sed quod alterius est unusquisque), quam cum E K L exhibent plerique minusc. et *Syr.* — 26. τοῦ Κυρίου γάρ vel τοῦ γὰρ Κυρίου (Domini *enim*) est consueta lectio Graec. et Verss.; minus recte *It. et Vulg.* omittunt *enim.* — 27. εἴ τις καλεῖ ὑμᾶς τῶν ἀπίστων (*si quis vocat vos infidelium*) est consueta lectio; superflue addunt εἰς δεῖπνον (ad coenam) D E F G cum *It.* et nonnullis codd. *Vulg.*, quos secuta est *Vulg. Sixt.* — 28. ἱερόθυτον (immolaticium) B ℵ A H et nonnulli codd. versionum; sed retinenda est consueta lectio εἰδωλόθυτον (*immolatum idolis*) cum C D E F G K L P, omnibus fere minusc., *Vulg. Syr. Copt.* etc. — *Textus rec.* in huius versus fine integrum *v.* 26. male repetit.

non sunt diiudicandae, sed si de eorum usu quaestio agitatur, ad utilitatem attendatur oportet, quam ipsi agenti et proximo afferant, atque ab iis abstineatur necesse est, si alterutri spirituale afferant damnum. « Nam dicere : *non expedit* (συμφέρει, utile est), est propriam perniciem subindicantis; dicens autem : *non aedificat*, fratris scandalum innuit » (*Chrys.*). Quin immo in huiusmodi rebus ad proximi magis aedificationem, quam ad propriam utilitatem, attendendum esse Paulus docet addens : 24. *Nemo quod suum est, quaerat, sed quod alterius;* eo ipso enim, quod fratrem iuvat, suum quoque bonum spirituale promovet. Se ipsum ita egisse atque agere, longa illa digressione de sustentatione ostenderat (9,1 sqq.); ac de simili argumento agens simile quoque monitum Romanis dedit Christi ipsius exemplo proposito (*Rom.* 15,1 sqq.), iisdemque fere verbis, quibus illa in epistola, statim (*v.* 33 sq.) suum monitum repetet illud inculcans, quod infra docebit, caritatem non quaerere, quae sua sunt (13,5; *cfr* etiam *Phil.* 2,4).

Quibus praemissis duas regulas de usu idolothytorum in mensa communi statuit Apostolus, prius docens, quomodo neophyti agere debeant domi (25. 26), deinde quomodo se gerere debeant, si ab ethnicis sint invitati (*v.* 27). Itaque 25. *omne quod in macello vaenit* (πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον, quidquid in macello venditur) *manducate, nihil interrogantes* (ἀνακρίνοντες inquirentes) *propter conscientiam.* Duplicem explicationem sententia admittit prout vocabula *propter conscientiam* ad verbum *manducate* aut ad participium *interrogantes* trahuntur. Priorem praeferre videtur *Chrys.*, ut sensus sit : nullo praevio examine manducate quaecumque ex macello afferuntur, ne forte conscientia vestra gravetur, si illas carnes idolothytas esse auditis. Communior tamen et aptior est altera : ad pacandam conscientiam vestram supervacaneum est inquirere, undenam sint carnes, quae in macello emtae in mensa apponuntur; ita aptissime adnectitur sequens sententia : 26. *Domini (enim) est terra et plenitudo eius.* Quia res omnes Domini sunt, etiam nihil immundi in se habent nec inquinare possunt eum, qui iis vescitur; immundae autem fiunt, uti recte habet *Chrys.*, ex cogitatione (i. e. ex erronea conscientia) et ex inobedientia. Verba ipsa ex *Ps.* 23,1 desumta sunt, atque particulam causalem (*enim*), quam graeci codd. et aliae versiones exhibent, in Vulg. ideo esse omissam, quia in Psalmo ipso desit, *Est.* haud immerito suspicatur. Pauci interpretes antiquiores (*Dion Carth. Cai.* etc.) et recentes (*Mai.* — *D W. Rück.* etc.) eodem modo hic, uti *v.* 28., intelligunt conscientiam alterius (nolite interrogare, ne forte infirmi fratris conscientia perturbetur); at parum recte, quum Paulus non

solis fortioribus, sed omnibus Christianis has regulas tradat; neque minus procul dubio hic, quam *v.* 29., explicationem addidisset, si alterius conscientiam intelligi voluisset. Porro quemadmodum in suis domibus omni cibo sine ullo scrupulo vesci possunt, ita etiam iis, qui ab ethnicis ad coenam sunt invitati, cibos appositos manducare licet : 27. *Si quis vocat vos infidelium* (ad coenam sc. communem, minime vero ad epulas sacrificales; de his enim post ea, quae *v.* 20 sqq. docuit, non amplius potest esse sermo) *et vultis ire* (hoc enim prohibitum non est; cum christianis quidem peccatoribus notoriis cibum sumere non licet iuxta 5,11; ethnicorum autem invitationem aliquis sequi potest) *omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam;* omnes enim cibi sunt mundi.

In hisce regulis Apostolus solam illius, qui manducavit, conscientiam respexerat illudque *omnia mihi licent* solum explicaverat; aliter vero res sese habere possunt, si etiam proximi conscientia respicitur, ita ut certis in casibus generales illae regulae non valeant. Ad quas exceptiones nunc transit Apostolus : 28. *Si quis autem dixerit* (te non interrogante nec si in macello carnes emas nec si invitatus mensae communi amici alicuius ethnici accumbas) : *hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit, et propter conscientiam.* Moderni aliqui interpretes (cfr *Mai.* — *Mey.*) inquirunt, utrum is, qui monuisse dicatur, ethnicus an Iudaeus, an infirmus frater fuisse supponatur. At supervacanea est inquisitio nec ullo modo indefinitum Pauli praeceptum restringere licet, quum omni in casu periculum scandali adesse queat. Ethnicus enim sive ex bona sive ex mala intentione rem monens, a christiana religione retineretur, si Christianum suam ipsius legem spernere vidisset; neque enim convivii tempore longa disputatione convinci potuit, idola nihil esse ac proin Christianis usum idolothytorum non prohiberi. Iudaei deinde, quibus omnibus idolothyta abominationi erant, multo magis essent scandalizati, si Christianos etiam monitos sine ullo scrupulo iis vesci vidissent; quanto demum periculo exemplum istud infirmis fratribus fuisset, Apostolus ipse iam descripsit (8,10 sqq.).

Quisquis igitur est qui monet, a manducandis idolothytis Christianus se abstineat oportet, quia hic usus, quamvis per se licitus sit, proximum non aedificat; hanc solam esse rationem, cur abstinendum sit, docet Paulus addens : *propter illum, qui indicavit et* (quidem) *propter* (eius) *conscientiam,* ne sc. spirituale aliquod damnum patiatur. Ne vero neophyti putent, eodem sensu hic dictum esse *propter conscientiam,* sicut *vv.* 25. 27., clarius suam sententiam explicat eamque simul probat : 29. *Conscientiam autem non dico tuam, sed alterius* (τοῦ ἑτέρου

in genere, quum eius, qui monet, tum aliorum, qui testes adsunt). Ratio vero, cur non moniti sed monentis aliorumve conscientia sit intelligenda, est clara; mea enim conscientia alterius errore scrupulisve non ligatur : *Ut quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia;* mea conscientia non polluitur, si id ago, quod ego licitum esse scio, quamvis alius idipsum pro peccato habeat; quem in finem (ἵνα τί) enim libertatem meam iudicio alterius conscientiae ita subiiciam, ut id iam mihi per se illicitum esse arbitrer, quod per se licitum esse cognovi? Nulla igitur ratione propter propriam conscientiam abstinere debeo, sed propter alterius conscientiam, ne illam percutiam et ad peccandum aedificem (8,10 sqq.). Quae simili argumento confirmat : 30. *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo, quod gratias ago.* Contra plerorumque enim sententiam censeo, formam βλασφημοῦμαι hoc in loco non esse passivam sed medialem, ita ut sensus phraseos sit : si re aliqua cum gratiarum actione fruor, quid est causae, cur me ipse de hac re vituperem? Christianus, si cibum sumit, gratias agit Deo, a quo, quum illius sit terra et plenitudo eius, hunc quoque cibum accepit (*cfr* 8,6; *Rom.* 14,6); atqui nihil reiiciendum vel reprobandum est, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei et orationem (1 *Tim.* 4,4. 5); nulla igitur est ratio, cur se ipse de hac manducatione vituperet, licet alius ob erroneam conscientiam istum cibum per errorem pro polluto et immundo habeat ideoque cum gratiarum actione eo vesci non possit.

Plerique interpretes duobus his versibus (29. 30) praecedentem prohibitionem (*v.* 28. *nolite manducare*) explicari et confirmari censent (*Chrys.* etc., *Alex* etc., *Thom.* etc., *Iustin. Est.* etc., *Mai. Bisp.* etc.; — *Beng. Rück.* etc., *Ew. Os.* etc.). Itaque hoc modo priorem versum explanat *Est.* : « nulla ratione committere debeo nec occasionem dare, ut alius erroneam et infirmam habens conscientiam iudicet, i. e. damnet, meam libertatem, qua possum indifferenter quidvis manducare. Atqui id futurum est, si comedam, postquam ille mihi dixerit, hoc immolatitium esse ». Quae explicatio si admittitur, verba priora *v.* 29 (*conscientiam autem non dico tuam, sed alterius*) pro parenthesi sumenda sunt, nec satis intelligitur, cur Apostolus tam forti oppositione rem exprimere voluerit, ad quam in sequentibus non amplius respicit; simplicius in *v.* 28. dicere potuit : « propter illum qui indicavit et infirmi fratris conscientiam ». Praeterea Paulus *v.* 29. non dicit : « *ut quid enim committam*, ut aliena conscientia iudicet seu damnet meam libertatem », sed factum aliquod exprimit. Quapropter explicationem supra datam praefero; facilius autem concedam, solum *v.* 30. velut rationem afferri, cur monitus ab usu idolothyti abstinere debeat; apte enim forma βλασφημοῦμαι, uti plerumque, passivo sensu sumitur (Cur, si cum gratiarum actione cibis vescor, mihi maledicitur pro re, de qua gratias ago?), nam similem rationem de eodem argumento agens affert Apostolus Romanis (*Rom.* 14,16). Nihilominus quia sententia *v.* 30. sine ulla particula praecedenti addita est, ei videtur esse parallela,

ita ut eodem modo, quo illa, incisum illud (*non dico tuam conscientiam*) confirmet. A *Chrys.* aliisque Graecis phrasis χάριτι μετέχω (quam *Vulg.* recte vertit : *cum gratia participo*) explicatur : « per gratiam Dei, quae me stabilem et firmum fecit, utor omnibus creaturis Dei, ut nullam velut impuram reiiciam »; at quo sensu χάρις hic usurpetur, sequens verbum εὐχαριστῶ extra dubitationem ponit.

Demum ut doctrinam suam de idolothytis concludat, generalem regulam Apostolus proponit, quam in omnibus actionibus Christiani prae oculis habeant oportet : 31. *Sive ergo manducabitis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* In tertio membro (*sive aliud quid facitis*) *Orig.* (in Gen. hom. 5,4) sola « inverecunda matrimonii negotia verecundo sermone signari » nimis arcte nec recte arbitratus est; recte potius *Theod.* « pulchre, inquit, omnia comprehendit et sedere et ambulare et disserere et misereri et castigare, ut omnium unus finis sit Dei gloria », neque immerito cum *Chrys.* aliisque multis velut illustrationem verba Domini (*Matth.* 5,16) allegat : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est ». Porro verba Pauli (nisi forte iis merum consilium exprimi minus apte cum *S. Bonav.* aliisque censeas) non ita explicare licet, ut nos singulas vitae actiones positivo actu ad Deum referre iubeant, sed id vult Apostolus, ut Christiani in rebus quoque, quae per se sunt indifferentes (de his enim agi, contextus et exempla ab eo allata ostendunt) non suam voluptatem suumve commodum, sed ultimum suum ac supremum finem prae oculis habeant, solliciti ne quid committant, quo Dei honor laedatur aut imminuatur, omnia potius ad Dei gloriam promovendam inserviant[1].

Quam communem explicationem respicientes nonnulli interpretes (cfr *Lap. Est.* etc.) dictum Pauli, quamvis verba sint affirmantia, negativum praeceptum continere non plane inepte dixerunt. Revera enim Apostolus ipse negativo praecepto praecedentia sua verba videtur explicare : 32. *Sine offensione estote Iudaeis et gentibus et ecclesiae*

1. Cfr *S. Aug.* similem Psalmistae sententiam explicans : « Tota die Deum laudare quis durat? Suggero remedium, unde tota die Deum laudes, si vis. *Quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum.* Quando cantas hymnum, laudas Deum; lingua tua quid agit, nisi laudet etiam conscientia tua? Cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris? Noli inebriari et laudasti Deum. Discedis ut dormias? Noli surgere ad malefaciendum et laudasti Deum. Negotium agis? Noli fraudem facere et laudasti Deum. Agrum colis? Noli litem movere et laudasti Deum » (In Ps. 34,28. Serm. 2,16). Quibus verbis ad nostrum locum explicandum allegatis addit *Thom.* : « Quum Deus laudatur de bono opere tuo, Deum laudas; et quum Deus blasphematur de malo opere tuo, Deum blasphemas ». Simili modo *A^{ter}* iam dixerat : « In gloriam Dei aliquid fit, quum in actibus et conversatione Christiani Deus laudatur », atque *Pel.* : « nihil magis agendum est Christiano, quam ut in omni eius opere Dei gloria praedicetur, nec aliquid faciat, unde Christi doctrina possit in aliquo reprehendi ».

Dei. Divina enim gloria non promovetur sed conculcatur et vilipenditur, si Christiani, qui fidem legemque suam suis actionibus reprobant, malis suis exemplis Iudaeos et gentiles a recipiendo Evangelio retinent; neque promovetur, sed laeditur, si infirmi fratres aliorum exemplis ad ea facienda seducuntur, quae ipsi peccata esse putant, quamvis revera peccata non sint. At quoniam scit, se rem difficilem a neophytis postulare, ideo iterum (uti supra 9,1 sqq.) suum exemplum eis proponit eosque exhortatur, ut se imitentur, immo vero Dominum, quem ipse imitari studeat : 33. *sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* 11,1. *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Verbum ἀρέσκειν (*placere*) de placendi studio aliquoties adhibetur (*Rom.* 15,2; 1 *Thess.* 2,4 etc.) eodemque sensu hic usurpatur; etsi enim Iudaeis Iudaeus factus erat iisque, qui sine lege erant, ac si sine lege esset, Apostolus nec omnibus Iudaeis nec omnibus gentilibus placuerat; pro sua tamen parte omnia fecerat, ut eis *per omnia* (uti per se patet, divinae legi non contraria) placeret. Porro sicut verba *per omnia* ex natura rei ad adiaphora restringuntur, ita alia, quae addit (*non quaerens, quod mihi utile est*) etiam iuxta contextum de commodo vel utilitate temporali intelligenda esse, vix opus est ut moneamus; omnia enim fecit propter Evangelium, ut particeps eius fieret (9,23). Verum suo commodo longe praetulit salutem *multorum* (τῶν πολλῶν), quibus sese accommodavit plenae suae libertati renuncians eorumque servum sese constituens, ut plures (τοὺς πλείονας) lucrifaceret (9,19). Qua ratione agens Dominum imitatus est, qui non sibi placuit, i. e. non propriis commodis servivit nec proprio sanguini aut propriae vitae pepercit, ut nostram salutem operaretur, sed improperia improperantium, omnium sc. hominum peccata, in se suscepit, ut morte sua cruenta pro iis satisfaceret (*Rom.* 15,3). Tale igitur exemplum imitatus Paulus iure merito sese ipse neophytis velut exemplum imitandum proponit.

Quomodo cum decreto apostolico, quo idolothyta absolute prohiberi videntur (*Act.* 15,29), regulae a Paulo traditae (10,22 sqq.) concilientur, in controversia est. Rationalistae haud pauci doctrinam Pauli apostolico decreto contradicere statuentes nostro loco abutuntur ad historicam auctoritatem Actuum evertendam (**Baur** Der Ap. Paulus I. p. 150 sqq. **Renan** S. Paul p. 92 etc.); alii acath. plerique Paulum, postquam maiorem in Ecclesia nactus sit auctoritatem, decretum ierosolymitanum non amplius curasse insinuant (**Mey. Heinr. God.** etc.). Inter catholicos olim, ut difficultatem solverent, aliqui decretum eo tempore, quo Paulus scripsit, Corinthiis nondum innotuisse, alii illud iam abolitum esse coniecerunt; at pa-

rum recte, quia vix anno post concilium elapso Paulus corinthiam ecclesiam fundavit atque a celebrato concilio usque ad hanc epistolam scriptam septem circiter anni effluxerunt. Cum *Est.* plerique moderni (*Nat. M Ev. Bisp. Dr.* etc.) decretum solis ecclesiis Syriae et Ciliciae inscriptum alios Ethnicochristianos in Macedonia, Achaia etc. degentes non comprehendisse tenent. Quae sententia nobis quoque probatur (*cfr* p. 218 sq.) et difficultatem, si qua adest, sufficienter solvit; at ni fallor, ad eam solvendam superflua est, siquidem tantum abest, ut Paulus decreto contradicat, ut illud authentice interpretetur, licet illud diserte non nominet.

Quae ut ostendamus, praemonemus idolothyta, sanguinem, suffocatum, fornicationem (i. e. matrimonia inter consanguineos *cfr ad* 5,1) ab Apostolis eum in finem esse prohibita, ut cum Iudaeis conversis, qui ab illis quatuor abhorrebant, Ethnicochristiani in unum coetum facilius coalescerent; proscriptionis igitur rationem non internam rerum illarum malitiam, sed Iudaeorum scandalum vitandum constituisse. Negari quoque nequit, prohibitiones in decreto tam vage exprimi, ut explicatione indiguerint; quare illos, qui in Syria et Cilicia decretum promulgarunt, accuratiorem eius interpretationem addidisse et simul proscriptionis causam rationemque exposuisse iure admittitur. Decretum vero, licet inscriptione sua ad certas provincias restringi in iisque solis promulgatum esse videatur, universale tamen fuisse atque eas saltem ecclesias omnes comprehendisse, in quibus ethnici et Iudaei conversi simul degebant, ratio, qua Apostoli ad illud ferendum permoti sunt, omnino suadet. Itaque Corinthi quoque, sicut in Syria et Cilicia, Paulum, etsi decretum non promulgavit, idolothyta tamen prohibuisse prohibitionisque causam explicasse, concedere possumus; sed quoniam ibi pauci Iudaei fidem receperant (cfr *Act.* 18,5 sqq.), mirum non est, quod neophyti multi mox sibi persuaserint, se lege illa non amplius teneri, quia scandalum Iudaeorum non sit timendum. Hinc Apostolus ab initio tractatus sui rationem legis maxime inculcans periculum scandali Corinthi non deesse docet (8,7 sqq.). Nonnulli vero neophyti scientia sua freti nomen idolothyti latissime interpretantes etiam epulas sacrificales, quae in fanis idolorum habebantur, ob solum scandalum prohiberi arbitrati sunt; quapropter Apostolus edocere illos coactus est, in hisce ad scandali rationem malitiam internam rei accedere (10,14-22). Laxioribus illis neophytis scrupulosiores opponebantur, qui prohibitionem ita interpretabantur, ut in omnium carnium, antequam iis vescerentur, indolem accurate inquirendum esse censerent; hinc tertio in loco Paulus inquisitionem illam non esse praescriptam docet, sed simul scandalum omne esse vitandum iterum monet (10,25 sqq.) illisque principium generale indicat, iuxta quod singuli, qui sese offerunt, casus facile discernuntur (10,31 sq.). Nulla igitur inter Pauli regulas et inter decretum est contradictio, nisi quis decreto omnem idolothyti quacumque in occasione usum velut intrinsece malum prohiberi asserat; at quo cum iure id asseratur, non apparet. Interroganti demum, cur Paulus decretum non alleget, respondemus id omnino non fuisse necessarium; neque enim cum aucto-

ritate usus idolothytorum erat prohibendus, sed explicandum erat, quomodo et cur certis in casibus eorum usus sit intrinsece malus, aliis in casibus prohibitus ob vitandum scandalum, aliis demum in casibus licitus.

Fateri autem debemus exeunte iam saec. 1. aut ineunte saec. 2. decretum apostolicum severiore modo explicari coeptum esse, ita ut Christiani etiam ab emendis victimarum carnibus, quae in macellis vaenibant, abhorrerent; id enim ex notissima epistola Plinii ad imperatorem Traianum constat. Quam severiorem praxin errores, ni fallor, haereticorum provocaverunt : Nicolaitas enim (*Apoc.* 2,14. 21 cfr *S. Iren.* c. haer. I. 26,3), Basilidianos (*S. Iren.* c. haer. I. 28), Valentinianos (l. c. I. 6,3) aliosque haereticos (cfr *S. Iust.* c. Tryph. 34. 35) idolothytis indifferenter decreto apostolico non attento esse usos tradunt Patres; quare facile intelligitur, episcopos, ut gregem suum ab haereticis tuerentur, omnem prorsus idolothytorum usum interdixisse. Sed hinc quoque factum est, ut iuniores Patres aliqui non satis accurate de idolothytis locuti sint eaque, quae Paulus de solis epulis sacrificalibus dixerat, de omnibus idolothytis sine distinctione intellexisse videantur. Ita ex. gr. *S. Cyr. Ier.* « ea, quae in aris gentilium offeruntur, licet natura sua nuda et simplicia sint, invocatione idolorum contaminari » dicit (*Cat.* 3,3; 19,1); atque similiter *S. Hier.* (in Matth. 15,11) « cibos et Dei creaturas per se quidem mundas esse, sed idolorum ac daemonum invocatione immundas fieri » scribit (cfr eundem in Tit. 1,15). Neque plane ad S. Pauli mentem *S. Augustinum* locutum esse arbitror, si nulla omnino distinctione adhibita « satius esse censet emori fame, quam idolothytis vesci » (De bono coniug. 16); neque etiam si sententiam suam fusius ita explicat : « Restat, ut dicamus aliquid de illo viatore christiano, quem commemorasti victum famis necessitate, si nihil uspiam invenerit nisi cibum in idolio positum, ubi nullus alius est hominum [scandalum igitur praeberi non potest], utrum ei satius sit, fame emori, quam illud in alimentum sumere. In qua quaestione, quoniam non est consequens, ut cibus ille idolothytum sit (potuit enim vel ab iis, qui ibi ab itinere divertentes corpus refecerant, oblivione seu voluntate dimitti, vel ibi ob aliam quamlibet causam poni) breviter respondeo : aut certum est, esse idolothytum, aut certum est non esse, aut ignoratur. Si ergo certum est esse, melius christiana virtute respuitur; si autem vel non esse scitur vel ignoratur, sine ullo conscientiae scrupulo in usum necessitatis assumitur » (ad Public. ep. 47,6). Haec enim casus solutio de iis solis valet, qui « idolum nihil esse » ignorantes « cum conscientia usque nunc idoli quasi idolothytum manducant » (8,4. 7).

§ 3. *De mulierum in coetibus religiosis habitu* (11,2-16).

A vita domestica (7,1 sqq.) et sociali (8,1 sqq.) Apostolus ad vitam religiosam transiens abusus aliquot carpit, qui in neophytorum coetus religiosos irrepserant eosque exhortatur, ut « omnia honeste et secun-

dum ordinem » peragant (11,2-14,40). Tres sunt quaestiones, quas tractat : ad honestatem enim et modestiam christianam pertinere docet, ut mulieres non nisi velato capite in ecclesiis orent (11,2-16); indecorum modum, quo agapae celebrari solebant, vehementer vituperat (11,17-34); de charismatis demum uberrime agens regulas practicas de eorum usu tradit (12,1-14,40). Utrum de his quoque rebus, quae inter se interno quidem vinculo non connectuntur, omnes tamen ad publicum religionis exercitium pertinent, Corinthii in sua epistola (7,1) Paulum interrogaverint necne, cum certitudine definiri nequit; sed a plerisque recte admitti videtur, siquidem ipsum huius tractatus exordium (11,2) non immerito ad Corinthiorum verba alludere censetur ac tertiam quaestionem eadem formula Apostolus inchoat (12,1), qua responsa sua de matrimoniis (7,1) et de idolothytis (8,1) inchoaverat.

Prima igitur quaestio est de habitu externo, quo in coetibus sacris mulieres uti deceat. Contra ea, quae apud Iudaeos fieri solebant, qui capite tecto in templo et in synagogis Deo apparebant, Graeci sacra sua aperto capite faciebant, atque Paulus eundem morem, ut videtur, Corinthi retineri iusserat, quippe qui relationi, quae Christum inter et virum christianum intercedit, apprime conveniret. At etsi ubique terrarum is est mos, ut alio habitu viri, alio mulieres in publicum procedant, et in Achaia quoque mulieres velo uti semper consueverant, neophytae tamen nonnullae Corinthi illud deponere et virorum morem secutae capite aperto in coetibus sacris orare et prophetare inceperant. Quoniam iuxta Apostolum enim omnia in Christo ita sunt instaurata, ut omnes differentiae nationales, domesticae, naturales disparuerint (« non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina : omnes enim vos unus estis in Christo » *Gal.* 3,28), mulieres hanc doctrinam non recte interpretatae sibi eadem quoque, quae viris, in vita sociali licere concluserant[1]. Quem abusum Apostolus non sine acerbitate reprimens praeprimis mulierem non nisi velatam publice orare vel prophetare iubet ob inferiorem locum, quem in hierarchica membrorum Ecclesiae dispositione occupet (11,2-6); viro deinde eam inferiorem esse ex historia creationis protoparentum confirmat (11,7-12); praeceptum suum demum sensui naturae communi usuique in tota Ecclesia recepto conforme esse monet (11,13-16).

1. Inter modernos interpretes iterum aliqui inquirunt, qua ex factione fuerint mulieres, quae velum abiicere ausae sint; ex Apollonianis eas fuisse respondent alii (*Mai.* — *Rueb.* etc.), ex Paulinis alii (*Neand.* etc.), ex Christinis alii (*Olsh.* etc.) ipso suo dissensu demonstrantes omni solido fundamento has sententias carere.

1.) *Ob inferiorem locum, quem in Ecclesia tenent, mulieres in coetibus religiosis caput velare decet* (11,2-6).

11,2. *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.* 3. *Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est : caput autem mulieris, vir : caput vero Christi, Deus.* 4. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* 5. *Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum : unum est, ac si decalvetur.* 6. *Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum.*

11,2. Ἐπαινῶ δὲ ὑμᾶς, ὅτι πάντα μου μέμνησθε καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν τὰς παραδόσεις κατέχετε. 3. Θέλω δὲ ὑμᾶς εἰδέναι, ὅτι παντὸς ἀνδρὸς ἡ κεφαλὴ ὁ Χριστός ἐστιν, κεφαλὴ δὲ γυναικὸς ὁ ἀνήρ, κεφαλὴ δὲ τοῦ Χριστοῦ ὁ Θεός. 4. πᾶς ἀνὴρ προσευχόμενος ἢ προφητεύων κατὰ κεφαλῆς ἔχων καταισχύνει τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. 5. πᾶσα δὲ γυνὴ προσευχομένη ἢ προφητεύουσα ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς· ἓν γάρ ἐστιν καὶ τὸ αὐτὸ τῇ ἐξυρημένῃ. 6. εἰ γὰρ οὐ κατακαλύπτεται γυνή, καὶ κειράσθω ἢ ξυράσθω· εἰ δὲ αἰσχρὸν γυναικὶ τὸ κείρασθαι ἢ ξυρᾶσθαι, κατακαλυπτέσθω[1].

Cum praecedente sententia, qua neophytos, ut se imitarentur, exhortatus erat, novum tractatum ita coniungit, ut eos in plerisque quidem se imitatos esse concedat (*v.* 2), at novum, quod nondum acceperant, praceptum eis proponat (*v.* 3. sqq.). 2. *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.* Ironicam esse hanc laudem, quia Corinthii ob non servata Pauli praecepta satis vehementer vituperentur, nonnulli arbitrantur (*Theod. A*[ter], *Pel.* etc., *Thom.* etc.); at ironiae nullum deprehendens indicium cum modernis plerisque multisque antiquioribus censeo, Apostolum « sicut in principio epistolae commendaverat Corinthios ratione multorum, qui inter eos erant perfecti, ita quoque nunc in genere eos laudare ratione illorum, qui documenta eius servaverant » (*Cai.* cfr *Chrys.* etc., *Iustin. Est.* etc.); addatur tamen oportet, de ea re, de qua statim neophytos vituperabit, Paulum antea nihil praecepisse; velut rem novam enim eam introducit (*volo autem vos scire* etc.) praecedentibusque suis praeceptis opponit. In ge-

1. *VV. LL.* — 2. ἐπαινῶ δὲ ὑμᾶς, ὅτι (laudo autem vos, quod) B ℵ A C P, paucissimi minusc., *Copt.*; rectius reliqui testes ante ὅτι inserunt ἀδελφοί (*fratres*). — τὰς παραδόσεις (praecepta) sine pronomine est communis lectio codd. et verss.; soli D F G cum *It.* et *Vulg.* addunt μου (*mea*). — 3. Dissentiunt codd. in ponendo articulo ante Χριστός et Χριστοῦ, at hac differentia sensus non mutatur. — 6. καὶ κειράσθω ἢ ξυράσθω (et tondeatur aut radatur) B solus; reliqui omnes omittunt alterum membrum (ἢ ξυράσθω), quod librarius ex sequente membro transumsit. Porro in latino melius legitur : *et tondeatur*; coniunctionem καί enim cum omnibus codd. graec. et verss. meliores quoque codd. Vulg. (*Fuld. Am.* etc.) tuentur.

nere igitur eos laudat, quod sui relate ad omnia (non : *suorum omnium*, uti pauci τὰ πάντα μου male vertunt) memores sint, idque accuratius altero membro explicat : eius enim traditiones, sicut eas tradiderat, tenent. Arctiore sensu *Vulg.* graecum παραδόσεις reddit *praecepta;* neque enim minus doctrinae, quam leges morales et rituales, quae viva voce sunt traditae, vocabulo isto comprehenduntur. Cum *Chrys.* igitur alii interpretes cath. ex hoc loco recte colligunt (*cfr etiam ad* 11,34), « non pauca, quae literis non mandaverunt, Apostolos fidelibus tradidisse » (*Theoph.*); vox παράδοσις enim, uti verbum παραδιδόναι, de iis fere solis adhibentur, quae ore traduntur[1].

Qua laude velut benevolentiae captatione praemissa primam rationem proponit, cui praeceptum de mulieribus velandis innititur, tamquam rem ab omnibus concessam supponens, capite velato subiectionem quandam indicari[2]. Principium autem, quod statuit, est de sociali ratione, quae in Ecclesia virum inter et mulierem intercedit, aut, si mavis, de hierarchica dispositione membrorum Ecclesiae, quae expressio tamen hic non stricto illo, quo plerumque a theologis adhiberi solet, sed latiore sensu intelligatur oportet. 3. *Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris vir; caput vero Christi Deus.* Non sine gravitate principium, quod Corinthiis nondum plane cognitum erat, de hierarchico ordine Ecclesiae asserit : *Deus, Christus, vir, mulier.* Quodsi ad internam vitam gratiae attenditur, viri et mulieres procul dubio eadem ratione cum Christo, capite Ecclesiae, coniuncti sunt (in Christo enim non est vir nec mulier *Gal.* 3,28) eademque ratione tamquam palmites a vite Christo succum gratiae immediate accipiunt; at aliter se res habet in externa vita Ecclesiae : mulier enim tacere iubetur in Ecclesia, neque ei permittitur loqui nec docere nec dominari in virum (14,34; 1 *Tim.* 2,12); itaque mulier non tantum in domestica societate subdita sit viro oportet (*Eph.* 5,22; 1 *Petr.* 3,1 etc.), sed etiam in hierarchico ordine Ecclesiae infimum occupat locum; viro velut capiti suo subiecta per virum a Christo regitur. Vir vero immediate a Christo, capite Ecclesiae, regitur; nam *omnis viri caput est Christus.* Quae verba, uti per se patet, non ita intelligenda sunt, ac si omnes et singuli viri

1. Παραδόσεις de oralibus traditionibus Apostolorum : 2 *Thess.* 2,15; 3,6; — Pharisaeorum : *Matth.* 15,2. 3. 6; *Marc.* 7,3. 5. 8. 9. 13; *Gal.* 1,14; — haereticorum : *Col.* 2,8. — Similiter παραδιδόναι de doctrina ore tradita : *Marc.* 7,13; *Luc.* 1,2; *Act.* 6,14; 1 *Cor.* 11, 23; 15,3; 2 *Petr.* 2,21 etc.

2. Bene *Chrys.* « Caput operire est signum subiectionis; efficit enim, ut deorsum aspiciamus et verecundemur et propriam virtutem servemus; subditi autem propria virtus est, ut in subiectione maneat ».

inter se prorsus aequales eadem ratione a Christo, capite Ecclesiae, immediate regerentur; sibi enim ipse Apostolus non potest contradicere, quum in omnibus fere suis epistolis distinctionem inferiorum et superiorum, i. e. laicorum et cleri, atque superiorum quoque diversos ordines agnoscat (12,5. 28; *Rom.* 12,8; *Gal.* 6,6; *Eph.* 4, 11; *Phil.* 1,1; 1 *Thess.* 5,26 sq.; *Hebr.* 13,17; 1. 2 *Tim.* et *Tit.* passim) et ipse ceu ecclesiarum, quas fundavit, superior res earum tractet. Sed viri soli et omnes ad regimen Ecclesiae assumi possunt, iique, qui assumuntur, suos fratres tamquam Christi vicarii et ministri regunt, ut non per se sint eorum capita stricto sensu. Demum *Christi*, capitis Ecclesiae, *caput est Deus*, a quo accepit omnem potestatem in coelo et in terra (*Matth.* 28,18) et cui omnibus inimicis subiectis regnum traditurus est (*cfr infra ad* 15,24 sqq.). Ratione humanitatis, in qua suo sanguine sibi Ecclesiam acquisivit (*Act.* 20,28), Christum Deo subiectum dici, contextus docet.

Capitis metaphora in hac sententia illum designari, cui potestas alium vel alios gubernandi competat, cum *Chrys.* plerique tenent interpretes, maxime moderni; quod vero aliqui antiquiores adnotarunt, quatuor modis, ratione connaturalitatis, perfectionis, sublimitatis, influentiae, Christum viri caput esse (*Thom. Lyr.* etc., *Lap. Nat.* etc.), id per se quidem verum est, sed sententiae nostrae explicandae non inservit; siquidem uno modo in tribus membris coniunctis metaphora capitis explicetur oportet, quatuor vero illi modi duobus aliis membris non conveniunt. Ob eandem rationem eorum nobis non probatur opinio, qui *caput* pro principio, a quo aliquid exoritur, positum esse putant (*S. Cyr. Alex.* de Trin. dial. 3. M. 75,853; *Alex* etc., *Iust.* etc.); alio enim modo Christus viri, qui per eum creatus est, est principium [1]; alio modo vir principium mulieris, quae ex eius costa formata est; alio modo Pater principium Verbi, quod ab eo procedit.

Cum *Chrys.* quoque et plerisque Christum hic virorum fidelium dumtaxat caput dici arbitramur; id enim et remotus contextus suadet, quia de lege in christianis coetibus observanda agitur, et proximus, quia in sequente versu, qui cum nostro intime cohaeret, *omnis vir orans* solus Christianus intelligi potest. Ad contextum igitur non attenderunt, qui Pauli sententiam omnino generalem esse virosque infideles simul complecti dicunt (*Iustin. Est. Calm. Bisp.* etc. — *Hofm. Holst.* etc.), neque etiam viderunt, ratione divinitatis aut etiam ratione universalis dominii, quod Christo homini competat, Christum non magis viri quam mulieris caput esse.

Porro in altero membro nomine mulieris non solas uxores, sed virgines quoque et viduas comprehendi, *Tert.* (de vel. virg. 7.) iam monuit; quamvis enim in mariti ad uxorem suam relatione ratio capitis maxime appareat, ex *vv.* 7. 8 tamen elucet,

1. Iuxta *S. Cyr. Alex.* (l. c.) Paulus dicit Christum viri caput tamquam alterum Adamum, « secundam generis humani radicem atque primitias humanitatis, quae per sanctificationem in Spiritu ad immortalitatem revertitur » (ὡς ῥίζαν τοῦ γένους δευτέραν καὶ ἀπαρχὴν ἀνθρωπότητος εἰς ἀφθαρσίαν δι᾽ ἁγιασμοῦ ἐν Πνεύματι ἀναθρωσκούσης). Sed si haec generis humani ad Christum relatio consideratur, non apparet, cur viri potius quam mulieris caput Christus dicatur.

Paulum de omnibus feminis loqui; ac profecto praeceptum, quod tradit, virgines viduasque non minus quam uxores attingit; quapropter principium quoque, ex quo illud derivatur, generaliore modo intelligatur necesse est.

In tertio demum membro Deum Christi hominis caput dici certum est, quia Christus tamquam caput Ecclesiae spectatur; quapropter Arianos ad eorum errorem de inferioritate Verbi stabiliendum noster textus non magis iuvat, quam alii similes, in quibus Christus Patrem se maiorem esse dicit etc. (cfr *Chrys. Theod.* etc.). Qui metaphora capitis principium, ex quo aliquid est, exprimi censent, illi Patrem caput Christi respectu divinae eius naturae recte quidem appellant; sed illam metaphorae significationem nostro loco non convenire diximus.

Ex hierarchico hoc ordine Apostolus nunc praeceptum suum colligit de velandis mulieribus. Iuxta *Chrys.*, *Theod.* aliosque non paucos Paulus quum viros, quia velati orabant, tum mulieres, quia velo non utebantur, vituperare voluit; rectius tamen plerique eum solis mulieribus usum veli praescribere censent. Verum quidem est, eum in proxime sequentibus versibus de utroque sexu loqui; at virorum velatorum exemplum comparationis tantum gratia affert, ut turpitudo mulierum, quae velum abiecerant, clarius appareat; atque rectissime *Est.* : « si quis bene perpendat, quae a Paulo dicuntur, intelliget eius intentionem proprie dirigi adversus mulieres, quas ad id, quod honestum et decorum est, revocat, rationibus tamen inter alias acceptis ab eo, quod viros decet, tamquam e contrario »; mulieres revera cum aliqua acerbitate corripit (*cfr v.* 6), virorum autem vituperium nullum exprimit. Itaque, ut ostendat, quam parum mulierem sine velo in coetus religiosos prodire deceat, usum veli dedecere virum docet : 4. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite deturpat caput suum*; 5. *omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite deturpat caput suum.* Quin de viro vel muliere *publice* orante vel prophetante sit sermo, nemo dubitat; sed dubium est, num Paulus de iis solis loquatur, qui iuxta primitivae Ecclesiae usum, si a Spiritu S. movebantur, precationem alta voce in coetibus recitabant aut fideles exhortabantur, an de omnibus, qui in coetibus aderant atque dicto *Amen* (*cfr* 14,16) praeeuntis precationem vel exhortationem quasi confirmabant suamque faciebant. Quam alteram sententiam praeferimus, quia Paulus mulieres corinthias, si ceu personae publicae in coetibus religiosis preces praeire aut fideles exhortari ausae essent, procul dubio tacere potius quam velato capite orare aut prophetare iussisset (*cfr ad* 14,34). Quapropter de habitu externo, quo mulieres in ecclesiam convenire debebant, verba rectius explicamus; appositio vero (*orans vel prophetans*) utrique membro ab Apostolo non ideo est addita, ut alios omnes, qui publice non orabant vel prophetabant, aut velatos aut non velatos pro libitu coetibus interesse

posse significaret, sed eum in finem, ut dignitate et sanctitate actionum, propter quas in ecclesias conveniebant, turpitudinem quam condemnare voluit clarius manifestaret[1].

Velato igitur capite coetibus religiosis interesse dedecet virum, decet mulierem; utriusque vero sententiae Apostolus eandem rationem dat : vir capite velato[2] orans deturpat (καταισχύνει) caput suum, et mulier capite non velato orans deturpat caput suum. Num caput, quod deturpari dicitur, eodem modo, quo in versu praecedente, metaphorice sit intelligendum, ut vir velatus Christum, mulier non velata virum dehonoret, an proprio suo sensu usurpetur, non plane liquet. Propter nexum cum praecedente versu haud pauci tropicum sensum praeferunt (*Oec. Theoph*[2]. *Cai. Iust.* etc., *Mai. Bisp.* etc. — *Calv.* etc., *Kl Br. God.* etc.) sed variis modis explicant : Christus dehonoratur, quia dignus est, qui aperto capite adoretur (*Iust.*), aut : vir repraesentat Christum, dominum terrae; se ipsum igitur velans, i. e. signum subiectionis gerens, deturpat eum, quem repraesentat, quatenus velo indicat, etiam Christum hac in terra habere superiorem (*Bisp.*) etc. Verumtamen plerique sensum proprium rectius ita retinent, ut nexus cum praecedente versu plane servetur (*Chrys. Theoph*[1]. *Thom. Dion.* etc., *Est. Lap.* etc., *M Ev. LR.* etc. — *Grot. Beng. Mey.* etc.); bis enim in eadem brevissima phrasi idem vocabulum ita adhiberi, ut semel proprie (*velato capite, non velato capite*), semel metaphorice (*deturpat caput suum*) intelligatur, sine cogente ratione admitti nequit; quae hic non adest, siquidem aptissime sententia explicatur, dummodo velum esse signum subiectionis retineamus. Etenim « considerandum est, inquit *Thom.*, quod quilibet homo iudici assistens suam conditionem vel dignitatem debet profiteri, et praecipue assistens Deo, qui est omnium iudex », vel ut habet *Chrys.* : « Princeps ad regem accedens signum principatus habeat oportet : sicut ergo nullus princeps sine balteo et chlaena coram imperatore comparere audeat, sic neque tu absque signo principatus tui Deum ores » ; atqui signum principatus viri est caput apertum, quo liber ad coelum aspicit seque hac in terra superiorem praeter Christum non habere profitetur.

1. Nihilominus appositione illa simul specialem turpitudinem notari mulieris, quae capite non velato non tantum coetibus sacris interesse sed etiam quasi publicam personam agere velit, facile concedimus. De oratione et prophetia, de qua Apostolus loquitur, infra uberius agetur (*cfr ad* 14,1 sqq.).

2. Graeca expressio, qua viri habitus describitur : κατὰ κεφαλῆς ἔχων (*a* vel *in capite habens*) omnino generalis est; quare *Cai.* omne capitis tegumentum cuiuscumque figurae ac materiae, *Chrys. Theod.* aliique Graeci etiam comam promissam viris a Paulo interdici censent; sed aptius iuxta contextum (*cfr v.* 7) sensum verborum restringimus atque cum *Vulg.* velut obiectum supplemus κάλυμμα (κατὰ κεφαλῆς κάλυμμα ἔχων, in capite velum gerens).

Caput ergo suum velo, i. e. signo subiectionis et servitutis, tegens illud dehonorat, quia velo suo declarat, caput suum non esse viri liberi, sed servi, qui hac in terra dominum habet et terram aspicere cogitur.

E contrario mulier velo deposito suam a viro dependentiam negat suumque caput deturpat, quia illud simile reddit capiti meretricis, quae uti in Oriente ita in Achaia sine velo in publicum prodire solebat. Quapropter cum acerba ironia addit Apostolus : *unum enim est ac si decalvetur* (vel iuxta graec. : una eademque est atque rasa); 6. *nam si non velatur mulier, tondeatur; si vero turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum.* Summo probro ubique fere terrarum mulieri est tonderi aut decalvari (cfr *Is.* 3,17. 24 etc.); apud Israelitas uxori, quae adulterii accusata erat, coma tondebatur (*Num.* 5,18), uti teste Tacito antiqui quoque Germani adulteris crines accidebant; apud Graecos servae solae radebantur, apud Romanos saltatrices, quae pleraeque erant meretrices, tonsae aut rasae erant. Quodsi igitur, monet Apostolus, mulieres tam inverecundae et protervae sint, ut velo deposito abiectissimis mulierculis similes fieri non vereantur, eousque etiam procedant, ut velum, quod natura ipsa eis dedit, abiicientes illis in toto habitu assimilentur; sin vero tantum pudoris sibi servaverint, ut a coma radenda abhorreant, praeter velum naturale etiam artificiale assumant, quod honesti mores invexerunt, ut hac ratione se inferioris loci, quem in Ecclesiae hierarchia tenent, memores esse ostendant.

2.) *Mulierem viro inferiorem esse historia creationis protoparentum confirmat*) 11,7-12).

11,7. *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago et gloria Dei est : mulier autem gloria viri est.* 8. *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.* 9. *Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* 10. *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput suum propter angelos.* 11. *Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino.* 12. *Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem : omnia autem ex Deo.*

11,7. Ἀνὴρ μὲν γὰρ οὐκ ὀφείλει κατακαλύπτεσθαι τὴν κεφαλήν, εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχων· ἡ γυνὴ δὲ δόξα ἀνδρός ἐστιν. 8. οὐ γάρ ἐστιν ἀνὴρ ἐκ γυναικός, ἀλλὰ γυνὴ ἐξ ἀνδρός. 9. καὶ γὰρ οὐκ ἐκτίσθη ἀνὴρ διὰ τὴν γυναῖκα, ἀλλὰ γυνὴ διὰ τὸν ἄνδρα. 10. διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς ἀγγέλους. 11. πλὴν οὔτε γυνὴ χωρὶς ἀνδρός, οὔτε ἀνὴρ χωρὶς γυναικὸς ἐν Κυρίῳ. 12. ὥσπερ γὰρ ἡ γυνὴ ἐκ τοῦ ἀνδρὸς, οὕτως καὶ ὁ ἀνὴρ διὰ τῆς γυναικός, τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ [1].

1. *VV. LL.* — 7. ἀνὴρ μὲν γάρ (*nam* vir quidem) est communis lectio codd. et verss.; cur *It.* et *Vulg.* particulam *nam* omittant, non apparet. — ἡ γυνή (cum articulo) B ℵ D F G P; articulum sensu non mutato omittit *textus rec.* cum A C E K L et minusculis. — 10. Pro ἐξουσίαν (*potestatem*) aliqui Latini κάλυμμα (velamentum) aut legerunt

Arrogantia mulierum sine velo in publicum prodeuntium ex erronea aequalitatis christianae notione originem trahebat; quare Paulus priore argumento, quo mulieres in Ecclesia locum viris inferiorem tenere docuit, non contentus religionem christianam hac in re nihil innovasse ostendit ad creationis historiam, quae mulieri inferiorem locum iam assignet, provocans; virum enim, utpote immediatam Dei imaginem et gloriam, caput velatum dedecere, mulierem vero velum decere, quia ex viro et propter virum sit (7-10). Ne tamen viri altius sapiant mulieresque despiciant, quae sit vera eorum aequalitas, exponere non omittit (11. 12).

Itaque praeceptum praecedens (*v.* 6) alia ratione confirmaturus pergit : 7. (Nam) *vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago et gloria Dei est; mulier autem gloria viri est.* Sicuti externam viri et mulieris relationem diversam ad Christum velut praecedentis argumenti fundamentum posuit (*v.* 3), ita ex externa eorum ad Deum creatorem relatione, quae etiam diversa est, huius argumentationis principium desumit. Namque mulier quidem, si interna eius conditio consideratur, non minus, quam vir, intellectu et libero arbitrio praedita eiusdemque, cuius ille, gratiae et gloriae capax viro par est et aequalis neque minus, quam ille, imago Dei; at ex historia creationis diversitas quaedam externa habetur, qua viro inferior demonstratur, quia imperfectiore, ut ita dicamus, modo ad imaginis Dei rationem pervenit ideoque gloriam Dei sub uno saltem respectu imperfectius repraesentat. Re enim vera Deus primum creavit virum ad imaginem similitudinemque suam eumque omnibus animantibus terrae praefecit; ad eum quoque in paradiso voluptatis positum, ut illis nomina imponens suum dominium manifestaret, omnia animantia adduxit; ad imaginem ergo Dei creatus et super opera manuum divinarum constitutus vere gloria et honore coronatus (*Ps.* 8,6) immo *imago et gloria Dei est.* Ad nullum aliud ens creatum, velut ad superiorem quendam, ordinatus sed omnibus entibus hac in terra praefectus gloriam Dei creatoris et domini universorum perfectissimo, quo mera creatura potest, modo repraesentat; quare signum subiectionis in capite gerere non debet. Sed quia primus vir inter omnia animantia *adiutorium sibi simile* non invenit, Deus ex eius costa mulierem formavit, quae *ei* esset adiutorium *simile;* quodam igitur modo ad ima-

aut coniecerunt. — 11. Hunc duorum membrorum ordinem, ut mulier praeponatur viro, tuentur B ℵ A C D E F G H P, antiquiores PP. graeci, *It. Copt. Arm. Aeth.;* in ordine inverso cum *Vulg.* consentiunt *textus rec.*, K L, omnes fere minusc., iuniores PP. graeci et *Syr.* Uterque ordo est aptus, sed prior, qui versui sequenti est concinnior, auctoritate testium commendatur.

ginem et similitudinem viri mulier proxime creata est, ut divinae imaginis imaginem nonnulli Patres et interpretes eam appellare non vereantur[1]; Apostolus vero, licet ista appellatione non utatur, eam tamen *gloriam viri* dicit, sicut virum *gloriam Dei* dixerat. Eadem enim ratione, qua mediante viro Christus mulieris, si externus et socialis eius status in Ecclesia consideratur, caput est, mulier, si externus eius status in ordine creaturarum consideratur, est *gloria viri* neque nisi mediante viro *gloria Dei*. Namque, uti apposite adnotat *S. Thom.* (Summ. theol. I. qu. 93. a. 4 ad 1.) « vir est principium et finis mulieris, sicut Deus est principium et finis totius creaturae »; ex costa enim viri est formata eo fine, ut esset viro adiutorium simile. Quamquam igitur, utpote imago Dei, aliis animantibus ratione carentibus hac in terra est praefecta, dominium eius tamen restringitur, quia viro subiecta sit oportet.

Hanc genuinam esse verborum expositionem, ex sequentibus Apostoli verbis recte colligitur (cfr *Thom.*). Neque enim novis argumentis probat, mulierem decere subiectionis signum, uti multi arbitrantur (*Chrys.* etc., *Salm. Est. Calm.* etc.); sed mulierem esse viri gloriam ex eo confirmat, quod vir illius sit principium et finis (*A[ler]*, *Thom. Lyr. Lap.* etc.; moderni fere omnes). 8. *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro;* 9. *etenim* (lege : *nam etiam*) *non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* In priore sententia Apostolus ad *Gen.* 2,21 sqq., in altera ad *Gen.* 2,18 alludit : ex costa Adami ita est formata Eva, ut vir in ea os ex ossibus suis et carnem ex carne sua cognosceret, eam, quia de viro (אִישׁ) sumta esset, viraginem (אִשָּׁה) vocaret, in ea adiutorium sibi simile haberet. Quia autem ex viro et propter virum est, ideo est gloria viri, quatenus in se, quum relate ad alias creaturas terrestres viro sit aequalis, perfectionem viri repraesentat, sicut vir, quatenus omnibus animantibus praefectus est, gloriam Dei et Domini universorum repraesentat.

Ex hac mulieris ergo inferioritate, quam historia creationis docet, argumentatur Apostolus : 10. *Ideo*, quia sc. viro inferior superiorem

1. *Cyr.* : « Si vir imago et gloria Dei est (talis enim iuxta Scripturas creatus est), servet coram Deo convenientem fiduciam nudum gerens caput; natura quippe, ut veletur, eum non cogit; nam omne divinum est liberum nullaque aspersum macula et propria sua gloria dives et admirabile. At quia mulier similitudo viri est et *imaginis imago* et *gloriae gloria*, natura ei, ut comam nutriat, praecipit. Utique et ipsa mulier imaginem similitudinemque Dei prae se fert, sed tamen tamquam per virum, ut natura mulieris aliquantulum certa quadam ratione differat » etc. *A[ler]* : « Multum distat inter gloriam Dei et gloriam viri; vir enim ad imaginem Dei factus est, non mulier; haec autem imago Dei est in viro, quia unus Deus fecit unum hominem, ut sicut ab uno Deo sunt omnia, ita et ab uno homine essent omnes homines; ut unius Dei invisibilis imaginem unus homo visibilis haberet in terris ». Cfr *Theod. Oec. Theoph. Rhab. Lomb. Est. Lap. Men. Tir. M Ev. Dr.* etc.

hac in terra habet, *debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos*. Nomine *potestatis* (ἐξουσίας) non certam velorum speciem designari (uti media aetate ornamentum quoddam mulieris vocabatur *imperium*), sed metonymice (rem signatam pro signo) nomen usurpari, ut ἐξουσία sit idem quod σύμβολον τῆς ἐξουσίας, communis est et vera sententia; velum igitur tamquam signum potestatis, cui subiecta est, mulier gerat oportet[1]. Difficilior est explicatu appositio *propter angelos*. Quoniam verba haec nuda et sine ulla coniunctione rationi indicatae adduntur, illis novam probationem non contineri, satis clarum est[2]. Unde iam elucet, plane reiiciendam esse *Tert.* (de vel. virg. 7; c. Marc. V. 8) sententiam (quam aliunde quoque erroneam esse constat) nomine angelorum intelligi daemones, qui, si virgines non velarentur, ad concupiscendas eas incitarentur, aut (sicut pauci acath. voluerunt cfr *Schoetg. Mosh.* etc.) viros ad eas concupiscendas incitarent. At reiicienda quoque est illa sententia, quae ex *A^tro* et *Prim.* in *Gl ord.* transumta a satis multis olim tenebatur, intelligi sacerdotes praefectosque ecclesiarum; quomodo enim haec explicatio contextui conveniat, non apparet (cfr *Iust.*). Admitti posset *Iust.* ipsius explicatio, intelligi omnes viros in ecclesia congregatos, dummodo angelorum nomine viros designari exemplo quodam demonstraretur. Itaque illi sententia inhaeremus, quam inter Graecos *Chrys.* et *Cyr.*, inter Latinos *August.* (De trin. XII. 7) proposuerunt et plerique interpretes retinuerunt : « Si virum despicis, angelos reverere » (*Chrys.*); « grata enim est sanctis angelis pia et sacrata significatio » (*Aug.*); « sine dubio autem Apostolus intelligit angelos unicuique ecclesiae constitutos a Deo, qui aegre ferunt magnopere, si decori lex a quopiam violetur, quum probe sciant Creatoris hanc circa nos voluntatem » (*Cyr. Alex.*). Filii Dei, i. e. angeli, aderant, quando Deus mundum hunc spectabilem fundabat, et iubilabant propter gloriae Dei manifestationem (*Iob* 38,7 cfr *Knabenb.* i. h. l.); testes igitur erant relationis illius, quam inter virum et mulierem Deus, quum eos crearet, stabilivit; sed testes etiam eorum sunt, quae hac in terra, maxime in ecclesiis, geruntur (4,9; *Eph.* 3,10 etc.); « coetus enim fidelium vi-

1. Simili modo *Diod. Sic.* I. 47 reginam quandam τρεῖς βασιλείας ἐπὶ τῆς κεφαλῆς habuisse dicit i. e. trium regnorum coronas; sacerdotes aegyptii in capite gerebant τὴν ἀλήθειαν i. e. veritatis symbolum. Superfluae igitur atque partim absurdae sunt coniecturae, quibus antiquiores aliqui acath. pro ἐξουσίαν scribendum coniecerunt ἐξουβίαν (exuvias) aut ἐξίουσα (egrediens) aut ἐξ οὐσίας (propter naturam suam) etc.

2. Multi quidem Latini olim coniunctionem addiderunt, ac si nova ratio priori adderetur : *etiam* propter angelos (*A^ter*), *et* propter angelos (*Pel. Herv. Lomb. Thom.* etc.); sed accuratiores Vulgatae codd. (*Fuld. Am.* etc.) eam cum graecis codd. aliisque verss. recte omittunt.

sitare creduntur, praecipue quando sacra mysteria celebrantur » (*Thom.* cfr Ps. 137,1 etc.). Quare propter eorum reverentiam, quin etiam timorem, ne contra ipsas testimonium ferant, mulieres subiectionis legem in protoparentum creatione manifestatam observare et potestatis, cui subiectae sunt, symbolum in capite gerere tenentur.

Ne Apostolus, quum virum *imaginem et gloriam Dei*, mulierem vero dumtaxat *gloriam viri* appellet, mulieri rationem imaginis abiudicare videretur, aliqui priorem expressionem, ac si esset hendiadys, explicarunt « gloriosam imaginem, in qua maxime eluceat Dei maiestas et imperium » eandemque significationem vocabulo *gloriae* attribuerunt (*Lap. Men. Tir. Pic.* etc.); a qua sententia non longe videtur abfuisse etiam *Theodor.* (cfr *Gagn. Mar.*), si hominem dicit « Dei imaginem (hic) esse non secundum corpus neque secundum animam sed secundum solum principatum » (κατὰ μόνον τὸ ἀρχικόν). Quae explicatio, etsi certa quadam ratione admitti possit, uti ex supra dictis apparet superflua est. Verum velut erroneam aliquorum acath. reiicimus sententiam, qui mulierem a Paulo imaginem Dei ideo non dici arbitrantur, ne ei pars quaedam dominii, quod viro competat, attribui videatur (*Mey. God.* etc.); *gloria viri* enim non esset, nisi ei dominium quoddam competeret, et uti recte monet *Theod.* « ipsa quoque aliis imperat, sed viro subiecta esse iussa est », ita ut dominium eius arctioribus, quam viri dominium, limitibus sit circumscriptum. Neque recte iidem, uti etiam aliqui cath. (*Salm. Lap.* etc.), mulierem qua coniugem *gloriam viri* appellari censent; nam ex protoparentum *creatione* Apostolus argumentum suum desumit, non ex eorum mutua relatione, neque de solis uxoribus sed de omnibus mulieribus agit. Demum solam latini vocabuli *gloriae* vim considerarunt, qui virum ideo gloriam Dei appellari putaverunt, quia vir utpote Dei potestati immediate subiectus causam haberet in Deo *gloriandi*, aut quia Deus in viro tamquam pulcherrimo opificio gloriari posset, atque similiter mulierem vocari gloriam viri, quia viro in ea tamquam in opificio ex se et propter se facto gloriari liceret (*Haim. Lomb. Cai. Est. Nat. M Er.* etc.); at Paulus ad hunc sensum exprimendum non vocem δόξης sed καυχήσεως vel καυχήματος elegisset. Vir, uti iam diximus, est δόξα Θεοῦ, quia in eo maiestas Dei, omnium creatoris et domini, repraesentatur et quasi refulget, atque simili ratione mulier est *gloria viri*.

Itaque in prima generis humani origine inferioritatem mulieris Apostolus indicatam vidit, quum ex viro et propter virum creata ideoque ei subiecta sit. Illam autem asserens et vindicans, ut superbientes mulieres corinthias ad humilitatem debitamque subiectionem revocaret, correctionem simul adhibuit, ne virum plus quam par esset extolleret mulieremque nimis deprimeret (cfr *Chrys.*). Infelix enim illo tempore ubique fere terrarum erat mulieris conditio neque usquam fere ei ille in domestica societate locus concedebatur, qui ei iure competebat; vix non velut serva in toto Oriente et in Achaia tractabatur et saepesaepius non erat nisi instrumentum libidinum virorum; subiectio illa, qua viro tamquam adiutorium simile inservire debuit, post peccatum in duram servitutem erat transmutata (*Gen.* 3,16). Iamvero inter magna, quae Christus Dominus mundo attulit,

beneficia illud quoque fuit, ut mulieri illum iterum locum assereret, qui ei competebat : **11.** *Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino;* **12.** *nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem; omnia autem ex Deo.* Quibus paucissimis verbis Paulus aequalitatem viri et mulieris, a Deo olim stabilitam et in natura expressam, per Christum esse restauratam docet. Etenim *in Domino*, i. e. inter Christianos, illa intercedit virum inter et mulierem relatio, ut alter alterius ope et auxilio indigentes mutua quadam dependentia inter se colligentur. Quae veritas, licet nunc clarius cognoscatur, in ipsa tamen natura iam est manifestata. Quodsi enim ex primae mulieris origine inferioritas eius apparet, ex propagatione generis humani cognoscitur eius aequalitas; quia prima mulier ex viro est, viro subiecta sit oportet, sed quia nunc viri non nisi per mulieres nascuntur, etiam quaedam exoritur dependentia viri a muliere. Quae *omnia ex Deo* sunt, quippe qui mulierem velut adiutorium simile viro creaverit; unde genuina viri ad mulierem relatio postulat, ut illa velut aequalis consideretur, sed debitae subiectionis memor sit [1].

Plerique interpretes totam hanc particulam (7-12) ita explicant, ut Paulus de solis coniugibus eorumque inter se relatione tractare videatur. Verum quamvis eum ad coniuges proxime attendere non negemus, arctior tamen est illa explicatio sive finis Apostoli sive argumentatio eius consideratur. Neque enim solis uxoribus sed omnibus mulieribus usum veli in coetibus religiosis ceu necessarium demonstrare vult; argumenta porro eius, quum ex prima creatione et ex propagatione generis humani sint desumta, omnes omnino viros et omnes mulieres attingunt. Quare etiam illis non assentimur, qui ad liberorum procreationem et educationem virum et mulierem mutuis officiis indigere urgent, aut qui maritum et uxorem sese invicem sanctificare debere monent etc. Licet enim haec omnia verissime sint dicta atque etiam verbis Pauli comprehendantur, eorum tamen sensum non exhauriunt, quippe qui latissime pateat atque omnia illa complectatur, quae Deus ipse sibi proposuit, quando mulierem tamquam adiutorium viro simile creavit. Procul dubio *S. August.* (De Gen. ad lit. IX. 5) quoque non

1. Ad *v.* 12. adnotat *Pel.* : « sicut Eva ex Adamo, ita secundus Adam, Christus, ex Maria », idemque pauci alii repetunt (*Prim. Thom.* etc.). Quae ad nostrum quidem locum explicandum minime iuvant, verissima tamen sunt atque uberius iam a *S. Cyr. Ier.* (Catech. 12,29) proposita : « Eva ab initio de quo nata est? quae mater illam sine matre feminam concepit? Ait autem Scriptura, eam ex Adae costa formatam esse. Ergone Eva ex viri latere sine matre nata est, puer vero ex virginis utero absque opera viri nasci non potuerit? Reddendae viris gratiae obnoxium erat femineum genus; Eva enim ex Adamo nata erat, non ex matre concepta, sed ex viro solo quasi parta; reddidit ergo Maria huius gratiae debitum, dum non ex viro, sed ex se sola incontaminata de Spiritu S. per virtutem Dei peperit ».

satis recte vocabulum *adiutorii* explicat, si « non alia quam sobolis procreandae causa mulierem viro in adiutorium datam esse » asserit; neque enim vocabulo ipsi (עֵזֶר, quod haud male *Onk.* vertit סְמַךְ « sustentaculum ») neque contextui (cfr *Gen.* 2,12 sqq.) arctissima haec explicatio congruit.

3.) *Usus veli mulieribus ab ipsa natura et ecclesiarum consuetudine commendatur* (11, 13-16).

11,13. *Vos ipsi iudicate : Decet mulierem non velatam orare Deum?* 14. *Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi* : 15. *mulier vero si comam nutriat, gloria est illi : quoniam capilli pro velamine ei dati sunt?* 16. *Si quis autem videtur contentiosus esse : nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei.*

11,13. Ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε· πρέπον ἐστὶν γυναῖκα ἀκατακάλυπτον τῷ Θεῷ προσεύχεσθαι; 14. οὐδὲ ἡ φύσις αὐτὴ διδάσκει ὑμᾶς, ὅτι ἀνὴρ μὲν ἐὰν κομᾷ, ἀτιμία αὐτῷ ἐστίν. 15. γυνὴ δὲ ἐὰν κομᾷ, δόξα αὐτῇ ἐστίν; ὅτι ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίου δέδοται αὐτῇ. 16. εἰ δέ τις δοκεῖ φιλόνεικος εἶναι, ἡμεῖς τοιαύτην συνήθειαν οὐκ ἔχομεν, οὐδὲ αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ [1].

Ab altioribus profundioribusque rationibus, quibus praeceptum de velandis mulieribus vindicaverat, Apostolus ad magis obvias sese convertit, ad sensum naturae communem (12-15) et ecclesiarum consuetudinem (*v.* 16).

13. *Vos ipsi iudicate* vel accuratius *in vobis ipsis* seu *apud vos ipsos* iudicate; audite naturae vocem, quae in vobis ipsis loquens id quod decet dedecetve vobis manifestat. Iuxta internam igitur hanc naturae vocem quaestionem, quam eis proponit, diiudicari vult, undenam desumendum sit iudicium, simul insinuans (cfr *Thom.*) : *Decet mulierem non velatam orare Deum?* Ex contextu clare apparet, de sola publica oratione agi; ineptissime ergo unus alterve modernus acath. (*Holst.*) nihil indecori in eo esse obiicit, quod *cum Deo* mulier non velata loquatur; immo vero haud sine ratione Paulus nomen *Dei,* licet per se non esset necessarium, adiecit, ut deposito velo mulierem Deo, auctori naturae, iniuriam inferre clarius pateret. De sola *precatione* vero publica loquitur, non eam ob causam, quia uno actu

(1) *VV. LL.* — 13. ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε (in vobis ipsis iudicate) est lectio communis codd. graec. et verss., quam accuratiores *Vulg.* codd. (*Fuld. Tol.* etc.) retinent; minus recte legunt ὑμεῖς αὐτοὶ κρίνατε (*vos ipsi iudicate*) D E et plerique codd. *It.* et *Vulg.* — 14. οὐδὲ ἡ φύσις αὐτή (*nec ipsa natura*) B ℵ A C D F G H P, pauci minusc., *It. Vulg. Syr. Memph. Arm.*; superflue *textus rec.* praemittit particulam ἤ (*aut* vel *an*) cum E K L, plerisque minusc., *Sah.* — 15. δέδοται αὐτῇ (*ei dati sunt*) B ℵ A C H P, satis multi minusc., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm.*; minus apte pronomen αὐτῇ omittitur a D E F G K L, haud paucis minusc. et iunioribus PP.

nominato alter (prophetia) subintelligatur (*Mai.*), atque multo minus, quia prophetia quum velatae tum non velatae, precatio autem soli non velatae prohibeatur (*Est.*), sed quia in genere praescribere voluit, ne mulieres non velatae coetus religiosos frequentent; ideo illum actum (precationem) nominat, propter quem praecipue fideles in ecclesias conveniunt (*cfr ad v.* 4).

Negativi quod exspectat responsi rationem statim subdit interrogans : 14. *Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi?* 15. *mulier vero si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt?* Quid naturae nomine hic intelligatur, satis videtur esse apertum : eadem ratione, qua gentes, quae legem scriptam a Deo non receperunt, natura impellente, cuius vocem in se ipsis loquentem non audire non possunt, ea quae legis sunt faciunt (*Rom.* 2,14), etiam ubique fere terrarum ea invaluit consuetudo, ut vir comatus velut effeminatus despiceretur, mulieri vero coma promissa honori et gloriae esset. Neque arbitrarie hanc consuetudinem persuasionemque esse invectam, sed ex ipsa diversa sexuum constitutione derivari, insinuat Paulus; ampliore enim et promissiore capillatura mulier, quam vir, a naturae auctore est instructa, ut capilli mulieri pro velamine esse dati iure dicantur. Quodsi quis obiecerit, nec antiquitus nec hodie apud omnes populos viros, qui comam nutriunt, despici, Apostolum ergo nomine naturae arbitrariam consuetudinem, quae apud aliquas tantum nationes exstiterit, abusive designare, respondebimus, haud pauca praecepta, quae in ipsa natura humana fundata sunt atque ab omnibus inter legis naturalis dictamina recensentur, a nonnullis populis non observari, postquam perversi mores ipsam naturae vocem quasi suppresserunt; numquid fornicatio lege naturali non est prohibita, quia nonnullae gentes barbarae illam sibi licitam arbitrantur legitimaque matrimonia fere ignorant? Deinde licet apud aliquos populos viri aut omnes aut multi naturae suae quasi vim inferentes comam nutrierint et nutriant, nullam tamen arbitror inveniri nationem, cuius mulieres comae suae nutriendae et ornandae magnam non habuerint curam, ita ut ab ipsa natura eis hanc sollicitudinem esse inditam recte asseratur. Atqui haec universalis mulierum consuetudo ex eo solo videtur apte explicari, quod naturali suo sensu sint edoctae, sibi capillos pro *velamento* vel rectius pro amictu seu pallio (id enim graeca vox περιϐόλαιον significat) esse datos, quo corpus caste et pudice contegant. Unde id, quod Apostolus, etsi illud non exprimit, docere vult, sua sponte profluit, mulieres nimirum naturalem illam inclinationem fovere et adiuvare debere naturali capillorum velamento

velum artificiale addentes, ut maiore cum sollicitudine suum corpus custodiant; etenim « eadem est de capillis nutriendis et de velamento artificiali apponendo ratio » (*Thom.*).

Suspicatus argumenta, quibus loco, qui in ordine naturae et gratiae mulieribus a Deo assignatus sit, praeceptum suum congruere demonstravit, non omnibus probatum iri nec defuturos, qui eis contradicerent aut ea refutare studerent, Paulus velut ultimam rationem, qua protervos et procaces adversarios ad silentium redigat, consuetudinem ecclesiasticam affert : 16. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia* (rectius ex graeco : *ecclesiae*) *Dei*. Urbanitatem quandam atticam nonnulli interpretes (*Bisp.* etc.) in eo deprehendunt, quod adversarii contentiosi non esse sed videri dicantur; at nulla est ratio, cur Apostolum eiusmodi adversarios lenius tractare voluisse dicamus; quare verbo δοκεῖν hoc in loco eum sensum, quem alibi interdum habet, tribuimus, ut sit idem fere quod *animum inducere* vel *velle* : « si quis animum inducit, ut contentiosus mea argumenta impugnet » vel etiam « si cui contentiosum esse placet ». Porro brachylogice, uti saepius (cfr *Rom.* 11,18; *Matth.* 9,6; 1 *Ioan.* 5,9) apodosis adnectitur, ut sententia completa sit : Si quis contentiosus esse vult, *sciat*, nos talem consuetudinem non habere. Simili deinde modo, quo infra (14,36), unius ecclesiae corinthiae perverso usui usum aliarum ecclesiarum ab Apostolis approbatum opponit « ostendens non sibi soli haec ita videri, sed omnibus ecclesiis Dei » (*Theod.*), iuxta quarum consuetudinem mulieres non nisi velatae coetibus religiosis intererant. « Unde si nulla alia esset ratio, hoc solum deberet sufficere, ne quis ageret contra communem Ecclesiae consuetudinem. Quare Augustinus (ad Casul. ep. 36. al. 86,2) dicit, quod in omnibus, in quibus nihil certi definit Scriptura, mos populi Dei atque instituta maiorum pro lege habenda sint » (*Thom.*). Revera mos ab Apostolo praescriptus et tam validis argumentis velut ordini naturae et gratiae consonus demonstratus in antiqua Ecclesia omnino praevaluit; « etiamsi tunc contenderent Corinthii, inquit *Chrys.*, nunc totus terrarum orbis hanc legem et accepit et observat; tanta est Crucifixi potestas »; quod S. Doctoris testimonium monumentis hypogaeorum superstitibus confirmatur. Per totam quoque mediam aetatem eadem consuetudo retenta est, atque hodie quoque non tantum in integro Oriente, sed etiam in multis Occidentis terris catholicis diligenter, uti decet, observatur.

Cum longe plerisque interpretibus (*Theod. A*[ter]*, Gl ord. Herv. Lomb. Thom.* iunioribus cath. fere omnibus; — acath. multis) consuetudinem,

quam se ecclesiasque Dei habere negat Apostolus, intelleximus usum a Corinthiis invectum, ut mulieres non velatae coetibus sacris interessent. At contendendi consuetudinem intellexit *Chrys.*: « nos enim talem consuetudinem non habemus, ut contendamus et litigemus et contradicamus »; quam explicationem cum priore coniunxerunt *Oec.* et *Theoph.*, solam post *Calv.* adoptarunt multi acath. (*Rück. D W. Mey. Kl Br. Ev. Edw.* etc.); sed parum recte. Contentionis enim et contradictionis studium vitium est, et parum apte consuetudo (συνηθεία) appellatur; minus apte quoque ac superflue Paulus, si haec explicatio esset vera, ecclesias Dei hoc vitio carere assereret, quum res per se sit evidens. Quodsi adversarii pronomine ἡμεῖς hanc explicationem postulari obiiciunt, id negamus; Paulus enim se aliosque Apostolos vel etiam, si mavis, omnes Iudaeochristianos (cfr *Thom. Lyr. Dion. Cai. Est. Pic.* etc. *M Ev. Bisp. LR. Dr.* etc.), atque ecclesias inter gentiles exortas istam consuetudinem, de qua in toto pericopa agitur, ignorare aptissime asserere potuit (« nos, i. e. ego Apostolique alii, et ecclesiae a nobis fundatae », vel « nos, i. e. ego aliique Iudaeochristiani, et ecclesiae ethnicochristianae »).

Inter acatholicos pauci (*Holst.* etc.) Apostolum ipsum de argumentorum suorum veritate dubitasse ideoque ultima haec verba adiecisse censent; quae non minus arbitrarie quam impie dici, clarum est. Ex Pauli enim verbis nihil aliud colligitur, nisi eum supposuisse, Corinthi non defuturos, quibus argumenta sua non probarentur; atque si eius inspirationem praetermittere liceret, semper esset impium asserere, eum argumenta attulisse, de quibus ipse dubitavit. At nihil quoque in eius argumentis est, de quo dubitare potuerit; inferiorem enim locum mulierem, licet relate ad internam gratiae vitam viro sit par, in hierarchico Ecclesiae ordine tenere, eam ex viro et propter virum esse formatam, eiusque physicam corporis constitutionem diversam esse a viri constitutione, quis dubitat? Iam vero haec sunt fundamenta, quibus tota argumentatio Apostoli innititur et ex quibus deducit, mulierem debere inferioritatem suam etiam externo subiectionis signo manifestare.

§ 4. *De decoro in agapis servando* (11,17-34).

Dominus N. paschali coena celebrata SS. Eucharistiam instituit; unde in primitiva Ecclesia mos invaluit, ut cum SS. Eucharistiae celebratione coena quaedam coniungeretur. Primi Christiani ierosolymitani quotidie per singulas domos privatas alternantes eiusmodi epulas habebant, quibuscum mysterium eucharisticum (fractio panis) erat connexum (*Act.* 2,42. 46); alibi solis diebus dominicis epulae cum Eucharistia videntur esse coniunctae (*Act.* 20,7 sqq.); Corinthi in loco, qui coetibus religiosis erat destinatus, mysteriorum celebrationi communis coena praemittebatur, ad quam singuli fideles cibos aliquos afferebant (*cfr ad v.* 21 sqq.). Quoniam epulae istae signum et

confirmatio mutuae caritatis erant, *ἀγάπαι* appellabantur (cfr *Iud.* 12; 2 *Petr.* 2,13?); at eodem nomine etiam Eucharistia, quacum erant coniunctae, comprehendebatur (*S. Ign. M.* ad Smyrn. 8), uti appellatione coenae dominicae, quae Eucharistiam proxime designabat, etiam epulae illae comprehendebantur (*cfr ad v.* 20). Propter convivarum pravitatem, cuius prima vestigia Paulus in Corinthiis iam impugnare coactus est, agapae a mysteriorum celebratione mox videntur esse seiunctae : etenim medio saec. 2. *S. Iust.* (Apol. I. 65 sqq.) in sua cultus christiani descriptione eas non commemorat, eodemque saec. exeunte *Tert.* (Apol. 39) agapas describens de Eucharistia tacet. Nihilominus in nonnullis provinciae Africae ecclesiis usque ad *S. Aug.* aetatem « uno certo die per annum, quo ipsam coenam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem » iuxta antiquum ritum agapis cum mysteriorum celebratione coniunctis SS. Eucharistia « post cibos offerri et accipi » consuevit (ad Ianuar. ep. 54. al. 118,7); alibi vero iam diu antea erant suppressae ultimaeque earum reliquiae paullo post in africana quoque ecclesia sunt sublatae.

Neque id mirum, si iam in nascente ecclesia corinthia neophyti pium hunc ritum tantopere deturpare coeperant, ut severam Apostoli reprehensionem provocarent. In qua vitium, quod irrepserat, paucis verbis exponit et acerbe vituperat (17-22); reprehensionis deinde rationem explicans agapas isto modo celebratas debitam praeparationem ad corporis et sanguinis Domini dignam sumtionem non esse ostendit (23-32), demum pauca de earum celebrandarum ratione praescribit accuratiorem hac de re institutionem sese coram daturum esse promittens (33. 34). Tres igitur sunt huius tractatus sectiones.

1. *Reprehensio vitiorum, quae in agaparum celebrationem irrepserant* (11,17-22).

11,17. *Hoc autem praecipio : non laudans quod non in melius, sed in deterius convenitis.* 18. *Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo.* 19. *Nam oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* 20. *Convenientibus ergo vobis in unum, iam non est dominicam coenam manducare.* 21. *Unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* 22. *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam*

11,17. Τοῦτο δὲ παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶν ὅτι οὐκ εἰς τὸ κρεῖσσον ἀλλ' εἰς τὸ ἧσσον συνέρχεσθε. 18. Πρῶτον μὲν γὰρ συνερχομένων ὑμῶν ἐν ἐκκλησίᾳ ἀκούω σχίσματα ἐν ὑμῖν ὑπάρχειν, καὶ μέρος τι πιστεύω. 19. δεῖ γὰρ καὶ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι, ἵνα καὶ οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν· 20. συνερχομένων οὖν ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ οὐκ ἔστιν κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν. 21. ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν, καὶ ὃς μὲν πεινᾷ, ὃς δὲ μεθύει. 22. μὴ γὰρ οἰκίας οὐκ ἔχετε εἰς τὸ ἐσθίειν καὶ πίνειν; ἢ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καταφρο-

Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.	νεῖτε, καὶ καταισχύνετε τοὺς μὴ ἔχοντας; τί εἴπω ὑμῖν; ἐπαινῶ ὑμᾶς; ἐν τούτῳ οὐκ ἐπαινῶ[1].

Facile fieri potuerat, ut Corinthii profundas rationes, quibus praeceptum de velandis mulieribus innitebatur, non perspicerent; quapropter Apostolus, quamvis illud Corinthi non esset observatum, praecedentem expositionem a laudanda fidelitate, qua traditiones suae pleraeque in illa ecclesia observarentur, inchoare (*v.* 2) eamque non nisi levi vituperio eorum, quos argumentis suis contradicturos esse praevidit, terminare potuerat (*v.* 16). At alterum vitium, quod in eorum coetibus religiosis serpere inceperat, tam manifestum erat, ut hebetissimi illud perspicere potuerint ac debuerint; quare etiam ad superius exordium (*v.* 2) respiciens cum acerbitate quadam hanc reprehensionem exorditur : 17. *Hoc autem praecipio non laudans* (lege : *praecipiens non laudo*), *quod non in melius, sed in deterius convenitis.* Variae huius sententiae lectiones ex eo, ut videtur, sunt exortae, quod non satis constabat, utrum pronomen τοῦτο (*hoc*) ad superiora an ad sequentia referri oporteret. Multi interpretes illud ad sequentia, aut ad *v.* 23 sqq. aut ad *v.* 33 sq., referri arbitrantur (*Chrys. Theod.* etc., *Lyr. Iust. Est.* etc., *M Ev. Bisp. LR. — Kl Br. Heinr.* etc.); at ea, quae *v.* 23 sqq. dicuntur, praeceptum non constituunt, sed eius fundamentum innuunt[2]; Apostolum autem ea, quae *v.* 33 sq. praecepturus est, iam hic in mente habuisse et vituperatione Corinthiorum abreptum non nisi postea expressisse, probabile non esse opinamur. Illis igitur assentimur, qui pronomen ad superiora referunt (*S. Aug.*

1. *VV. LL.* — 17. παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶν (praecipiens non laudans) B, uti etiam παραγγέλλω οὐκ ἐπαινῶ (praecipio non laudo) D sunt mendosae lectiones. Duae aliae : παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶ (praecipiens non laudo) ℵ E K L P, plerique minusc., *Copt.*, et παραγγέλλω οὐκ ἐπαινῶν (*praecipio non laudans*) A C F G, pauci minusc., *It. Vulg. Syr. Arm.* testium auctoritate aequales sunt; sed prior videtur praeferenda. — 18. ἐν ἐκκλησίᾳ (in ecclesia) sine articulo est lectio omnium uncialium et multorum minusc.; sed *textus rec.* cum reliquis minusc. articulum minus recte inserit. Latini antiquiores (*Fuld. Am.* etc.) habent : in ecclesia; iuniores et *Vulg. Clem.* : *in ecclesiam.* — 19. αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι (haereses *in vobis* esse) est communis fere lectio codd. et verss., quam etiam *S. Hier.* (in Tit. 3,10) retinet; minus recte D F G cum *It.* et *Vulg.* vocabula ἐν ὑμῖν omittunt. — 20. συνερχομένων οὖν ὑμῶν (*convenientibus ergo vobis*) B ℵ A C K L P, plerique minusc. *It. Vulg.* etc.; particula οὖν a D F G, paucis minusc. et PP. non recte omittitur. — 22. ἐπαινῶ ὑμᾶς (*laudo vos*) B F G, *It. Vulg.*; sed ἐπαινέσω ὑμᾶς (laudabo vos) ℵ A C D E K L P, omnes minusc., *Syr. Copt.*

2. Verbum παραγγέλλειν et ab aliis Novi Test. scriptoribus (cfr *Matth.* 10,5; *Marc.* 6,8; 8,6; *Luc.* 5,14; 8,29 etc.; *Act.* 1,4; 4,18 etc.) et a S. Paulo (7,10; 1 *Thess.* 4,11; 2 *Thess.* 3,4. 6. 10. 12; 1 *Tim.* 1,3; 4,11; 5,7; 6,13. 17) sola praecipiendi significatione adhibetur.

de op. monach. 31.; *Gl ord.* et *int. Herv. Lomb. Thom.* etc., *Gagn. Sa, Lap.* etc., *Mai.* etc. — *Mey. God. Schn.* etc.). Quod enim in praecedente pericopa Paulus nihil praeceperit, aliqui (*Bisp.* — *Hofm.*) inepte obiiciunt, siquidem quum tota expositione tum disertis verbis (*cfr vv.* 6. 10) mulieribus usus veli non tantum commendatur, sed praecipitur. Quam ob rem communiorem quoque lectionem graecam (παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶ praecipiens non laudo) praeponendam censemus; velut novum enim praeceptum de velo imponendo hac in epistola traditur (unde etiam usus participii praes. explicatur, licet participium aor. quoque apte adhiberi potuerit), quatenus profundae eius rationes explicantur; ideo eius transgressio Paulum non impediverat, quominus fideles laudaret; at alterum vitium, ad quod transit, omnem laudem excludit, quia nullam admittit excusationem. Itaque mulieres velo uti iubens non potest laudare sed acriter vituperare cogitur (*non laudo* per litoten est dictum) neophytos multos, quod eorum coetus sacri non tam profectum spiritualem quam spirituale damnum producant, quum *non in melius sed in deterius convenientes* non in virtute sed in malo promoveantur[1].

Quodnam illud damnum spirituale sit, modum, quo agapas suas celebrent, describens explicat : 18. *Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam* (lege : *in ecclesia*) *audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo.* Quin *A^{tri}* interpretatio, iuxta quam scissurae *primum* malum dicantur, quia aliorum damnorum fons et origo aut etiam omnium malorum summum sint, plane sit erronea, non est dubium, quamvis in *Gl ord.* recepta olim multis Latinis placuerit (*Herv. Lomb. Lyr. Dion.* etc.); neque minore cum iure aliquorum modernorum acath. (*Hofm.* etc.) reprobatur sententia, quibus πρῶτον μέν idem est quod *ante omnia, praeprimis;* obstat enim particula μέν, quae Apostolum membrum alterum in mente habuisse docet. Quoniam vero nullum δεύτερον vel ἔπειτα δέ sequitur, interrogant moderni interpretes. quod vitium velut secundum Paulus vituperare voluerit et mutata constructionis forma huic primo opposuerit vel potius addiderit. Atque alii quidem, praeeunte iam *S. Thom.*, schismata (*v.* 18 sq.) primum, modum vero celebrandarum agaparum (*v.* 20 sq.) secundum vitium constituere censent (*Est. Nat. Pic. Mai.* etc. — *God.* etc.);

1. Cfr *Thom.* : « Omnia animalia gregalia, puta columbae, grues, oves, naturali instinctu in unum conveniunt, ut sit eis corporaliter melius; unde et homo, quum sit animal gregale vel sociale, secundum rationem agere debet, ut multi in unum conveniant propter aliquod melius : sicut in rebus saecularibus multi in unitatem civitatis conveniunt, ut sit eis melius saeculariter, sc. propter securitatem et sufficientiam vitae. Et ideo fideles in unum convenire debent propter aliquod melius spirituale...; sed isti in deterius conveniebant propter culpas, quas committebant, dum convenirent ».

alii secundam reprehensionem non nisi a 12,1 inchoari arbitrantur, ita ut in tota hac pericopa de solis agapis (18-34), inde a 12,1 de perverso in coetibus religiosis usu charismatum agatur (*LR. Bisp.* etc. — *Mey.* etc.). Quae secunda sententia nobis praeplacet; etenim verba nostri versus συνερχομένων ὑμῶν (*convenientibus vobis*) post brevem interruptionem, quam interiectio (*ex parte credo*) necessariam reddiderat, in principio *v.* 20. resumi et continuari videntur (συνερχομένων οὖν ὑμῶν, convenientibus igitur vobis), ita ut ad eandem reprehensionem pertineant. Porro etiam in *v.* 22. verbis : *laudo vos? in hoc non laudo* ad *v.* 17 (*non laudo*) tam clare respicitur, ut a *v.* 17. usque ad *v.* 22. de eodem argumento tractari dicendum sit. Demum de scissuris Apostolus tam pauca (vel potius nihil) disserit, ut eas pro separato reprehensionis argumento habere non potuerit. Quodsi respondetur, Apostolum hoc in loco schismata paucis absolvere, quia antea (1,11-4,31) uberrime ea tractaverit et acriter impugnaverit, animadvertatur oportet, de aliis schismatis ibi, de aliis hic agi. De prioribus enim per Chloes familiam certior factus ita loquitur, ut nuntiis allatis se plenam fidem habere toto suo tractatu demonstret; de his vero non plane certos rumores videtur audivisse, siquidem se iis non nisi ex parte credere asserit[1]. Porro priora, uti ex Pauli descriptione patet, totam ecclesiae vitam perturbabant gravique periculo exponebant; haec in solis coetibus religiosis (*convenientibus vobis in ecclesia audio schismata esse*), immo vero in sola agaparum celebratione sese manifestabant. In prioribus, quae ob diversum docendi modum doctorum exorta erant, de maiore minoreve Apostolorum et operariorum evangelicorum auctoritate et dignitate disceptabatur; in his quae ex relatione pauperes inter et divites esse exortae videntur, de rebus ad agapas pertinentibus agebatur. Negare quidem nolumus, illa de doctoribus schismata ad augendas scissuras in agaparum celebratione contulisse easque auxisse (id quod *Chrys.* aliique innuere videntur); at ne id quidem certo argumento demonstrari putamus.

Inter Corinthios igitur, quando conveniebant in ecclesia i. e. ad mysteria sacra celebranda unum in locum congregabantur[2], scissuras

1. Verba *ex parte credo* (μέρος τι πιστεύω) non significant : « quantum ad aliquos vestrum, qui erant ad contentionem proni, credo ea, quae relata sunt » (*Thom.* aliique latini), sed « partem eorum, quae relata sunt, credo ». Neque in illa expressione singularem urbanitatem quaerere licet, qua reprehensionem suam Paulus mitigare voluerit (*Chrys.* et moderni plerique); quum enim (utique erronee) supponatur, eum hic de iisdem loqui schismatis, de quibus supra, mitigatio haec prorsus fuisset superflua. Per legatos corinthios (16,15) rumores illos esse exaggeratos forsitan audiverit, ideoque bona sua de Corinthiis opinione accedente plenam fidem incertae famae habere noluerit.

2. Haud pauci interpretes latini et in hoc loco et in *v.* 22. nomine *ecclesiae* aedificium

sese manifestare Apostolus audierat, plenam vero fidem rumoribus ob bonam suam de fidelibus opinionem habere noluerat; ex parte tamen eis credidit, atque rationem addit, cur fidem omnem eis non negaverit: 19. *Nam oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Argumentum est a maiore ad minus : « si vel ipsas haereses in ecclesia oportet esse, mirum non est, quod scissuras de agapis inter vos exortas esse crediderim » (cfr *Pel. Herv. Thom.* etc., *Est. Nat. Pic. M Ev. Bisp.* etc. — *Calov. Rück. Hofm. God.* etc.). Communior fere haec est Latinorum explicatio[1], iuxta quos nomine haereseos (αἱρέσεις) gravius malum, quam nomine scissurae (σχίσματα), exprimitur. Graeci tamen (*Chrys. Theod.* etc.), quibuscum alii, maxime recentiores, consentiunt (*Cai. Iust. Mai. LB.* etc. — *Grot. Mey. Schn.* etc.), utroque nomine idem malum designari tenent, ut haec sit Pauli argumentatio : « inter vos scissuras *esse* ex parte credo, quia *debere* (praeter alia mala) etiam eiusmodi scissuras *inter vos* exoriri scio ». Quamvis utraque explicatio per se apta esse videatur, priorem tamen omnino praeferimus; cur enim Apostolus ad eandem rem designandam duo diversa vocabula eodem in argumento adhibere voluerit, eo minus intelligitur, quia simplici pronomine sermonem continuare potuit (δεῖ γὰρ τοιαῦτα καὶ ἐν ὑμῖν εἶναι); neque recte particula καί nostro in loco pro mera copula habetur, quum nihil, quocum vocabulum αἱρέσεις connectatur, sit expressum, sed, uti saepe, augendi vim habet (cfr *Luc.* 9,5; *Hebr.* 7,4 etc.); demum vocabula αἱρέσεις et σχίσματα ita esse synonyma, ut idem prorsus significent, verum non est; ubicumque enim in Novo Test. legitur, vox αἵρεσις completam quandam separationem exprimit, quae cum pertinacia retinetur ideoque perdurat, vox σχίσμα vero etiam de levioribus et transitoriis dissidiis usurpatur[2]. Contra graecorum Patrum igitur sententiam, qui hoc in loco

sacrum, in quo mysteria christiana celebrantur, intelligunt (cfr *Gl interl. Lyr. Dion. Lap. Pic.* etc., *M Ev. LR. Ramb.* etc. — *Grot. Wolf, Heyd.* etc.); rectius tamen utroque in loco Graeci aliique Latini ipsum fidelium coetum, qui unum in locum ad divinum cultum celebrandum conveniunt, intelligi censent (*cfr ad* 1,2). Dubium quidem non est, quin inde a 3. saec. et a Graecis et a Latinis nomina ἐκκλησίας et *ecclesiae* ad ipsum locum, in quem fideles sacrorum causa conveniunt, designandum sint translata; at nullo certo exemplo demonstratur, vocabula hoc sensu iam tempore apostolico esse adhibita.

1. Cfr *Tert.* de praescr. 5 : « Porro Paulus, si dissensiones et schismata increpat et incontinenti (i. e. statim) haereses subiungit, quod malis adiungit, malum utique profitetur et quidem maius, quum ideo se credidisse dicat de schismatibus et dissensionibus, quia sciret etiam haereses oportere esse; ostendit enim gravioris mali prospectu de levioribus se facile credidisse ».

2. Αἵρεσις (« *electio* » cfr *Gen.* 49,5; *Lev.* 22,18; 1 *Mach.* 8,30) a iunioribus Graecis ad varias philosophorum scholas designandas usurpatur (αἵρεσις ἀκαδημαϊκή etc.); simili sensu vox transiit ad Novi Test. scriptores, qui Iudaeorum sectas sese mutuo impugnantes hoc

haereseos nomine solas contentiones (*Theod.*), quae circa mensas versentur divitibus pauperes negligentibus (*Phot.*), intelligere volunt, vocabulum eodem sensu adhiberi cum Latinis plerisque tenemus, quem in lingua ecclesiastica plerumque habet, ut erroneae sententiae pertinacem electionem et defensionem significet. Porro eodem modo, quo Dominus scandala venire dixit necesse esse (*Matth.* 18,7), i. e. « impossibile esse, ut non veniant scandala » (*Luc.* 17,1), Paulus haereses esse oportere asserit, « non arbitrii libertatem labefactans neque necessitatem quandam et vim in vitam inferens, sed id quod spectata mala hominum natura omnino futurum erat, praedicens » (*Chrys.*). Neque tamen, licet ex mala hominum natura quasi sua sponte exoriantur, haereses esse permitteret Deus, nisi bono fidelium inservirent (cfr *Thom.*); quem vero in iis permittendis Deus finem habeat, indicat Apostolus addens : *ut et, qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*, i. e. ut οἱ δόκιμοι, sinceri et integri Christiani cognoscantur, quum verae fidei inhaerentes non propriae suae rationis fallacia placita sed Ecclesiae doctrinam praeceptaque sequantur.

Nimis arcte quidem *S. Aug.* (de Gen. c. Man. I. 1) nomen *probati* de solis doctoribus intelligit; nam omnes sinceros Christianos hoc in loco intelligendos esse patet; de reliquo verba egregie ita exponit : « Ideo divina providentia multos diversi erroris haereticos esse permittit, ut quum insultant nobis et interrogant nos ea, quae nescimus, vel sic excutiamus pigritiam et divinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea et Apostolus dicit : *Oportet haereses esse, ut probati manifesti fiant inter vos.* Illi enim Deo probati sunt, qui bene possunt docere; sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi quum docent; docere autem nolunt nisi eos, qui doceri quaerunt. Sed multi ad quaerendum pigri sunt, nisi per molestias et insultationes haereticorum quasi de somno excitentur et de imperitia sua erubescant sibi, et de illa imperitia sua periclitari se sentiant. Qui homines, si bonae sunt fidei, non cedunt haereticis, sed quid eis respondeant diligenter inquirunt. Nec eos deserit Deus, ut petentes accipiant et quaerentes inveniant et pulsantibus aperiatur ». *Cfr* etiam ea, quae de haereseon utilitate disserit alibi (Civ. Dei. XVI. 2) : « Multa ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius et intelliguntur clarius et instantius praedicantur, et ab adversario mota quaestio discendi exsistit occasio ». Ibid. XVIII. 51 etc.

Post brevem hanc interruptionem Paulus reprehensionem inchoatam

nomine appellant (αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων, τῶν Φαρισαίων. *Act.* 5,17; 15,5; 26,6), dum Iudaei de Christianorum haeresi loquuntur (*Act.* 24,5. 14; 28,22). A Paulo (*Gal.* 5,20) gradatione ascendente ἐριθεῖαι, διχοστασίαι, αἱρέσεις enumerantur; quo sensu Petrus vocem adhibeat, docet eius appositio (αἱρέσεις ἀπωλείας; 2 *Petr.* 2,1). Omnibus igitur in locis (saepius enim in N. T. non legitur) *completa* quaedam et *stabilis* separatio, quae ex variis sententiis inter se oppositis exoritur, hoc vocabulo designatur. Porro σχίσμα plerumque de dissidiis subito exortis, quae veram separationem non efficiunt, usurpatur, uti de Iudaeis inter se de Christi miraculis disputantibus (*Ioan.* 7,43; 9,10; 10,19); *cfr supra ad* 1,10.

resumit, qua in re scissurae illae appareant (20. 21) explicans et quantopere sint vituperandae (*v.* 22) ostendens. 20. *Convenientibus ergo vobis in unum iam non est Dominicam coenam manducare.* Cum *Gl interl.* haud pauci interpretes antiquiores et moderni verba *non est* idem esse censent, quod *non licet* vel *fieri non potest;* neque dubium est, quin graecum οὐκ ἔστιν hanc interpretationem admittat, siquidem aliquoties pro οὐκ ἔξεστιν usurpatur; sensum igitur sententiae esse dicunt : « quum in unum (locum, ἐπὶ τὸ αὐτὸ sc. χωρίον) convenitis, ita agitis, ut iam non liceat vobis coenam dominicam manducare » vel « ut iam non possitis, sicut oportet, coenam Domini manducare » (cfr *Lomb. Thom. Lyr. Gagn. Salm.* etc. — *Beng. Mey. Schn.* etc.). Cur vero ad rariorem illam formulae οὐκ ἔστιν explicationem recurramus, nulla est ratio, atque rectius cum aliis exponimus : « Quum ad celebranda mysteria convenitis, (hoc quod agitis) iam non est coenam dominicam manducare sed omnino alia res » (cfr *Chrys. Theod.* etc., *A^{ter}* etc., *Herv. Cai. Est. Lap. Pic.* etc., *Mai. Bisp.* etc. — *Grot. God.* etc.). Sed quidnam est *coenam Dominicam manducare?* « Acceptionem Eucharistiae, inquit *S. Aug.* (ad Ian. ep. 54,5) dominicam coenam vocat »; sim. *Theod.* : « Dominicam coenam appellat sacramentum dominicum »; quae sententia haud paucis quidem probatur (*Pel. Gl ord. Lomb. Thom.* etc., *Sa* etc. — *Wolf, Hofm.* etc.) atque ex eo confirmari videtur, quod Apostolus statim de SS. Eucharistiae institutione agit (*v.* 23 sqq.); neque tamen probari potest, quatenus de sola Eucharistia Apostolum loqui asserit; namque isti abusus, quos *v.* 21. Apostolus recenset, ut unusquisque suam propriam coenam praesumeret, alius esuriret etc., in sumtione Corporis et Sanguinis Domini locum habere non potuerunt, neque ea, quae *v.* 33 sq. praescribit, ut se invicem exspectent etc., ullo modo intelliguntur, si de sola Eucharistia agitur. Attamen eorum quoque nobis non probatur sententia, qui solas agapas coenam Domini vocari putant (*Chrys.* etc., *Prim.* etc., *Gagn. Est. Nat. Pic.* etc.) sed cum plerisque modernis (*Cai. Iust. Lap.* etc., *Mai. Bisp. LR* etc. — *Mey. God.* etc.) totum convivium intelligimus, quod ut ultimam Domini coenam imitarentur et commemorarent, primi Christiani statis diebus celebrabant cuiusque partem aut primam aut ultimam (sed praecipuam) sumtio SS. Eucharistiae constituebat; recte enim dominica coena vocabatur, quia a Domino erat instituta et Dominus sese ipse in illa fidelibus manducandum dedit. Iuxta *Chrys.* oblatio et sumtio Eucharistiae agapas praecessit, iuxta *Aug.* eas secuta est, iuxta modernos aliquos (acath. *Mey.* etc.) tempore coenae panis, finita coena calix offerebantur et sumebantur. Quae tertia sententia aliud fundamentum non

habet, nisi erroneam explicationem historiae institutionis (*cfr ad v.* 25); ad duas alias quod attinet, certum et definitum ritum eo tempore nondum exstitisse arbitramur (id quod etiam innuit *S. Aug.* ad Ian. ep. 54,6); ex *Act.* 2,46 et 20,11 enim concludere licet, panem fractum, i. e. Eucharistiam consecratam et distributam esse ante coenam communem; sed ex nostra pericopa colligitur, Corinthi saltem eundem ritum esse observatum, quem Dominus ipse tenuerat finita coena paschali Eucharistiam instituens.

Illud, quod in suis coetibus Corinthii agunt, nihil habere commune cum coena, quam Dominus cum discipulis suis ante passionem celebravit, facile apparet : 21. *Unusquisque enim suam* (τὸ ἴδιον suam propriam vel privatam) *coenam praesumit ad manducandum* (προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν i. e. aliis, ut cum iis sua dividat, non exspectatis praeoccupat, si manducandi tempus advenit; unde mirum non est, quod) *et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Qua ex descriptione iure concludimus, fideles ad hanc coenam communem pro suis quemque facultatibus cibos attulisse, qui omnibus inservirent, divites vero neglectis pauperibus iisque esurientibus laute ita esse epulatos, ut iustos limites transgressi gulae ac ventri servire viderentur. Cum aliis *Est.* censet, ebrietatem hoc loco non eam esse intelligendam, quae usum rationis tollat; at quousque neophyti, postquam coenis illis abuti coeperunt, progressi sint, prorsus ignoramus; ceterum in utroque membro aliquid suppleatur necesse est, quum Apostolus ciborum *et* potus abundantiam, qua divites abutebantur, penuriae ciborum *et* potus, qua premebantur pauperes, opponere voluerit.

Duo divitum crimina esse bene notat *Chrys.,* « quod ventrem impleant et inebrientur idque esurientibus pauperibus. Quae enim omnibus in communi apponenda erant, iis ipsi soli se ingurgitabant ad voracitatem et ebrietatem pervenientes. Ideo non dixit : alius quidem esurit, alius satiatur, sed : *ebrius est.* Horum autem utrumque per se dignum est reprehensione : nam inebriari, etiamsi pauperes non despiciuntur, culpa est, et pauperes despicere etiam absque ebrietate est vitium : cogita igitur, quanta sit iniquitas, si duo simul sint coniuncta ». Quapropter magna cum indignatione, quae vividis interrogationibus sese manifestat, Paulus exclamat : 22. *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.* Quodsi convivia agere volunt, iis non desunt domus privatae, in quibus illa ita instruere possunt, ut pauperes non offendantur. Ecclesia Dei vero quum divitibus tum pauperibus constituitur, qui coram Deo omnes sunt aequales; quae tota fidelium con-

gregatio contemnitur, si qui ab ea ita se separent, ut coram omnibus privata sua convivia opipare apparent pauperesque dignos non habeant, quos invitent. Licet igitur libenter eos laudare velit, in hac tamen re eos laudare nequit, quia « non in melius sed in deterius conveniant » (*v.* 17).

2. *Agapae Corinthiorum apta praeparatio ad Eucharistiam non sunt* (11,23-32).

11,23. *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem,* 24. *et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem.* 25. *Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* 26. *Quotiescumque enim manducabitis, panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* 27. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* 28. *Probet autem se ipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* 29. *Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit : non diiudicans corpus Domini.* 30. *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.* 31. *Quod si nosmet ipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur.* 32. *Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

23. Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου, ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν, ὅτι ὁ Κύριος ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο ἔλαβεν ἄρτον, 24. καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ εἶπεν· τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. 25. ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι λέγων· τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι· τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἐὰν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. 26. ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε ἄχρι οὗ ἔλθῃ. 27. ὥστε ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον ἢ πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ Κυρίου ἀναξίως, ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου. 28. δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτόν, καὶ οὕτως ἐκ τοῦ ἄρτου ἐσθιέτω καὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου πινέτω· 29. ὁ γὰρ ἐσθίων καὶ πίνων, κρῖμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει μὴ διακρίνων τὸ σῶμα. 30. διὰ τοῦτο ἐν ὑμῖν πολλοὶ ἀσθενεῖς καὶ ἄρρωστοι καὶ κοιμῶνται ἱκανοί. 31. εἰ δὲ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα· 32. κρινόμενοι δὲ ὑπὸ τοῦ Κυρίου παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν [1].

(1) *VV. LL.* — 23. παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου est communis graec. codd. lectio, sed D E legunt παρά. — ἐν τῇ νυκτί, ᾗ (in nocte qua) iterum communis lectio, pro qua D F G cum *It.* et *Vulg.* : ἐν ᾗ νυκτί (*in qua nocte*). — 24. καὶ εἶπεν· τοῦτό μου ἐστίν... (et dixit : hoc est meum...) B ℵ A C D E F G, haud pauci minusc. et PP., *It. Vulg. Fuld. Amiat.* aliique codd.), *Copt. Arm.*; sed ante τοῦτο inserit : λάβετε φάγετε (*accipite* et *manducate*) *textus rec.* cum K L P, plerisque minusc. et iunioribus PP., *Vulg.* (*Clem.* cum *Demid. Tol. Harl.* etc.), *Syr. Goth. Aeth.* Verba haec ex *Matth.* 26,26 videntur inserta. — τὸ ὑπὲρ ὑμῶν (quod pro vobis) sine addito B ℵ A C et aliqui PP.; sed addunt κλώμενον (quod pro vobis *frangitur*) E F G K L P, plerique minusc., *It. Syr. Goth.*; aut διδόμενον (quod pro vobis traditur *Vulg.* tradetur) *Theod.*, et ex verss. *Vulg. Copt.*; aut θρυπτόμενον (quod conteritur) D. Prima lectio videtur praeferenda, optimum tamen supplementum est partic. κλώμενον cfr *Comment.* —

Corinthios ob modum, quo agapas una cum SS. Eucharistiae oblatione, i. e. coenam dominicam, celebrent, revera non laudem mereri sed gravi vituperatione esse dignos, Apostolus hoc argumento probat: Sicut ex historia institutionis eius elucet, in SS. Eucharistia Dominus fidelibus verum suum corpus verumque suum sanguinem tamquam cibum et potum reliquit, ut in eius sumtione suam passionem annuntiarent (23-26); quare ne quis indigna eius sumtione culpam poenamque sibi attrahat, non nisi post debitam praeparationem ad eam sumendam accedat necesse est (27-29); atqui conditio ecclesiae corinthiae ostendit, Eucharistiam ibi a multis indigno (et minus digno) modo recipi (30-32); ergo apparet, agapas, quas Corinthii ultimam Domini coenam imitantes sumtioni SS. Eucharistiae praemittunt, non ita celebrari, ut debitam constituant praeparationem ad Christi passionem in hoc mysterio annuntiandam. Quam conclusionem, quum sua sponte colligatur, pro more non exprimit, sed in sequentibus versibus (33 sq.) statim nonnulla de modo agaparum celebrandarum statuit.

Velut fundamentum argumentationis igitur institutionis SS. Eucharistiae historiam, quam a Domino immediate acceptam Corinthiis tradidit, eis in memoriam revocat (23-25) finemque eius paucis verbis explicat (*v.* 26). Argumentum enim afferri, quo vituperationes praecedentes (*v.* 22) iustas esse demonstratur, particula causalis γάρ (*enim*) satis docet. 23. *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem* etc. Iure merito antiquiores interpretes omnes (cfr *Thom. Lyr. Cai. Est.*

26. καὶ τὸ ποτήριον πίνητε (*et calicem bibetis*) B ℵ A C D F G, aliqui minusc., *It. Vulg. Sah. Arm.*; sed *textus rec.* : καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο πίνητε (et calicem *hunc* bibetis) cum E K L P, plerisque minusc., *Syr. Memph. Aeth. Goth.*) pronomine explicationis gratia addito. — 27. ἐσθίῃ τὸν ἄρτον ἢ πίνῃ (*manducaverit panem vel biberit...*) B ℵ A C D E F G, aliqui minusc., *It. Vulg.* (*Fuld. Amiat. Demid. Harl.* etc.), *Syr. Sah.* etc.; sed *textus rec.* : τὸν ἄρτον τοῦτον (panem hunc) cum K L P, plerisque minusc., *Vulg.* (*Clem.*), *Memph. Arm. Goth.* etc., ubi iterum pronomen abundare videtur. — ἢ πίνῃ (*vel biberit*) est communis et certa lectio, quae retineatur oportet, licet aliqui testes exhibeant : καὶ πίνῃ (*et* biberit) A, quatuor minusc., *Syr.* (codd.), *Copt. Aeth.* — τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος ἔνοχος (*corporis et sanguinis reus*) cum duplici articulo B ℵ A C D E F G K L P, haud pauci minusc. et PP. gr.; *textus rec.* articulum ante αἵματος male omittit cum multis minusc. et *Theoph.* — 29. καὶ πίνων (et bibens) sine addito B ℵ A C, *Sah. Aeth.*, at adverbium ἀναξίως (*indigne*) rectius additur a reliquis testibus (cfr *Comm.*). — τὸ σῶμα (corpus) sine addito B ℵ A C, antiquiores codd. *Vulg.* (*Fuld. Am. Harl.* etc.), *Sah.*; rectius tamen additur genitivus τοῦ Κυρίου (*Domini*) cum aliis omnibus testibus. — 31. εἰ δέ (si autem vel *quodsi*) B ℵ A D E F G, pauci minusc., *It. Vulg. Goth.*, *Aeth.*; minus bene : εἰ γάρ (si enim) textus rec. cum C K L P, plerisque minusc., *Syr. Copt. Arm.* — 32. σὺν τῷ κόσμῳ (cum mundo) est communis lectio, a qua tamen recedunt F G cum *It.* et *Vulg.* : σὺν τῷ κόσμῳ τούτῳ (*cum hoc mundo*).

Iust. etc.) et moderni plerique (*M Ev. Bisp. L R. Dr. Ramb.* — *Beng. Olsh. God.* etc.) contra unum alterumve cath. (*Mai*) et haud paucos acath. (*Beza Kl Br. Schn. Goeb.*) tenent, Paulum *immediate* a Christo accepisse illa, quae de ultima coena Corinthiis tradidit. Minime quidem negamus, praepositione ἀπό solam traditionis a Christo originem exprimi, nihil vero de acceptionis modo, immediatusne an mediatus fuerit, doceri[1]; at tota phrasis mediatam acceptionem prorsus excludit. Etenim praeprimis animadvertas velim, doctrinas quidem, quas Dominus Apostolos docuit, per eos ita ad eorum discipulos pervenire, ut hi recte dicere possint, se illas (mediantibus Apostolis) a Domino accepisse; at aliter omnino se res habet, si de Domini rebus gestis agitur, quarum Apostoli spectatores fuerant et testes esse debebant; numquam ea, quae Dominum agere viderant, se a Domino *accepisse* dicunt (*cfr* 1 *Ioan.* 1,1 sqq.; 2 *Petr.* 1,18); atque nos quoque parum apte diceremus, *a Domino per Ioannem* nos Lazari resuscitationem accepisse. Iam vero de facto historico, cuius primi Apostoli spectatores fuerant, hic agitur. Porro quum Apostolus cum quadam emphasi dicat: *ego accepi a Domino*, seque Corinthiis opponat, qui ipso mediante eandem rem a Domino acceperant, evidens est, eum talem acceptionis modum designare, qui ipsi soli est proprius. Demum procul dubio ea, quae de SS. Eucharistiae institutione hic tradit, uti ea, quae de morte et resurrectione Domini infra docet (15,3), ad Evangelium pertinent, quod ubique praedicavit; atqui Evangelium suum « neque ab homine accepit neque didicit (οὐδὲ παρ' ἀνθρώπου παρέλαβεν οὔτε ἐδιδάχθη) sed per revelationem Iesu Christi » (*Gal.* 1,12). Omnino igitur tenendum est, Paulum praeter dogmata proprie dicta etiam totam suam scientiam de Domini N. vita terrestri immediate a Christo ipso glorificato accepisse, quamquam quo tempore et quo in loco (forte triennio illo, quod in Arabia peregit *Gal.* 1,17) et quo modo (utrum per visiones an interna illustratione etc. cfr *Act.* 9,12; 22,17 sqq.; 23,11; 26,15 sqq. etc.) omnia haec sit edoctus, plane ignoramus.

Quae autem a Domino sublimi quadam revelatione acceperat, ea tamquam fidelis dispensator mysteriorum Dei (4,1) Corinthiis tradiderat et hic repetiit Deo ita disponente, ut mysterii huius institutio nobis quasi ex duo-

1. Inter praepositiones παρά c. gen. et ἀπό, ubi originem indicant, illa quidem intercedit differentia, ut παρά semper immediatam originem indicet, ἀπό plerumque latiore sensu de origine qualicumque usurpetur; at propter ampliorem. quae ei competit, potestatem aeque bene de immediata et de mediata origine adhibetur, atque satis multa sunt exempla, in quibus immediata origo praepositione ἀπό exprimitur; cfr *Col.* 1,7; 3,24; *Gal.* 3,2; *Act.* 9,13; 1 *Ioan.* 1,5; *Matth.* 11,29 etc.

bus diversis fontibus innotesceret. S. Matthaeus, qui ultimae coenae interfuerat, tamquam testis ocularis eius historiam narrat (*Matth.* 26,20-29), et S. Marcus, quem Evangelium a B. Petro praedicatum literis mandasse Patres testantur, alterius testis ocularis relationem nobis transmisit (*Marc.* 14,17-25). Qui duo inter se verbis quoque fere omnino consentientes unum quodammodo fontem constituunt; alterum SS. Paulus et Lucas constituunt, qui inter se iterum vicinissimi, a duobus prioribus minime quidem, uti clarum est, re, sed verbis magis minusve dissentientes ea tradunt, quae Dominus glorificatus de ultima sua coena cum Paulo communicaverat; Lucae enim relationem (*Luc.* 22,19. 20) a Paulo dependere ex eo satis constat, quod testibus Patribus tertius Evangelista Evangelium ab Apostolo gentium praedicatum in libro condidit[1]. Duorum igitur ocularium testium narrationem, quae, etiamsi ab eorum inspiratione abstraheremus, plenam nobis certitudinem daret, Dominus ipse tamen iam in coelum elevatus Paulo apparens quodammodo confirmavit suamque confirmationem iterum per duos testes nobis transmitti voluit, ut omni dubitationi, quam augustissimi huius mysterii sublimitas et praeclarissimi huius doni magnitudo in animis provocare potuit, aditum praecluderet thesaurosque suae infinitae caritatis apertius nobis manifestaret.

Merito cum *Chrys.*[2] omnes fere interpretes tempus institutionis non sine ratione a Paulo indicari monent, quum ad confundendos Corinthios non parum conferat: Dominus enim eadem nocte, in qua homines erga eum tam ingratos se exhibebant, ut unus ex discipulis eum hostibus acerbissimis traderet, alter eum ter negaret, reliqui eum timidi relinquerent, in suae passionis memoriam hoc caritatis suae sacramentum instituit, cuius celebrationem Corinthii nunc tam levi et lascivo modo peragunt. Illa igitur nocte in ultima coena paschali Dominus Iesus *accepit panem* aliquem azymum ex iis, qui in mensa appositi erat (ἔλαβεν ἄρτον, Evangelistae quoque omnes articulum omittunt), 24. *et gratias agens fregit et dixit: (Accipite et manducate) : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Gratias agens* (εὐχαριστήσας) iuxta *Paul.* et *Luc.*, *benedicens* (εὐλογήσας) iuxta *Matth.* et *Marc.* Dominus panem fregit; sed duo verba easdem preces designant, quare in liturgia recte connectuntur (« gratias agens benedixit » *Canon Missae*); bene-

1. De duorum intermediorum Evangeliorum relatione ad Petrum et Paulum allatis Patrum testimoniis egimus in *Introductione speciali* in Novi Test. libros p. 85 sqq. et 128 sqq. (*Compend. Introductionis* p. 168 sq. et 179 sq.).

2. *Chrys.* « Qua de causa tempus nobis commemorat et noctem illam et proditionem? Ut etiam a tempore nos efficaciter compungeret. Etiamsi enim lapis sit aliquis, si cogitat illam noctem, quomodo cum discipulis erat tristis, quomodo traditus est, quomodo ligatus et abductus, quomodo iudicatus et cetera omnia passus, cera mollior efficitur, a terra abstrahitur et ab huius saeculi fastu... Dominus tuus se ipsum pro te tradidit, tu vero ne cibi quidem aliquid fratri das pro te ipso ».

dictio enim erat cum gratiarum actione coniuncta [1]. Ceteroquin participiis aoristi, quibus sacri scriptores utuntur, non indicatur, benedictionem actionemque gratiarum iam esse terminatam, antequam sequentia verba pronuntiabantur (id quod contra *S. Thom.* Summ. III. 78,1. ad 1. valde urgent *Est. Iust.* etc.); sed quia participium aor. cum altero aoristo finito haud raro ita connectitur, ut duas actiones eodem tempore fuisse significetur, participia εὐχαριστήσας et εὐλογήσας apte adhiberi potuerunt, etsi praeter verba consecratoria ea occasione non essent alia a Christo prolata, multo magis autem, si longioris actionis gratiarum et benedictionis iam inchoatae pars praecipua verba consecratoria erant [2]. Ob eandem quoque rationem ex Scripturae verbis cum certitudine definiri nequit, utrum fractio consecrationem praecesserit, id quod multis placet, an secuta sit, id quod alii velut probabilius admittunt.

Verba *accipite et manducate* ex *Matth.* 26,26 probabiliter huc irrepsisse iam monuimus (*cfr VV. LL.*); S. Lucas quoque, qui in reliquis cum Paulo consentit, ea praetermittit. Porro verba *hoc est corpus meum,* quibus Dominus panem in corpus suum transubstantiavit, « a SS. Evangelistis commemorata et a D. Paulo repetita, quum propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas Carnis (et Sanguinis) Christi negatur, contra universum Ecclesiae sensum detorqueri » (*Conc. Trid.* Sess. 13. De SS. Euchar. Sacr. cp. 1.). Revera tam clara sunt, ut mireris, quod umquam alio, quam catholico, sensu explicari potuerint. Pronomen

1. Verba εὐχαριστεῖν et εὐλογεῖν, licet significatione differant, a sacris scriptoribus velut synonyma interdum adhibentur atque frequenter de eadem precatione usurpantur. Eadem in phrasi (*infra* 14,16) Paulus unum pro altero quasi substituit; *Matth.* et *Marc.*, qui in panis consecratione verbum εὐλογεῖν adhibuerunt, in consecratione calicis εὐχαριστεῖν dicere maluerunt; in priore multiplicatione panum eadem Domini precatio, quam *Matth.* (14,19), *Marc.* (6,41), *Luc.* (9,16) verbo εὐλογεῖν expresserunt, *Ioan* (6,11) designavit verbo εὐχαριστεῖν; in altera panum multiplicatione *Matth.* (15,36) solo verbo εὐχαριστεῖν utitur, *Marc.* (6. 7) autem Dominum ante panum multiplicationem gratias egisse, pisces vero benedixisse dicit. Utraque benedictionis et gratiarum actionis significatio exprimitur uno hebraico verbo בֵּרֵךְ, unde facile intelligitur, sacros quoque Novi Test. scriptores duas significationes coniunxisse et interdum verbo εὐλογεῖν interdum verbo εὐχαριστεῖν expressisse.

2. Constructioni nostrae (εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ εἶπεν· τοῦτο κτλ) omnino consonat *Act.* 1,24 (καὶ προσευξάμενοι εἶπαν· σὺ, κύριε κτλ), quo in loco nemo dixerit, Apostolos precationem suam iam terminasse, quando verba a S. Luca relata pronuntiarunt; sed haec verba ipsa constituunt totam eorum precationem aut saltem eius summam continent. Num ex verbis *Conc. Trid.* (Sessio 13. De Euchar. sacr. cp. 1. « Post panis vinique benedictionem se suum corpus illis praebere ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est » Dominus) S. Thomae sententia validius refutetur, alia est quaestio, quae ad nos non pertinet; nobis sufficit adnotasse, eam ex institutionis verbis *non* refutari.

hoc rem esse praesentem designat nec quidquam de rei ipsius natura indicat; est igitur illud, quod Dominus manibus suis tenens discipulis post prolatam consecrationis formam daturus est. Copula *est* subiectum cum praedicato ita coniungit, ut unum alteri aequum et par esse ostendat; ineptissime enim loquuntur, qui verbo *esse* repraesentativam aut figurativam vim attribuunt, ac si *est* umquam vel usquam sit idem, quod *significat* aut *repraesentat*. Fieri procul dubio potest, ut istis quoque in sententiis, in quibus subiectum cum praedicato verbo substantivo (*esse*) coniungitur, aliqua improprietas inveniatur, at haec numquam in copula est quaerenda, qua duo extrema coniunguntur et uniuntur, sed aut in praedicato aut in subiecto, immo interdum in utroque.

Si statuam aliquam ostendens dico: « Hic est Marcus Aurelius », nemo non intelligit, praedicatum improprie sumi propositionemque meam esse: « Haec est imago Marci Aurelii ». Sic crucem, ancoram, cor explicans recte dico: « Haec est fides » (i. e. symbolum fidei), « haec est spes » (symbolum spei), « haec est caritas » (symbolum caritatis). Sic quoque Apostolus, postquam praemonuit ea, quae de Abraham eiusque duabus uxoribus et duobus filiis retulit, per allegoriam (i. e. typice) esse dicta, pergit: « Haec (rectius: hae, sc. duae uxores, αὗται) sunt duo testamenta » i. e. typi duorum testamentorum (*Gal.* 4,24). In omnibus his exemplis praedicatum improprie sumitur; subiectum vero improprie intelligitur in sententia, quam iam explicavimus: « Petra (i. e. ille qui ex petra Israelitis aquam dedit) erat Christus » (*cfr ad* 10,4). Similia sunt alia exempla, quibus adversarii verbo substantivo vim significandi vel repraesentandi vindicare conantur.

Atqui evidens est, eiusmodi propositiones non intelligi, nisi auditor improprium sensum, qui praedicato aut subiecto attribuitur, cognoscat atque ex adiunctis concludere debeat aut saltem possit, non alio quam isto improprio sensu alterutrum revera adhiberi. Unde elucet, in nostra sententia (*hoc est corpus meum*) eo solo in casu realem corporis Dominici praesentiam atque panis in corpus Christi transubstantiationem non doceri, si verba *corpus meum* improprie intelligi possent ac deberent. Iamvero improprie explicari deberent, si transubstantiatio potestatem Christi superaret; atque id revera locum habere, contendunt maxime recentissimi interpretes acath. (*Mey. God. Heinr.* etc.), sed eos ad theologos remittimus, qui omnes difficultates contra realis praesentiae et transubstantiationis possibilitatem ab antiquis et modernis haereticis excogitatas fuse et docte solverunt. Porro verba Domini possent saltem improprie intelligi, si discipuli, quibus praesentibus prolata sunt, aut aliunde scivissent aut ex adiunctis concludere debuissent, panem fractum nihil esse nisi symbolum aut figuram corporis Christi in cruce passi; sed nec ex natura sua nec ex communi hominum acceptione panis fractus symbolum eius-

modi est, nec panem fractum fore tale symbolum a Christo antea umquam est indicatum, neque hic indicatur, neque adiunctis ullo modo insinuatur; ergo vocabula *corpus meum* proprio sensu intelligantur oportet, nec quidquam restat, nisi ut cum Patribus omnibus et catholicis interpretibus, vel potius cum Ecclesia verba ita interpretemur, ut Christum corpus suum vere et realiter et substantialiter discipulis suis manducandum tradidisse nobisque tradere dicamus [1].

Quae explicatio non parum confirmatur verbis additis : *quod pro vobis tradetur;* de cuius additamenti, quod a *Matth.* et *Marc.* omittitur, lectione non satis quidem constare diximus (*cfr* VV. LL.), at differentiae non magni sunt momenti. Si cum quatuor antiquioribus codd. graecis lectionem τὸ ὑπὲρ ὑμῶν (*quod pro vobis*) praeferimus, participium ex praecedente verbo (ἔκλασεν) suppleri oportet [2], ita ut eundem sensum habeamus, quem plerique codd. graeci exprimunt : τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον (*quod pro vobis frangitur*). Praeterea verbum frangendi, si (uti nostro in loco) ad id quod manducandum est refertur, ex notissimo usu biblico significat « in cibum dare » vel ministrare [3]; quare tertia lectio (τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον *quod pro vobis datur* vel *traditur*), quam etiam S. Lucas habet, a praecedentibus sensu vix differt. Unde ineptam esse adversariorum explicationem patet; quid enim sibi vult haec propositio : « hoc, quod manibus tenens vobis daturus sum, repraesentat corpus meum, quod in cibum datur »? Neque enim rei, quae non exsistit (secundum adversarios enim corpus Christi non datur in cibum), alia res potest esse signum vel symbolum; neque explicare licet : « hoc est symbolum corporis mei *in cruce* fracti », quia corpus Domini in passione fractum non est (*Ioan.* 19,33. 36). Porro Dominus corpus suum *pro* discipulis frangi vel dari dicit (τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον); *pro* dis-

1. De lutherana interpretatione, iuxta quam peracta consecratione substantia panis remaneat et corpus Christi « in pane, cum pane, sub pane » fidelibus detur, disserere superfluum est; alio enim modo teneri non potest, nisi aut absurde statuatur, verbum ἐστὶν idem esse quod ἔνεστιν, aut non minus absurde admittatur, *hoc* quod Dominus discipulis tradidit ideo vocatum esse eius corpus, quia denominatio a potiore parte desumatur. Quare ipsi Calvinistae et Zwingliani hanc mediam viam, quam Lutherani sibi elegerunt, merito irrident monentque aut proprie aut tropice *totum* sententiam intelligi debere, ut duae solae interpretationes, aut catholica aut zwingliana et calviniana, defendi possint (cfr *Herzog* P R E. Ed. 2. 1877. I. p. 39).

2. Etiam acath. interpretes, qui ellipticam lectionem (τὸ ὑπὲρ ὑμῶν) velut genuinam admittunt, lectionem textus recepti (τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον) dicunt esse « rectissimum interpretamentum » (*Mey. Heinr.*), quo res acu attingatur (*Goeb.*) etc.

3. Cfr *Is.* 58,1 « Frange esurienti panem tuum »; *Thren.* 4,4 « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis »; *Ierem.* 16,7 etc.; et in Novo Test. in multiplicatione panum et piscium (licet pisces proprio sensu non frangantur) *Matth.* 14,19; 15,36; *Marc.* 8,19 « Quando quinque panes fregi in quinque millia » etc.).

cipulis autem, vel *pro multis*, uti habent *Matth.* et *Marc.* in altera consecratione (τὸ περὶ [*Marc.* ὑπὲρ] πολλῶν ἐκχυνόμενον), non signum vel symbolum corporis datur, sed corpus ipsum Domini, « qui semet ipsum dedit pro nobis, ut nos redimeret » (*Tit.* 2,14) et « semetipsum tradidit pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis » (*Eph.* 5,2) etc. Omni igitur ex parte tropica verborum dominicorum explicatio excluditur.

Cat. quidem verba : *quod pro vobis frangitur* ad passionem refert, « quum verissimum sit, verum Christi corpus multipliciter fractum esse; nam et fractum fuit quantum ad cutem, quum flagellatum est a Pilati militibus, fractum quoque fuit quantum ad carnem in manibus et pedibus clavis, quibus fixum est in cruce, et fractum demum est in latere, quum unus militum lancea latus eius pupugit »; eo facilius autem hanc explicationem admitti posse putat, quia passio Domini iam quasi fuerit inchoata ac proin participium praesentis temporis (κλώμενον *quod frangitur*) difficultatem non creet. At praeterquam quod huic explicationi verba *Ioan.* 19,33.36, uti iam innuimus, obstant, durissima quoque metaphora esset, si corpus, quod vulneratur aut pungitur, frangi diceretur (cfr *Est.*); participium praes. κλώμενον autem, licet verbis praesentis temporis etiam res proxime futura designari possit, non magis ad futuram passionem referre licet, quam participium ἐκχυνόμενον, quo in altera consecrationis formula tres Evangelistae utuntur quodque, uti ex *Luc.* 22,20 elucet, ad Domini sanguinem post consecrationem in calice praesentem refertur. Neque tamen negamus, fractionem corporis dominici in sacramento, i. e. fractionem specierum panis sub quibus continetur, mystico quodam modo repraesentare passionem eiusdem corporis in cruce: etenim « sicut species sacramentales, inquit *S. Thom.* Sum. III. 77,7) sunt sacramentum corporis Christi veri, ita fractio huiusmodi specierum est sacramentum dominicae passionis, quae fuit in corpore Christi vero ». Demum attende, participiis κλώμενον et διδόμενον, quum ad corpus eucharisticum referantur, claro indicari sacrificalem rationem huius mysterii; sed accuratior huius sententiae explicatio pertinet ad theologiam dogmaticam.

Cum *Luc.* 22,19 Paulus quoque consecratoriis verbis praeceptum Domini addit : *Hoc facite in meam commemorationem,* quo discipuli non tantum illud ipsum, quod Dominum facere viderant et audierant (*hoc*), ipsi quoque facere, i. e. iisdem verbis panem in corpus dominicum transmutantes sacrificium incruentum offerre iubentur, sed etiam potestate, qua id facere possint, instruuntur, i. e. sacerdotes Novae Leges constituuntur; nisi enim haec potestas eis collata esset, praeceptum hoc eis imponi non potuisset; siquidem alia in occasione eis hanc potestatem collatam esse, nec ex Scriptura nec ex traditione hauritur. Quare iure merito *Trident.* (Sess. 22. Decr. de sacr. missae. c. 2. *cfr* cp. 1) duplici hoc sensu verba illa intelligenda esse docet anathemate dicto iis, qui his verbis Apostolos sacerdotes esse institutos aut illos aliosque sacerdotes corpus et sanguinem Domini offerre iussos esse negant.

Quae iam Domini commemoratio in hoc mysterio facienda sit, Apostolus statim (*v.* 26) explicabit; sed antea narrationem institutio-

nis absolvit : 25. *Similiter* (sicut panem accepit et gratias agens distribuit inter discipulos verbis consecratoriis prolatis, accepit et gratias agens distribuit) *et calicem postquam coenavit dicens : Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine : hoc facite, quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* Quoniam iuxta *Matth.* et *Marc.* Dominus *coenantibus illis* (ἐσθιόντων αὐτῶν) panem accepit et fregit, iuxta *Paul.* et *Luc.* autem accepit *calicem postquam coenavit* (τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι. *Can. Miss.* : postquam coenatum est), cum *Thom*[1]. et *Bellarm.* (De Euch. IV. 27) multi quoque moderni interpretes (maxime acath. *Mey. Heinr. Goeb.* etc.) inter coenam panem, finita coena vinum consecratum esse censent, dum alii (*Schanz* in Luc. 22,20. — *God.* etc.) saltem temporis intervallo quodam longiore duas consecrationes separatas esse putant. Communior tamen et, ni fallor, verior sententia utramque in fine coenae sese immediate excepisse tenet (cfr *Est. Iust.* etc., *Bisp. Dr.* etc.); immerito enim duabus expressionibus : ἐσθιόντων αὐτῶν et μετὰ τὸ δειπνῆσαι, diversa tempora indicari putantur. Prior enim, utpote generalior, totum tempus a momento, quo ad coenandum accubuerunt, usque ad illud, quo a mensa surrexerunt, complectitur; altera coenam ipsam quidem finitam esse docet, sed eos a mensa nondum surrexisse simul insinuat : itaque nihil obstat, quominus ambae de eodem temporis momento, i. e. de fine coenae, intelligantur. *Matth.* et *Marc.*, qui de tempore, quo coena facta est, iam locuti erant, pro rei natura ante *primam* consecrationem adnotarunt, totam rem inter coenam gestam esse; *Paulus*, a quo *Luc.* relatio dependet, quum de coena dominica nondum esset locutus, priori consecrationi tempus, quo coena habita est, praemisit (ἐν τῇ νυκτί, ᾗ παρεδίδοτο) atque deinde ante secundam consecrationem tempus, quo res ipsa gesta est, accuratius definivit (μετὰ τὸ δειπνῆσαι). Procul dubio si ab eodem auctore sacro primae consecrationi prima temporis indicatio (ἐσθιόντων αὐτῶν), alteri altera (μετὰ τὸ δειπνῆσαι) adiecta esset, oppositionem quandam admittere et duas consecrationes temporis intervallo separare cogeremur, sed talis oppositio nunc non adest, quum diversi scriptores duabus illis expressionibus, quibus idem temporis momentum designari potest, utantur.

1. *Thom.* : « Christus corpus suum dedit inter coenam, unde (*Matth.* 26) dicitur, quod *coenantibus illis* accepit Iesus panem etc.; sed sanguinem dedit expresse post coenam, unde etiam *Luc.* 22 dicit : similiter et calicem *postquam coenavit* etc. Cuius ratio est, quia corpus Christi repraesentat mysterium incarnationis, quae facta est adhuc legalibus observantiis statum habentibus, inter quas praecipua erat coena agni paschalis. Sed sanguis Christi in sacramento directe repraesentat passionem, per quam est effusus et per quam terminata sunt omnia legalia ». At Domini corpus eucharisticum non minus quam sanguis eius eucharisticus repraesentant passionem; cfr *v.* 26.

Cui haec explicatio non satisfecerit, is apud *Paul.* et *Luc.* expressionem τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι ita coniungere poterit, ut quartum et ultimum poculum, quo iuxta iudaicum ritum coena paschalis terminabatur, intelligatur : « poculum quod finita coena sumi solet »; cui explicationi favet articulus, quem *Paul.* et *Luc.* adhibentes se de definito et noto poculo loqui innuunt (τὸ ποτήριον), *Matth.* et *Marc.* autem omittunt. Neve obiiciatur dici debuisse : τὸ ποτήριον τὸ μετὰ τὸ δειπνῆσαι, siquidem articulus ante appositionem adiectivam, quae nomine et praepositione constat, a Paulo haud raro omittitur (*cfr ad* 2,7). — Parum recte *Est.*, quem *M Er. Dr.* etc. sequuntur, calici a *Paul.* et *Luc.* temporis definitionem additam esse coniicit, ut hic calix a priore, quem *Luc.* 22,17 commemoraverat, distingueretur; haec enim coniectura, licet ad Lucae expressionem explicandam forte sufficeret, narrationi Pauli explicandae non convenit, qui de altero calice non loquitur; neque dicere licet Paulum haec a Luca desumsisse, quum certum sit, Lucam a Paulo dependere. Neque nobis eorum probatur sententia, qui ipsam corporis dominici sumtionem verbis μετὰ τὸ δειπνῆσαι designari putant (*Bisp.* etc.); verbo δειπνεῖν enim significatio haec non competit. A vero etiam aberravit *Iust.*, qui participio ἐσθιόντων sensum aoristicum attribuit (postquam manducaverunt), quem non admittit.

Verba, quibus iuxta *Paul.* Dominus sanguinem suum discipulis dedit : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine* (τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι), etiam a *Luc.* referuntur, qui in eo tantum differt, quod copulam (ἐστίν) praetermittat et addat : *qui pro vobis fundetur* (τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον). Facilior explicatu est institutionis formula, quam *Matth.* et *Marc.* referunt : *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur* (*Fuld. Am.* etc. : effunditur) *in remissionem peccatorum* (τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς καίνης διαθήκης τὸ περὶ [*Marc.* ὑπὲρ] πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Tria ultima vocabula *Marc.* omittit); non minus diserta enim et perspicua est, quam prior, qua Dominus se suum corpus dare asseruit; neque magis hanc, quam illam, sententiam tropice explicare licet; quin etiam nova accedit ratio, qua secundae formulae tropica explicatio excluditur, si modus, quo prius foedus confirmatum est, confertur duorumque testamentorum relatio inter se consideratur.

Etenim Domini verba cum Moysis verbis consonant sanguine victimarum oblatarum populum aspergentis et foedus confirmantis : « Hic sanguis foederis, quod Deus pepigit vobiscum » (*Exod.* 24,8) vel : « Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus » (*Hebr.* 9,24)[1]. In eo solo duae for-

1. ἰδοὺ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς διέθετο ὁ Κύριος πρὸς ὑμᾶς (*Exod.* 24.); τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ Θεός (*Hebr.* 9); τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς καινῆς διαθήκης (*Matth.* et *Marc.*).

הִנֵּה דַם הַבְּרִית אֲשֶׁר כָּרַת יְהֹוָה עִמָּכֶם

הִנֵּה דַם הַבְּרִית הַחֲדָשָׁה

mulae differunt, quod Moyses de vetere, Dominus de novo (*Ier.* 31,31) foedere vel testamento loquitur. Adnotemus enim oportet, graecum vocabulum διαθήκης et pactum inter vivos, i. e. *foedus*, et dispositionem mortis causa, i. e. *testamentum*, significare, quapropter ad transferendum hebr. vocabulum בְּרִית ab alexandrinis interpretibus apte est adhibitum. Nam relatio, quae Deum inter et populum israeliticum post datam Legem intercessit, uti illa, quae Deum inter et genus humanum post Christi mortem intercedit, duplici ratione considerari potest ac debet. Foedus enim est, quatenus Deus per Moysen et per Christum certas promulgavit conditiones, quibus adimpletis homines certas promissiones essent obtenturi. At Christus, utpote Deus homo, ille ipse est, qui in novo testamento suis promisit haereditatem suamque promissionem ratam fieri voluit sua ipsius, tamquam testatoris, morte; hac igitur ratione promissiones eius sunt testamentum, quod « nondum valet, dum vivit, qui testatus est » (*Hebr.* 9,17). Cuius testamenti typus sunt promissiones Abrahae seminique eius factae, quae etiam ratae non erant nisi ex futura morte Christi (*Gal.* 3,15 sqq.), atque huius futurae mortis typus victimae veteris foederis erant. Sicut ergo novum testamentum ratum et confirmatum est sanguine Christi, ita typicum vetus testamentum confirmari debuit sanguine typicorum sacrificiorum. Hinc Moysis verba verbis Christi plane consonare apparet; quapropter si *Exod.* 24,8 verus sanguis, et non figura vel symbolum sanguinis, typicarum victimarum intelligendus est, etiam in verbis institutionis apud *Matth.* et *Marc.* verus sanguis, et non figura sanguinis, Christi intelligi debet; atque verba : *hic est sanguis meus novi testamenti* eadem ratione, qua praecedentia : *hoc est corpus meum*, omnem tropicam explicationem prorsus excludunt.

Quibus praemissis viam nobis patefecimus ad explicandam consecrationis formulam ab Apostolo (et Luc.) relatam, quae licet a formula duorum priorum Evangelistarum verbis dissentiat, re dissentire non potest. Revera inter duas formulas illa sola intercedit differentia, quod iuxta Matth. et Marc. illud directe indicatur, quod in calice post consecrationem adest, et indirecte illius effectus exprimitur (hic est sanguis meus, quo novum testamentum confirmatur), iuxta Paul. et Luc. autem directe enuntiatur effectus et indirecte illud, quod in calice est (hic calix i. e. quod in hoc calice continetur, est novum testamentum meo sanguine confirmatum). Tropica igitur locutione utuntur *Paul.* et *Luc.*, quum sanguinem Christi in calice contentum dicant testamentum ipsum, quia integrum ab hoc sanguine dependet, ita ut sine illo omnino non esset (cfr *Iust.*).

Similem tropum admittunt alii (*Bellarm.* De Euch. I. 11, *Lap. Pic. Tir.* etc.), iuxta quos testamentum apud Matth. et Marc. ipsam ultimam Domini voluntatem, apud Paul. et Luc. instrumentum authenticum designet, in quo ultima haec voluntas

sanguine eius quasi conscripta sit et quo ius ad haereditatem accipiendam haeres acquirat. Immerito tamen, ni fallor, negat *Bellarm.*, in secunda expressione tropum adesse, atque exemplum, quod affert ex *Gen.* 17,13 et *Eccli.* 44,21, ubi circumcisio, etsi non erat nisi signum foederis, *foedus* (בְּרִית) vocatur, profecto non demonstrat, vocabulum *foederis* sensu *proprio* quum foedus ipsum tum signum foederis significare. Atque recte monet *Franzel.* (De Euchar. 1868. p. 48), « argumenta catholicae demonstrationis nullatenus niti principio, quod sane falsum esset, non potuisse Christum adhibere in institutione Eucharistiae ullum genus tropicae locutionis »; id unum supponi, « Christi orationem fuisse prudentem, intelligibilem, perspicuam ».

Inter modernos de grammatica phraseos constructione disputatur. Antiqui fere omnes eam supponunt constructionem, quae hodie quoque plerisque probatur, ut verba ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι sint adiectiva appositio ad praedicatum ἡ καινὴ διαθήκη (cfr *Mai. Bisp.* etc. — *Heinr. God. Goeb.* etc.); formula ergo completa esset : τοῦτο τὸ ποτήριόν ἐστιν ἡ καινὴ διαθήκη (ἡ) ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι (διατιθεμένη). Ob articuli (quem in eiusmodi appositionibus a Paulo haud infrequenter omitti iam monuimus) tamen defectum alii minus recte verba ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι immediate adiungere malunt copulae ἐστίν atque explicant : « hic calix est propter sanguinem meum, qui in eo continetur, novum testamentum » (*Mey. Kl Br.* etc.). — Non defuerunt olim, qui latina verborum versione apud Luc. (*hic est calix Novum Testamentum* etc.) in errorem inducti, solum pronomen (τοῦτο) esse subiectum putarent, ita ut verba : ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι velut appositio ad praedicatum τὸ ποτήριον accederent (*Iust.* etc.). Quae explicatio per se parum est apta et Pauli verbis plane excluditur.

Eadem ratione, qua priori formulae etiam Luc., secundae solus Paulus addit : *hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem,* ut huic fini per Dominum ipsum indicato corinthiam agaparum celebrationem repugnare demonstret. Licet verbum *bibetis* nude sit positum, de sola calicis consecrati sumtione sermonem esse, luce clarius est, ut non intelligatur, quomodo acath. quidam (*Hofm.*) sententiam generaliore sensu de omni symposio (מִשְׁתֶּה) explicaverit. Quia non absolute, sicut in priore formula, sed cum aliqua restrictione (*quotiescumque bibetis*) praeceptum proferatur, aliqui catholici (cfr *Bellarm.* De Euch. IV. 25; *Est.* etc., *M Ev. Dr.*) ex eo haud improbabile argumentum, quo sumtionem calicis non omnibus fidelibus necessariam esse demonstretur, deduci putant; sed non satis recte. Proxime enim et directe soli Apostoli (eorumque successores) his verbis id facere iubentur, quod Christum facere viderant, potestateque, qua id facere possint, instruuntur; fideles vero non nisi indirecte hoc praecepto attinguntur, quatenus ipsi quoque, si mysteriorum celebrationi intersint atque corpus sanguinemque Domini sive realiter sive spiritualiter accipiant, passionis dominicae memores sint oportet. Id enim Apostolus ipse docet addens : 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Pro tempore futuro, quo *Vulg.* utitur (*manducabitis, bibetis*), melius ex graeco (ἐσθίητε, πίνητε) retinemus praesens (man-

ducatis, bibitis), quia sententia est generalis; graecum quoque verbum καταγγέλλετε, quamvis forma imperativa esse possit (*annuntiate*) et ab haud paucis ita explicetur (*Chrys. Thom.* etc., *Est.* etc., *Dr.* etc.), rectius pro indicativo (*annuntiatis*) sumimus (*Theoph. Pel. Cai. Nat. Mai. LR. Bisp.* etc. — *Beng. Heinr. God.* etc.). Neque enim suis verbis praeceptum Christi Apostolus repetere vult, sed praecepti rationem dat (*enim*); quippe celebratio mysteriorum vi suae naturae semper mortis dominicae annuntiatio est. Profecto « mors Domini annuntiatur et repraesentatur iugi Eucharistiae sacrificio, quum offertur, immolatur et sistitur reipsa et substantialiter corpus Christi vi verborum ipsius Christi a sacerdote prolatorum velut exsangue et mortuum sub specie panis (quamvis sub eadem specie vi concomitantiae integer Christus praesens sit) et sanguis seorsum in calice vi verborum sub specie vini; mortem quoque Christi annuntiat et in memoriam revocat corporis et sanguinis Christi communio sub alterutra specie » (*Nat.*). Quae continua annuntiatio realis locum habebit, *donec veniat* Christus gloriosus ad iudicium agendum, « unde intelligi datur, quod hic ritus Ecclesiae non cessabit usque ad finem mundi » (*Thom.* cfr *Chrys.* etc.). At ex his verbis id quoque recte deduci videtur, Apostolos in ultima coena non tantum sacerdotes esse constitutos, qui idem facere possent, quod Christus fecit, sed simul etiam idoneos esse redditos, qui successores usque in finem mundi mysteria eadem ratione celebraturos sibi constituerent.

Ex eo quod Christus mysterium hoc in suam memoriam continuo celebrari iusserit mysteriumque suapte natura sit continua passionis Domini annuntiatio, iam colligit Apostolus, magni criminis obnoxium esse, quicumque mysteria haec indigne tractaverit, ideoque sine diligenti praeparatione ad ea non licere accedere (27-29).

Praeprimis quantum sit crimen indignae sumtionis ostendit : 27. *Itaque quicumque manducaverit panem* (*hunc*) *vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Summo cum iure plerique interpretes cath. inde a tempore controversiae contra Utraquistas exortae monent, in priore membro panem et calicem Domini disiunctive (*manducaverit panem* VEL *biberit calicem*), in altero corpus et sanguinem Domini coniunctive (*reus erit corporis* ET *sanguinis Domini*) poni, indeque concludunt, sub alterutra specie integrum Christum (corpus *et* sanguinem) praesentem esse, ita ut ille quoque, qui sub sola panis specie communicet, sanguinem Domini recipiat (*Salm. Est. Iust. Nat. Pic.* etc., *M Ev. Bisp. LR. Dr.* etc.). Quod argumentum maiore pollet demonstrationis vi contra eos, qui ex coniunctiva locutione (*vv.* 26. 29) necessitatem communionis sub utraque

specie demonstrare conantur. Quare ut ex hac difficultate se explicarent, aliqui antiquiores acath. particulae disiunctivae (ἢ) hoc in loco potestatem coniunctivam attribuerunt (cfr *Wolf*); moderni vero, quum hoc effugium ridiculum esse perspicerent[1], olim fieri potuisse respondent, ut aliquis panem consecratum, quippe qui in media agapa distribueretur, digne reciperet, et indigne calicem, quum finita agapa distribueretur (*Mey. Heinr. God.* etc.). At ut taceamus, sumtionem calicis a sumtione panis longiore temporis intervallo etiam olim non esse separatam (*cfr ad v.* 25), id semper manet certum, iuxta Apostoli verba illum, qui sub una specie indigne communicaverit corporis *et* sanguinis Domini esse reum, id quod fieri non potest, nisi sub alterutra specie corpus *et* sanguis Domini adsint. Namque illud quoque advertatur oportet, verba Apostoli realem praesentiam corporis et sanguinis Dominici sub speciebus panis et vini manifeste supponere, ita ut a vero longe aberrent, qui ob vocabulum *panis* adhibitum etiam peracta consecratione verum panem adesse putant. Etenim corporis et sanguinis Domini violati aut indigne tractati reus (i. e. eidem poenae, quam is meretur, qui verum corpus et sanguinem Domini violat aut indigne tractat, obnoxius) dici non potest is, qui solam figuram aut merum symbolum corporis et sanguinis Domini indigne tractat; num forte is, qui imaginem imperatoris indigne tractat, in corpus et sanguinem imperatoris peccare dicitur, aut *eiusdem* criminis reus et *eadem* poena dignus habetur, ac si ipsi personae imperatoris eandem iniuriam intulisset? Aut si duae sunt statuae, una imperatoris, altera imperatricis, num contra utramque peccat, qui unam solam laedit? Demum eorum quoque errorem his verbis excludi iam monuit *Thom.*, qui corpus et sanguinem Domini ab indigne accedentibus accipi negarunt; neque enim corporis et sanguinis Domini violati reus esse potest, qui nec corpus nec sanguinem Domini recipit.

Verba *reus corporis et sanguinis Domini* ab aliquibus ita explicantur, ut eadem poena dignum significent, quam occisores Christi meruerunt (*Gl interl*[2]. etc.); sed id non intelligi secundum aequalitatem, sed secundum similitudinem speciei, quia utrumque peccatum sit circa eundem Christum, monent iam antiqui interpretes (*Thom. Lyr. Dion.*); atque *Theodor.* quoque aliique (cfr *Est.* etc.), qui peccatum indignae manducationis aequiparant peccato Iudae proditoris osculo Dominum tradentis etc., eadem ratione explicentur necesse est (cfr *Thom.* Summ. III. 80,5 ad 2).

At alia quaestio est, utrum nomine indignae manducationis Paulus eam

1. *Anglicani* quoque, qui in *authentica* sua versione particulam ἢ velut coniunctivam reddiderant (*and*), ultimis his annis genuinam lectionem restituerunt et nunc legunt *or* (The Holy Bible... revised. Oxford 1885).

solam hic intelligat, quae fit cum conscientia peccati mortalis, an eam quoque complectatur, quae in statu quidem gratiae sed sine debita reverentia et sine necessaria praeparatione fit quamque *minus dignam* vocare possumus. Plerique interpretes solam priorem intelligere videntur, quin etiam aliqui cum *Est.* alteram comprehendi diserte negant. Dubium quidem non est, quin prior omnino intelligatur oporteat; atque *Trid.* non ex hoc quidem versu sed ex simili, qui statim sequitur (*v.* 29), concludit, eum, qui peccati mortalis sibi conscius sit, non nisi post peractam confessionem ad Eucharistiam accedere debere. At Patres tridentini verba ita allegant ut praeter priorem etiam alteram, quae debita reverentia et praeparatione careat, in illis deprehendisse videantur[1]. Revera antiquiores fere omnes iuxta *Gloss.* triplicem indignitatem recensent, quatenus aliquis « non in statu salutis et gratiae, non reverenter et devote, non secundum institutionem Christi et ordinationem Ecclesiae » corpus et sanguinem Domini accipit (*Dion.* cfr *Herv. Lomb.* etc.). Quare *Herv.* etiam ad *v.* 29. adnotat : « indigne manducat et bibit, qui *vel* aliquod peccatum grave *vel multa levia* commisit, et non confitetur ea priusquam ad communionem accedat », et ad *v.* 30 accusat Corinthios, quod corpus Domini « indiscrete negligenterque sumserint »; ad eundem *v.* 30. *Lomb.* (ut videtur ex *Aug.*) iisdem expressionibus usus addit : « venerationem singulariter debitam non exhibentes »; *A^ter* porro ad *v.* 30 dicit, Corinthios « inconsiderate corpus Domini accepisse », atque *Pel.* ad *v.* 27 contra eorum sententiam, qui « non indignum, sed indigne sumentem a sancto revocari » dixerunt, recte arguit : « Si ergo etiam dignus indigne accedens retrahitur, quanto magis indignus, qui non potest accipere digne ! » etc. Itaque *Cai.* immerito ab *Salm.* et *Est.* incusatur, quod primus vocabulum *indigne* latiore sensu explicans eum quoque ab Apostolo notari censuit, qui « ratione venialium peccatorum, minoris reverentiae, modicae devotionis et huiusmodi indigne sumat ». Neque recte obiicit *Est.*, « Apostolum loqui de indignitate, quae faciat hominem reum corporis et sanguinis Domini; eumque reatum ab omnibus dici mortalem »; nisi enim fallor, reus corporis et sanguinis Domini is quoque iure vocatur, qui SS. Eucharistiam irreverenter tractat, licet haec irreverentia usque ad peccati mortalis gravitatem non accedat, sicut laesae maiestatis etiam is reus habetur, qui regi levem infert iniuriam. Itaque non apparet ratio, cur Apostolum de solis illis loqui dicamus, qui in statu peccati mortalis ad Eucharistiam accedunt, sed eum illos quoque complecti, qui absque debita reverentia et necessaria prae-

1. Haec sunt verba *Trid.* (Sess. 13. De SS. Euch. c. 7.) : « Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas coelestis huius sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, *ne absque magna reverentia et sanctitate* ad id percipiendum accedat, *praesertim quum* illa plena formidine verba apud Apostolum legamus : Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum : Probet se ipsum homo » etc. Iuxta Tridentinum igitur verba Apostoli etiam eum, qui peccati gravis sibi conscius non est, impellere debent, ne absque magna reverentia et sanctitate, i. e. minus digne, accedat.

paratione corpus et sanguinem Domini accipere praesumunt, cum *Cai.* nonnullisque modernis (*Mai. Bisp. LR.*) tenemus, praesertim quum contextus, uti ex sequentibus elucebit, huic sententiae faveat.

Ne quis igitur corporis et sanguinis dominici violati reus fiat, monet Apostolus : 28. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* Se ipse probat (δοκιμάζει) ille, qui diligenter examinat suam conscientiam, ut cognoscat, utrum probus (δόκιμος i. e. acceptus, gratus) sit necne. Quodsi vero invenit, se dignum non esse qui accedat, sese dignum reddere debet; id quidem verbo δοκιμάζειν non exprimitur, quippe quod hoc sensu nusquam adhibeatur, at tota sententia clare continetur; solum enim examen hominem indignum non reddit dignum; atque hinc ad rem *Trid.* (sess. 13. de Euch. cp. 7) « ecclesiastica consuetudo, inquit, declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat »[1]. Munda enim sit oportet anima, quae Domini sui corpore et sanguine nutriri vult[2]; itaque sese ipse examinet homo seseque, si mundum se non inveniat, purificet, *et sic* mundus accedat.

Quanti vero momenti sit haec sui ipsius probatio, Apostolus docet mutatis verbis idem, quod *v.* 27. dixerat, repetens : 29. *Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quatuor antiquiores codices cum verss. *Sah.* et *Aeth.* vocabulum *indigne* omittere diximus (cfr *VV. LL.*); quae lectio, a modernis criticis recepta, aptum quidem praebet sensum, quum tota quasi phrasis sit explicatio illius adverbii *indigne* iam *v.* 27. adhibiti : « Probet se ipse homo, antequam de hoc pane edat; nam qui edit non diiudicans corpus Domini (i. e. *si* illud non diiudicat), iudicium sibi manducat ». Nihilominus cum plerisque codd. gr. et verss. nostra lectio, quam Tridentinum quoque approbavit, omnino retineatur oportet; aliquid duri enim et obscuri habet oratio, si adverbium omittitur,

1. Cfr. ibid. can. 11. « Ne tantum sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa S. Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem » etc.

2. Quam animae munditiem Patres frequenter iis commendent, qui ad sacram mensam accumbere desiderant; cfr *Orig.* (Ps. 37 hom. 2,6), *S. Basil.* (Reg. brev. tract. 172), *S. Chrys.* (i. h. l. et saepe), *S. Cypr.* (De laps. 15. etc.), *S. Aug.* (ad. Ianuar. ep. 54 al 118,3) etc. Quibuscum bene etiam *Pel.* : « Si in linteum vel vas sordidum non mittere illud audet, quanto magis in corde polluto! quam immunditiam Deus super omnia exsecratur, et quae sola iniuria eius est corpori. Nam et Ioseph ille iustus propterea sindone *munda* involutum in sepulcro *novo* corpus Domini sepelivit praefigurans, corpus Domini accepturos tam *mundam* mentem debere habere quam *novam* ».

quum non sine vi participium (μὴ διακρίνων) cum subiecto (ὁ ἐσθίων καὶ πίνων) coniungatur. Locus, quem occupat, potius suadet, ut cum verbo immediate praecedente coniungatur, ut sensus sit : « Qui corpus Domini indigne manducat, iudicium sibi manducat, *quia* corpus Domini non diiudicat ». Pro duplici porro verbi διακρίνειν significatione ultimum membrum (μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου) duplicem sensum aeque aptum admittit; frequentiore eius significatione, quam *antiqua* quoque versio latina expressit (*non discernens*), retenta plerique explicant : « non discernens corpus Domini a profano cibo » (*Pel. Prim. Herv. Lomb. Thom.* etc., *Est. Lap. Mai. LR. Bisp.* etc. — *Kl Br. God. Heinr.* etc.); alii tamen alteram, quam *Vulg.* expressit (*non diiudicans*) praeferentes interpretantur : « non examinans nec considerans, ut oportet, propositorum magnitudinem et doni excellentiam » (*Chrys. Dam. Theoph. A*[ter], *Cai.* etc. — *Mey. Goeb.* etc.); quae explicationes inter se tam vicinae sunt, ut nihil obstet, quominus coniungantur. Metaphora demum, qua Paulus utitur (*iudicium sibi manducat et bibit,* i. e. manducatione iudicium sibi attrahit) explicatione non indiget; clarum quoque est, *iudicium* (κρῖμα) hoc in loco, uti saepe (*Matth.* 23,13; *Marc.* 12,40; *Luc.* 20,47; *Rom.* 13,2; *Gal.* 5,10 etc.), idem esse quod iudicis reum condemnantis sententiam; ad quamnam vero poenam sit condemnatio, Apostolus non dicit. Plerique quidem interpretes, quia Paulum de sola communione in statu mortalis peccati facta loqui censent, condemnationem ad poenam aeternam intelligunt, at « iudicium propriae condemnationis, quae iuxta qualitatem indignitatis aut aeterna damnatio sit aut afflictio temporalis », cum *Cai.* (cfr *Mai. Bisp.* etc.) rectius intelligimus.

Namque solam aeternam damnationem non exprimi docet contextus, quum Apostolus argumenti sui Minorem proponens ex poenis, quas Corinthii ob indignam communionem iam luerant, eorum agapas debitam praeparationem ad corpus Christi manducandum non esse deducit; poenae vero enumeratae temporaneae sunt afflictiones (30. 31), quae utpote medicinales eum finem habent, ut fideles a gravioribus criminibus absterreant et ab aeterna poena praeservent (*v.* 32).

Quoniam corpus Domini non diiudicantes illud indigne manducatis, 30. *ideo inter vos multi* (πολλοί) *infirmi et imbecilles et dormiunt multi* (ἱκανοί). Bis Paulus *multos* esse asserit, qui Corinthi ob indignam communionem iam sint puniti; atqui difficile est creditu, ecclesiae recenter natae, quam Apostolus in hac epistola (1,4 sqq.) tot laudibus exornavit, fideles ita degenerasse, ut *multi* iam inter eos essent, qui in statu peccati mortalis ad SS. Eucharistiam accedere non haesitarent; facilius et, ni fallor, rectius admittitur, modum, quo Co-

rinthii ante Eucharistiae sumtionem agapas habebant, effecisse, ut *multi* in ipsa mysteriorum celebratione reverentiae necessariae immemores minus dignos sese exhiberent praeçones dominicae passionis, ad quam recolendam Christus in ultima sua coena augustissimum hoc sacrificium et sacramentum instituerat (*v.* 26). Ipsa igitur descriptio suadet, ut non de sola communione vere indigna sententiam intelligamus, neque poenae recensitae, quum sint omnes temporales, arctiorem et severiorem interpretationem postulant; licet eam non plane excludant, Apostolum tamen aeternam poenam non praetermissurum fuisse opinor, si omnes illos *multos* in statu peccati mortalis mensae Domini accubuisse putasset. Porro quomodo *infirmi* (ἀσθενεῖς ex α priv. et σθένος robur) et *imbecilles* (ἄῤῥωστοι, ex α priv. et ῥώννυμι roboro) distinguantur, non liquet, quum vocabula graeca sint synonyma; utroque tamen gravem morbum indicari, certum videtur. *Dormire* (κοιμᾶσθαι) translato moriendi sensu in Novo Testam. illi soli dicuntur, qui vita defuncti in gloriosae resurrectionis exspectatione usque ad secundum Christi adventum requiescunt [1]; hoc igitur vocabulo velut poena mors procul dubio praematura quidem, at non infelix designatur. Itaque poenis recensitis de peccato gravi Corinthiorum, quod poena aeterna sit plectendum, cogitare non cogimur; sed recte colligimus, communionem vere indignam mereri poenam multo graviorem eamque aeternam, si communio minus digna a iusto iudice tam graviter iam in hac terra plectitur.

Inter antiquos *Cass.* (Coll. 22,5) et inter modernos aliqui acath. (*Valck. Eichh.* etc.) Apostolum de spiritualibus morbis et de spirituali morte loqui consuerunt; at non tantum nulla est ratio, cur sensus proprius praetermittatur, sed verbum κοιμᾶσθαι quoque de spirituali morte intelligi nequit. Rectius aliqui Patres suae aetatis exemplis etiam post tempus apostolicum eiusmodi poenas corpus Domini indigne manducantibus infligi ostenderunt (*S. Cypr.* De laps. 33.), atque *Pel.* adnotat ; « erat praesens correptio *et nunc est;* sed quia multi talia patiuntur, putamus consuetudinis esse, quod culpae est »; quae cum *Prim.* fere repetens monet *Herv.* « nam et adhuc propter huiusmodi causam multi homines post pascha variis infirmitatibus corripiuntur, quia corpus Domini indigne perceperunt ».

Namque propter malam praeparationem temporales istas poenas immitti, docent verba addita : 31. *Quodsi nosmet ipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur.* Dubium non est, quin Apostolus ad *v.* 29.

1. Hi sunt Novi Test. loci, in quibus vocabulum translato sensu usurpatur : *Matth.* 27, 52 (*sancti*); *Ioan.* 11,11 (*Lazarus*); *Act.* 7,60 (*Stephanus*); 13,36 (*David*); 1 Cor. 15,6 (*aliqui ex Iesu discipulis*); 15,18. 20 (*Christus primitiae dormientium*); 15,51 (*cfr infra* a. l.); 1 *Thess.* 4,12 sqq. (*Christiani, qui Christo revertenti obviam ibunt*); 2 *Petr.* 3,4 (*patriarchae*). Praeterea legitur 1 *Cor.* 7,39 de viro viduae christianae defuncto atque demum nostro in loco.

respiciat : quia corpus Domini (relate ad se ipsos) non diiudicantes neque cibi huius excellentiam perpendentes Corinthii curam non impendunt, ut ad mensam Domini digne se praeparent, ideo iudicium sibi manducantes calamitatibus multis obnoxii sunt; sin vero (εἰ δέ) se ipsos (relate ad illum cibum) diiudicantes non nisi digni accedere studerent, non iudicarentur, i. e. ad illas poenas subeundas non condemnarentur. Nostro verbo διακρίνειν respondet praecedens διακρίνειν, siquidem corpus Domini relate ad se ipsum et se ipsum relate ad corpus Domini Christianus in sua praeparatione diiudicare debet; atque nostrum κρίνειν respondet superiori substantivo κρῖμα, ita ut, quum nostrum κρίνειν poenas temporales *v.* 30. recensitas complectatur, etiam illud κρῖμα de sola aeterna damnatione intelligere non liceat. Sed a felici illo statu, qui futurus esset, si Corinthii sese ipsos digne praepararent, Paulus ad praesentem infelicem statum oculos iterum convertens finem medicinalem poenarum temporalium indicat : 32. *Dum iudicamur autem, a Domino corripimur* (παιδευόμεθα, correptione erudimur), *ut non* (ἵνα μή, *ne*) *cum* (*hoc*) *mundo damnemur*. Poenae istae non sunt in interitum, sed Corinthios erudiunt, attentos reddunt, ad meliorem frugem revocant, ut de praeteritis peccatis poenitentiam agentes atque ne in maiora ruant caventes aeternae damnationis, quae mundo perverso reservata est, periculum effugiant. Pulchre Apostolus duo verba κρίνειν et κατακρίνειν inter se opponit; utrumque condemnationem exprimit; sed prius damnationem ad poenas temporales, alterum ad poenam aeternam; prius de omni iudice adhibetur, sive innocentem absolvit, sive ad maiorem minoremve poenam pro ratione culpae reum condemnat; alterum de solo iudice reum condemnante usurpatur ac plerumque gravem poenam innuit; hinc etiam *v.* 29. Apostolus non usus est substantivo κατάκριμα, quod de eo adhiberi solet, qui ab aeterna salute excluditur (*Rom.* 5,16. 18; 8,1), et δικαιώματι (sententiae absolutoriae) opponitur.

3. *Pauca praecepta de agaparum celebratione* (11, 33. 34).

11,33. *Itaque, fratres mei, quum convenitis ad manducandum, invicem exspectate.* 34. *Si quis esurit, domi manducet, ut non in iudicium conveniatis. Cetera autem, quum venero, disponam.*

33. ὥστε, ἀδελφοί μου, συνερχόμενοι εἰς τὸ φαγεῖν ἀλλήλους ἐκδέχεσθε. 34. εἴ τις πεινᾷ, ἐν οἴκῳ ἐσθιέτω, ἵνα μὴ εἰς κρῖμα συνέρχησθε. τὰ δὲ λοιπά, ὡς ἂν ἔλθω, διατάξομαι[1].

1. *VV. LL.* — 34. εἴ τις πεινᾷ (*si quis esurit*) B ℵ A C D F G, aliqui minusc., *It. Vulg. Copt. Aeth.*; minus apto *textus rec.* : εἰ δέ τις πεινᾷ (si quis *autem* esurit) cum E K L P, plerisque minusc., *Syr. Arm.*

Ex iis, quae Apostolus de praeparationis ad SS. Eucharistiam necessitate exposuit, ne fideles indigne eam recipientes sibi attraherent severum iudicium, atque altera ex parte de infelici statu multorum Corinthiorum eiusque causa dixit, evidenter apparebat, modum illum, quo illa in ecclesia agapae celebrabantur, aptam praeparationem ad corpus Domini digne manducandum non esse. Hinc conclusione sua non expressa statim ad illud vitium destruendum transit, a quo reliqua magis minusve dependebant. 33. *Itaque, fratres mei, quum convenitis ad manducandum, invicem exspectate.* De solis agapis Apostolum hic loqui, certum est (*Chrys.* etc., *Est. Iust.* etc., moderni omnes); neque enim recte primi Latini verba haec de multorum oblatione, quae « simul celebranda sit, ut omnibus quoque ministretur » intellexerunt (*A*[ler], *Pel.* etc.), atque multo minus recte interpretes mediae aetatis verba haec de manducando corpore Domini explicarunt (*Herv.* etc. *Thom. Lyr. Dion.*), ac si eodem in conventu SS. Eucharistia saepius consecrata et distributa esset. Ad vitium *v.* 21 notatum respiciens Apostolus fideles sese invicem exspectare iubet, ut agapas eo modo et eo spiritu celebrent, quo iuxta suam institutionom celebrari debebant. Ad ultimam enim coenam, ad cuius imitationem fideles agapas faciebant, Dominus cum omnibus suis Apostolis simul accubuerat; in ea quoque maximam erga discipulos caritatem manifestaverat (*Ioan.* 13,1 sqq.), novum eis caritatis mandatum velut insigne eorum, qui ad se pertinerent, commendaverat mutuumque amorem quam instantissime inculcaverat (*Ioan.* 13, 34 sqq.; 14,12 sqq. etc.), Patrem rogaverat, ut discipuli iique, qui per illos essent credituri, unum essent et consummati in unum (*Ioan.* 17,20 sqq.). Ad mutuae igitur caritatis testificationem agapae erant institutae, ut omnes Christiani velut unius familiae membra ab omnibus agnoscerentur, neque ullo modo Corinthiorum coenis nomen agaparum competebat. Divites, si prius adveniebant, cibos ad communem coenam allatos pauperibus non exspectatis soli comedebant, ita ut pauperes tardius advenientes partem non haberent; priores nimia cibi potusque satietate, alteri invidia et ira, utrique debitae caritatis defectu inepti reddebantur, ut ad sacra mysteria ipsa, quae agapas sequebantur, celebranda digne sese praepararent. Hinc intelligitur, cur id unum praescribat Apostolus, ut se invicem exspectantes vere communem coenam faciant; id enim si fiebat, et priorum incontinentia et aliorum invidia impediebantur.

Ne quis vero sese excuset, quod ob nimiam famem fratrum adventum exspectare nequeat, Apostolus ad *v.* 22. respiciens addit: 34. *Si quis esurit, domi manducet, ut non* (ἵνα μή) *in iudicium conveniatis.*

Miro modo antiquiores interpretes (*Herv.* etc., *Thom.* etc.) suae aetatis usum in tempus apostolicum transferentes explicant : « domi manducet et postea in ecclesia a sumenda Eucharistia abstineat ». At *Est.* quoque aliique errant, qui ex his verbis colligunt, apostolico iam tempore Christianos illis diebus, quibus mysteria celebrabantur, usque ad agaparum initium ieiunos mansisse, « nam alioquin non molesta fuisset exspectatio ». Sensus enim est, agapas non ad famem sedandam, sed ad mutuam manifestandam caritatem esse institutas, ut Christiani novo caritatis mandato observato se veros Domini discipulos profiterentur digneque se ad Domini corpus manducandum eiusque passionem annuntiandam praepararent; itaque esurientes famelicosque ad eas accedere non decere; si quis igitur esuriat, domi manducet, ne famelicus cibis vinoque indulgens ineptum se reddat ad mysteria digne celebranda. Hinc etiam *Chrys.* aliisque Graecis non assentimur, qui haec quasi per ironiam dicta esse putant, « quia ridiculum fuisset, si ob famem domi manducassent »; in eiusmodi enim praeceptis, in quibus, sicut in nostro, gravis comminatio additur (*ne in iudicium conveniatis*), ironiae non est locus.

Demum tractatum terminat promittens : *Cetera autem, quum venero, disponam.* Quia enim omnia, quae per rumores magis minusve incertos audierat, credere non potuit (*v.* 18), reliqua antea ipse examinare ac deinde ea, quae necessaria et utilia videbantur, statuere voluit.

Rectissime cum *S. Thom.* catholici interpretes monent, « ex his verbis patere, Ecclesiam multa habere ex dispositione Apostolorum, quae in S. Scriptura non contineantur ». Modernus quidam interpres acath. (*Mey Heinr.*) adnotat : « Sententia haec a Catholicis ad traditionem demonstrandam adhibetur. Revera apostolicarum traditionum possibilitatem demonstrat, at in singulis casibus, in quibus aliqua traditio apostolica praetenditur, eam esse apostolicam argumentis demonstrandum est; sed haec demonstratio numquam potest confici ». Atqui sola traditionum apostolicarum possibilitate concessa iam destruitur principium protestanticum de Scriptura sola sufficiente; cur vero numquam probari possit, aliquid esse ab Apostolis traditum, bonus vir nec indicat nec indicare potest. Ridicule *God.* asserit, Catholicos hoc textu abuti, ut demonstrent, « institutionem missae pertinere ad episcopalem (sic!) traditionem ».

§ 5. *De charismatum vera aestimatione rectoque usu* (12,1-14,40).

« Valde obscurus est, inquit *Chrys.* totus hic locus; quam obscuritatem producit nostra ignorantia eorum, quae tunc quidem contingebant, nunc autem non amplius accidunt ». Etenim « *olim* iis, qui divinam praedicationem susceperant et salutari baptismate digni erant habiti, manifesto modo operatio spiritualis gratiae dabatur... Neque enim illi, qui daemonum fraudi diutissime servierant et communi illius aetatis morbo (i. e. idololatria) laborabant, hominibus indoctis pauperibusque tam facile credidissent ab eisque veritatem accepissent, nisi divina gratia manifeste apparens miracula velut fidei pignora praebuisset. Quae dona Corinthii quoque cum aliis totius orbis fidelibus adepti, at iis non usi sunt, sicut oportebat; ostentationis enim potius quam utilitatis causa operationem gratiae ostendebant, maximeque ad superbiam eos donum linguarum inflabat, licet ne hoc ipso quidem rite et ordinate uterentur... Quare de his quoque B. Paulus scripsit *rectum spiritualium donorum ordinem et usum eis exponens* » (*Theodoret.*).

Qua obscuritate non obstante pars haec ex iucundioribus est totius epistolae, quum in primitivarum ecclesiarum vitam religiosam nos quasi inducat. Donorum enim spiritualium, quae Dominus promiserat (*Marc.* 16,17. 18) quaeque non solis Apostolis sed primis quoque fidelibus data esse Apostolorum Actus narrant (8,4 sqq. 14 sqq.; 10,44 sqq. etc.), multiplicem nobis revelat varietatem magnamque frequentiam; regulis, quas de eorum recto usu tradit, ipsos coetus religiosos nobis quodammodo ante oculos proponit, ut melius intelligamus, quomodo Apostoli ecclesias vix natas paucas post hebdomades iam relinquere potuerint ad novas fundandas properantes; neque enim sibi ipsis relinquebantur ecclesiae, sed Spiritui S., qui primis illis temporibus donis suis extraordinariis neophytos ita adiuvit, ut continua Apostolorum praesentia et immediata eorum custodia non indigerent. Namque alii dono gubernationis regendis fratribus idonei reddebantur, alii ceu doctores veram doctrinam docebant, alii dono muniti prophetico fratribus loquebantur ad exhortationem et aedificationem, alii velut apostoli (latiore sensu) Evangelium propagabant, alii linguarum dono infidelium incredulitatem manifestabant et confundebant, alii demum Spiritus donis instituti et incitati miseris, pauperibus, afflictis subveniebant; uno verbo quot nascentium ecclesiarum erant necessitates spirituales et corporales, tot erant Spiritus S. dona. Quibus extraordinariis charismatis ordinaria Ecclesiae

ministeria non reddebantur superflua; quamvis enim copiosissima fuerit Spiritus S. effusio in fideles corinthios, nostra tamen epistola clarissime docet, etiam illam ecclesiam et gubernio et magisterio et ministerio ordinario indiguisse. Quare etiam mirum non est, quod illa charismata ex parte cessaverint, postquam in adolescente iam Ecclesia constitutio hierarchica, quae primis quoque illis temporibus non defuit, ita est confirmata et exculta, ut fideles extraordinariis Spiritus donis facilius iam carerent.

Arcto vinculo haec epistolae pars cum duabus immediate praecedentibus (11,2-16. 17-34) cohaeret; in omnibus tribus enim de vitiis agitur, quae in coetibus religiosis sese manifestabant (*cfr supra* § 3 ab initio); certum quoque est, Corinthios ipsos suis literis hanc de charismatis expositionem provocasse; id enim apparet, si tractatus huius exordium (12,1) cum superiorum pericoparum initiis (7,1; 8,1) confertur. Quaenam quidem Corinthiorum fuerit interrogatio, ignoramus; ex Pauli tamen responso iure colligimus, duplici in errore (uti recte iam monuit *Theodor.*) eos esse versatos. Praeprimis enim varia, quae variis ecclesiae membris a Spiritu S. concedebantur, dona non tam ex eorum origine et utilitate, quam ex externa eorum specie aestimabant, ut eo maiora et praestantiora haberent charismata, quo magis erant inaudita et singularia maioremque excitabant vulgi admirationem. Ex quo errore theoretico alter dependebat practicus: linguarum enim donum, quod tam erat insolitum, ut inter prodigia ab ethnicis incantatoribus perpetrata atque inter ipsas antiquorum prophetarum dotes nihil ei simile inveniatur, non tantum omnibus aliis charismatis Corinthii ita anteponebant, ut cuncti illud adipisci studerent, sed eodem quoque ad suam potius ostentationem quam ad ecclesiae utilitatem utebantur; prophetiam vero, quum externa sua specie, id quod ex eius descriptione (14,3 etc.) satis apparet, ab ordinaria praedicatione haud multum distaret nec multum miri et insoliti habere videretur, reliquis donis postponebant et fere negligebant.

Utrumque errorem impugnaturus Apostolus primo in loco *de charismatum omnium origine et utilitate* communi agit (12,1-30) ac praecavens, ne fideles ea pluris quam deceat aestiment, addito *encomio caritatis* etiam sublimissimas gratias gratis datas sine caritate nihil ei, qui illas possideat, prodesse caritateque longe inferiores esse docet (12,31-13,13). Deinde *comparatione doni prophetiae et doni linguarum instituta* utiliorem esse prophetiam ostendit (14,1-25) tractatumque *praeceptis nonnullis de publico charismatum usu* terminat (14,26-40). Encomium caritatis, licet a nonnullis interpretibus pro digressione quadam habeatur, tam arcte tamen cum prima parte de

charismatum utilitate cohaeret, ut ab aliis rectius velut sectio eidem addatur.

I. — *De charismatum origine et utilitate* (12, 1-30).

Generali statuto principio, ex quo omnia, quae in statu extraordinario dicuntur vel aguntur, diiudicanda sint (12,1-3), B. Paulus varia quidem esse dona spiritualia docet, sed omnia ex eodem fonte provenire et ad eundem finem conspirare (12,4-11). Unde iam sua sponte apparet, neminem alteri donum quodcumque debere invidere neque cuiquam, qui maius donum sibi videtur accepisse, alterum despicere licere, quia minus alto dono ornatus esse videatur. Quas practicas sequelas ut explanet, corporis humani similitudinem affert et duplici ratione explicat (12,12-30).

1. *De charactere, quo genuina charismata dignoscantur* (12,1-3).

12,1. *De spiritualibus autem, nolo vos ignorare, fratres.* 2. *Scitis quoniam quum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes.* 3. *Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.*

1. Περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν, ἀδελφοί, οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν. 2. οἴδατε ὅτι, ὅτε ἔθνη ἦτε, πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα ὡς ἂν ἤγεσθε ἀπαγόμενοι. 3. διὸ γνωρίζω ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς ἐν Πνεύματι Θεοῦ λαλῶν λέγει· Ἀνάθεμα Ἰησοῦς, καὶ οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν· Κύριος Ἰησοῦς, εἰ μὴ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ[1].

A tractatus sui themate indicando Apostolus simili formula, qua supra 7,1 et 8,1, exorditur : 1. *De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres.* Particula δέ (*autem*) hanc partem praecedenti ita adnectit, ut oppositio quaedam adsit : ea, quae ad agapas pertinent, se coram dispositurum esse promisit (11,34), usque ad adventum suum vero responsum de spiritualibus differre non vult. Contra paucos acath. (*Grot. Ros. Ew. Hofm.* etc.), qui nomen *spiritualium* (πνευματικῶν) masculinum esse volunt (i. q. de personis spiritualibus), antiqua sententia (*Chrys.* etc., *A*[ler] etc.), quae hodie quoque ab omnibus cath. et plerisque acath. admittitur, nomen neutrum esse recte

1. *VV. LL.* — 2. ὅτι ὅτε (*quoniam, quum*) B ℵ A C D E L P, haud pauci minusc. et PP., *Vulg. Syr.* (codd.), *Sah. Arm. Aeth.* Ad evitandum, ut videtur, anacoluthum *textus rec.* exhibet solum ὅτι (omisso ὅτε) cum F G, multis minusc., *It.* (*A*[ler]), *Syr.* (codd.), *Memph.*; alii codd. (K et pauci minusc.) cum nonnullis PP. gr. ob eandem rationem solum ὅτε (omisso ὅτι) exhibent, quam lectionem etiam *S. Aug.* (c. Faust. XXI. 8) exprimit. — 3. ἀνάθεμα Ἰησοῦς (anathema Iesus) B ℵ A C, pauci minusc., *Syr.* (?) *Memph. Arm. Aeth.*; quae lectio iure praefertur aliis duabus : ἀνάθεμα Ἰησοῦ (*anathema Iesu*) F, unus altervo minusc., aliqui PP. gr., *It. Vulg.*, et ἀνάθεμα Ἰησοῦν (anathema Iesum) *textus rec.* cum D E G K L P, plerisque minusc., haud pau-

tenet (i. q. de donis spiritualibus). Quodsi enim obiicitur, non tam de donis, quam de hominibus, qui illis instructi esse videbantur, Paulum a Corinthiis esse interrogatum atque *v.* 3. agi, respondemus, de Corinthiorum interrogatione, quaenam fuerit, ex solo hoc tractatu posse iudicari, qui integer fere est de donis, ita ut verba *de spiritualibus donis* quasi titulum quendam constituant, quo totum argumentum comprehenditur. De reliquo vocabula illa immediate a verbo *ignorare* dependent (ἀγνοεῖν περί τινος, ignorare de aliqua re, i. e. alicuius rei inscium et rudem esse) : bene *Theod. M.* : « volo vos etiam spiritualium donorum rationem scire; ideo volo etiam de his loqui ». Porro spiritualia vocantur dona, quia a Spiritu S. sunt (*cfr v.* 7 sqq.); nomen tamen, quamvis sit genericum omniaque beneficia a Spiritu S. fidelibus collata per se complectatur, hoc loco ad illorum donorum classem coarctatur, quae fidelibus non ad proprium profectum, sed ad aliorum totiusque Ecclesiae utilitatem tribuuntur : simili modo genericum nomen minus perfecto generis membro attribuens Paulus eadem dona vocat χαρίσματα (*vv.* 4. 9. 28. 30 sq.; *Rom.* 12,6; *cfr* 1 *Petr.* 4,10), quamquam eodem nomine etiam altiora dona *gratis concessa* interdum designat (*Rom.* 5,15. 16; 6,23; 11,29 etc.); neque alio modo theologi eadem velut *gratias gratis datas* a *gratiis gratum facientibus* distinguunt profecto non negantes, has non minus, quam priores, prorsus esse gratuitas (cfr *S. Thom.* Summ. II. 1. qu. 111. a. 1.).

Quo indicato argumento Apostolus institutionem quandam de eo Corinthiis necessariam esse innuens (*v.* 2) principium proponit, ex quo donum quodcumque extraordinarium, utrum a Spiritu S. sit necne, aestimare possint (*v.* 3).

Pristinam igitur istarum rerum ignorantiam neophytis in memoriam revocat describens, quaenam eorum vita religiosa fuerit, antequam ad gratiam Evangelii sint vocati : 2. *Scitis, quoniam, quum gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes* (eratis). Lectionem *Vulg.* (*quoniam, quum,* ὅτι ὅτε) utpote critice certam iure retinemus (*cfr* VV. LL.), anacoluthicam constructionem addito verbo finito (*eratis,* ἦτε), quod ex praecedente verbo (*essetis* ἦτε) facile suppletur, corrigentes; sed vulgatus interpres graecum participium ἀπαγόμενοι, quia Latini participio praes. *pass.* carent, minus accurate red-

cis PP. gr., *Sah.* Orationem directam evitare voluisse corrector videtur. — Κύριος Ἰησοῦς (*Dominus Iesus*) B ℵ A C, pauci minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.), *Sah. Aeth.*; directam orationem iterum evitans *textus rec.* : Κύριον Ἰησοῦν (Dominum Iesum) cum D E F G K L P, plerisque minusc., multis PP. gr., *Syr.* (codd.), *Memph. Arm.* Nonnulli quoque PP. latini interdum hanc lectionem exprimunt.

didit : *euntes;* rectius ergo et clarius totam phrasin vertimus : « scitis, vos, quum gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, abductos esse ». Olim, quamdiu in ethnicismo degebant, Corinthii non secundum certam cognitionem, uti homines ratione praeditos decet, incedebant, sed caeco modo velut bruta animantia ducebantur, neque certam viam, quam ipsi elegerant, sequebantur, sed huc vel illuc, prout illorum ducibus placebat, abripiebantur. Quis eorum ductor fuerit, Apostolus diserte quidem non dicit, sed procul dubio daemonem intelligi vult[1], qui eos *ad* idola a veri Dei cultu *ab*duxerit (πρὸς τὰ εἴδωλα... ἀπαγόμενοι). Idola vero cum emphasi quadam appellat *muta* (τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα), ut illa asseclas suos nihil docere potuisse insinuet : Corinthii igitur ante suam vocationem in plena rerum religiosarum ignorantia degebant neque de rebus illis extraordinariis, quae aut ab haruspicibus et sacrificulis fingebantur aut forte revera a daemonibus producebantur, certum iudicium ferre valebant. Iamvero Christianis caeco modo vivere et duci et agere non licet, *ideo notum vobis facio* nunc principium, iuxta quod res extraordinarias diiudicare poteritis.

Nexum, quem inter *vv.* 2. et 3. statuimus, iam innuit *Thom.* (« primo ponit defectum, quem patiebantur ante acceptam gratiam, secundo concludit ad gratiae necessitatem ») et probant plerique moderni (*H Ev. Mai.* etc. — *Mey. God.* etc.), quorum tamen nonnulli particulam *ideo* (*v.* 3) ad *v.* 1 (*Nolo vos ignorare*) simul referre sine ulla ratione volunt (*Cai. Bisp.* etc.). Alii, licet in *v.* 2. explicando nobiscum fere consentiant, « idcirco Paulum Corinthiis veterem idololatriam rememorare censent, ut ex opposito declaret ac doceat, quibus donis per susceptam Christi religionem ditati sint » (*Est.* cfr *Lap.* etc.); verumtamen particula διό (*ideo*) oppositionem non adesse satis clare docet. Alii nullum nexum inter *vv.* 2. et 3. deprehendere videntur eosque velut membra parallela explicant (*Iust. Sa* etc.). A vero quoque, ni fallor, aberrant graeci interpretes. Iuxta *Chrys.* (cfr *Dam. Occ. Theoph.*) a Paulo statuitur, quid discriminis intersit inter ethnicam divinationem (*v.* 2) et inter veram prophetiam (*v.* 3) : « In idolis quum quis abreptus esset a Spiritu immundo et vaticinaretur, quasi abductus sic ille trahebatur nihil sciens eorum, quae dicebat... Propheta vero non sic, sed cum vigili mente, cum temperante constitutione sciens illa, quae dicit, omnia proloquitur... Et vide cum rei, quam asserit, esse certum; ipsos enim Corinthiorum expetit testimonium, qui rei experientiam fecerint. Quod enim non mentiar, inquit, vos ipsi testari potestis; nam ipsi scitis, quomodo, quum gentes essetis, tracti et abducti fueritis » etc. At de prophetia hoc in loco nondum agitur, sed de omnibus cha-

1. Cfr. 10,19 sq.; *Eph.* 2,2. *S. Athenag.* Legat. pro Christ. 26 : « Qui autem homines ad simulacra trahunt, ii sunt, quos antea diximus, daemones victimarum sanguini affixi easque lambentes ». Sim. *Chrys. Theod. A[ter], Herv.* et plerique. Minus recte *Pel.* magos vel haruspices, *Thom.* simulacrorum pulchritudinem aut reges, qui aliquos ad idololatriam adegerint, intelligunt. Omnium varias sententias coniungere vult *Nat.* : « tum daemonis impulsu, tum institutione maiorum et sacrificulorum ac principum auctoritate, tum curiositate instigante et spe discendi futuros eventus a vatibus arreptitiis ».

rismatis, et recte monent interpretes (cfr *Est. Iust.* etc.), Apostolum idola non appellaturum fuisse *muta*, si de ethnica divinatione loqui voluisset. Hinc etiam nobis non probatur *Theod.* explicatio, qui discrepantiam multiplicem mythologiae ethnicae (*v.* 2) unitati et consonantiae doctrinae christianae (*v.* 3 sqq.) opponi arbitratur : « Ethnici enim, quum a vera via declinassent verumque Deum reliquissent, multis cultum divinum exhibuerunt; neque enim unumquemque deum omnia posse existimabant, sed hunc quidem sapientiae, illum militaris experientiae, alium nauticae scientiae largitorem esse putabant... Apud nos autem maxima est concordia et consensio : neque enim alia docet Filius unigenitus, alia Spiritus S. » etc. Quae omnia in textum Pauli potius ingeri quam ex eo derivari videntur.

Ab idolis suis mutis igitur Corinthii ethnici non edocti criterio quodam indigebant, quo dona vera a falsis fictisque donis discernerent eosque, qui revera a Spiritu S. agebantur, dignoscerent. Quapropter ab illo statuendo Apostolus incipit ex professione divinitatis Iesu eum, qui in Spiritu S. loquitur aut agit, cognosci docens : 3. *Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit : Anathema Iesu* (rectius : *Iesus*) ; *et nemo potest dicere : Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.* Quibus cum verbis aptissime conferimus S. Ioannis doctrinam, qua paulinum criterium quasi explicatur : « Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum. *In hoc cognoscitur Spiritus Dei : omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus, qui solvit Iesum*[1], *ex Deo non est* » (1 *Ioan.* 4,1-3). Utroque in loco de statibus extraordinariis est sermo; uti Ioannes criterium indicat, quo veri prophetae et doctores a pseudoprophetis et haereticis magistris discernantur, ita Paulus generaliore modo idem criterium in omnibus donis spiritualibus valere docet. Cur enim cum *Chrys.* aliisque Graecis et nonnullis modernis de sola prophetia aut de solo linguarum dono aut de his duobus charismatis saltem praecipue eum agere dicamus, nulla suppetit ratio; immo vero quominus id dicamus, contextus prohibet, siquidem immediate antea (*v.* 1) Apostolus se de donis spiritualibus in genere tractaturum esse promittit, immediate postea (*v.* 4) varia esse charismata docet, in eorumque numero (*vv.* 7 sqq.) prophetiae et linguis non nisi sextum et octavum locum attribuit (*v.* 10); quare non obstante verbo λαλεῖν, quo utitur (οὐδεὶς ἐν Πνεύματι Θεοῦ λαλῶν, nemo in Spiritu Dei *loquens*) Paulum criterium suum de illis quoque donis intellexisse tenemus,

1. *Iesum solvit* ille, qui cum Cerintho et Cerinthianis Iesum a Christo Filio Dei separans incarnationem Verbi ac proin divinitatem Iesu negat. Idem exprimit usitatior (sed non antiquior) lectio graeca : ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν, *qui Iesum non confitetur* sc. tamquam Christum Filium Dei (cfr 2 *Ioan.* 7). Antiquiores Patres (*S. Iren. Orig.* etc.) cum *It.* et *Vulg.* legerunt : ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν.

quae operibus potius quam verbis sese manifestant (*cfr ad v.* 9), denominationem autem a potiore parte desumsisse. Porro ab utroque Apostolo et negative et positive professio divinitatis Iesu ceu donorum criterium statuitur. Quicumque in statu extraordinario loquens (vel agens) dicit : *anathema Iesus*, i. e. maledictus est (sit) Iesus[1], Iesu igitur non tantum divinitatem negat, sed eum exsecratur eiusque regnum destruere conatur, ille impellente S. Spiritu non loquitur (vel agit). Simili modo *S. Ioan.* : « omnis spiritus, qui Iesu divinitatem negat, ex Deo non est ». S. Ioannes in sua epistola Cerinthianos et Docetas prae oculis habuit, qui Filii Dei vera incarnatione negata Iesu divinitatem abiudicarunt; utrum Paulus iam similes haereticos Corinthi impugnaverit, id quod unus alterve modernus interpres suspicatur (*God.*), an Iudaeos respexerit, « qui de Spiritu Dei gloriantes Iesu tamen maledicebant atque eum non tantum Christum esse negabant, sed etiam anathema dicebant, nomen eius penitus exstinguere laborantes » (*Cai. Est. Mai.* etc.), an demum, id quod plerique antiquiores admittere videntur, non haereticos, qui iam exstiterunt, sed quos exsurgere posse supponit, prae oculis habuerit, non plane liquet; tertia tamen sententia nobis magis probatur. Negativi enim criterii oppositione manifestior redditur sensus positivi, quod clare quidem enuntiat Ioannes : « omnis spiritus, qui confitetur Iesum esse Christum, Dei Filium, qui in carne apparuit (Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα) », obscurius Paulus exprimit eius quasi fundamentum indicans : *nemo* (sc. qui in statu extraordinario loquitur vel agit) *potest dicere : Dominus* (*est* vel *sit*) *Iesus*, i. e. eius universale dominium vel potius eius divinitatem profiteri, *nisi in Spiritu S.*, i. e. Dei Spiritu impellente. Si ab arcto sensu, quo Pauli verba de solis prophetis agere putat, abstrahimus, *Chrys.* duplex criterium egregie explicat : « Quum videris aliquem non proferentem nomen Iesu, immo illud anathematizantem, is est divinator; sed si videris alium cum nomine eius omnia proferentem, scito illum esse virum spiritualem ». Completum tamen sensum rectius ita exponimus : Eorum, qui dono aliquo extraordinario ornati esse videntur, verba vel opera, si

1. Ἀνάθεμα (hellenica forma attici subst. ἀνάθημα i. q. donarium in deorum templo suspensum) ab Alexandrinis ad hebr. חֵרֶם vertendum adhibetur, quo aut res vel persona a Deo vel propter Deum interitui devota aut ipse actus devotionis exprimitur; unde ἀνάθεμα quoque est res Deo devota et communi hominum usui subtracta aut plerumque res vel persona propter Deum exitio devota. Eodem sensu a Novi Test. scriptoribus usurpatur, ut significet aliquid interitui vel etiam maledictioni divinae devotum. Hinc ἀνάθεμα Ἰησοῦς i. q. *maledictus* vel *est* vel *sit Iesus*, prout formula velut simplex enuntiatio aut velut optatio sumitur. Latinus interpres hoc in loco ἀνάθεμα sensu abstracto sumsisse videtur : ἀνάθεμα Ἰησοῦ « maledictio sit Iesu » vel *maledictus sit Iesus*.

ad fidem in Iesum, Dei Filium, destruendam eiusque regnum convellendum tendunt, auctorem non habent Spiritum S.; sin vero fidem in Dominum Iesum augent et promovent, a Spiritu S. sunt.

Negativam criterii partem omnes interpretes eodem fere modo interpretantur, alteram vero haud pauci, quia ad contextum non satis attendunt, arctioribus limitibus circumscribunt. Videntes enim iuxta Domini verba non omnes, qui ei dicturi sint : *Domine*, *Domine*, sed illos solos, qui voluntatem Patris coelestis sint facturi, in regnum esse intraturos (*Matth.* 7, 21) atque daemones ipsos interdum Iesum proclamasse Filium Dei (*Marc.* 1,24; 3,12 etc.), Pauli verba limitanda esse censuerunt. Ita iam *S. Aug.* (in Ioann. tr. 74,1) : « Nemo dicit Dominus Iesus *animo*, *verbo*, *facto*, *corde*, *ore*, *opere*, nisi in Spiritu S., et nemo sic dicit, nisi qui diligit », atque similiter *S. Hier.* (in Is. 66,5) de iisdem Pauli verbis disserens : « *dicere*, inquit, non sermone, qui facilis est, sed affectu et operibus comprobatur »; quos plerique iuniores secuti eum in Spiritu S. loqui dicunt, « qui pio cordis affectu Iesum vocat Dominum » (*Cai.* *Est.* etc.). Quae omnia, etsi per se vera sunt, ad hanc tamen Pauli sententiam explicandam aut limitandam minus recte afferuntur atque primarium eius sensum non attingunt nedum exhauriant.

Etenim procul quidem dubio verbum dicendi ab Apostolo proprio et stricto suo sensu intelligitur : « proprie autem dicit, qui voluntatem et mentem suam voce enuntiat » (*Gl ord.*), ita ut omnes illi qui dumtaxat ficte profitentur Iesum Dominum, Apostoli verbis non comprehendantur. Sed altera ex parte *Salm.* iure monet, « de spiritu regenerationis et de gratia gratum faciente non esse sermonem, sed de donis et charismatis gratis datis, quae tam bonis quam malis sunt communia ». Itaque si quis huius loci contextum et Pauli scopum perpenderit, de iis solis, qui diligunt Deum, i. e. de solis iustis, verba non recte intelligi fatebitur, neque de illa divinitatis Iesu professione, quae loquenti ipsi sit utilis, proxime agi contendet, neque professionem hanc a Paulo velut minimum inter bona opera proponi admittet, neque proinde ex hoc loco doctrinam aliunde certam de necessitate gratiae ad quosvis actus bonos et meritorios directe demonstrare conabitur. De charismatis enim, quae in proximorum potius ac totius Ecclesiae utilitatem quam ad proprium eius, qui illa accipit, profectum conceduntur, Paulus agens criterium indicat, quo vera Spiritus dona dignoscantur; at quid requiratur, ut aliquis iis etiam ad suam propriam salutem promovendam utatur, nondum diserte docet (*cfr* 13,1 sqq.). Quae quum ita sint, cum *Thom.* dicendum esse arbitramur : « quod *dicere in Spiritu* potest intelligi dupliciter : *uno modo* in Spiritu S. movente, sed non habito. Movet enim Spiritus S. corda aliquorum, quos non inhabitat; sicut legitur, quod Caiphas hoc, quod de utilitate mortis Christi praedixerat, a semet ipso non dixit, sed per spiritum prophetiae (*Ioan.* 11,51); Balaam quoque multa vera praedixit motus a Spiritu S., licet eum non haberet (*Num.* 23. 24.). Secundum hoc ergo intelligendum est, quod nullus

potest dicere quodcumque verum, nisi a Spiritu S. motus, qui est Spiritus veritatis. Unde et in Glossa *Ambr.* (*Ater*) hoc in loco dicit : Omne verum, a quocumque dicitur, a Spiritu S. est; et specialiter in illis, quae sunt fidei, quae per specialem revelationem Spiritus S. sunt habita, inter quae est, quod Iesus sit omnium Dominus. *Alio modo* loquitur aliquis in Spiritu S. movente et habito; et secundum hoc *etiam* potest verificari [sc. per accommodationem quandam], quod hic dicitur, ita tamen ut *dicere* accipiatur non solum ore, sed etiam corde et opere ». Eodem modo, quo paulinam sententiam explicandam diximus, iidem interpretes, qui hoc in loco arctiorem sensum defendunt, sententiam Ioannis supra allatam exponunt (cfr in 1 *Ioan.* 4,2 *Est. Iust. Lap.* etc.).

2. *De charismatum omnium una origine et uno fine* (12,4-11).

12,4. ***Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* 5. *Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus,* 6. *Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* 7. *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* 8. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae : alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum :* 9. *alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu :* 10. *alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* 11. *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.***

4. Διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσίν, τὸ δ' αὐτὸ Πνεῦμα· 5. καὶ διαιρέσεις διακονιῶν εἰσίν, καὶ ὁ αὐτὸς Κύριος· 6. καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσίν, καὶ ὁ αὐτὸς Θεὸς ὁ ἐνεργῶν ἐστὶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν. 7. ἑκάστῳ δὲ δίδοται ἡ φανέρωσις τοῦ Πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον. 8. ᾧ μὲν γὰρ διὰ τοῦ Πνεύματος δίδοται λόγος σοφίας, ἄλλῳ δὲ λόγος γνώσεως κατὰ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα, 9. ἑτέρῳ πίστις ἐν τῷ αὐτῷ Πνεύματι, ἄλλῳ δὲ χαρίσματα ἰαμάτων ἐν τῷ ἑνὶ Πνεύματι, 10. ἄλλῳ δὲ ἐνεργήματα δυνάμεων, ἄλλῳ προφητεία, ἄλλῳ διακρίσεις πνευμάτων, ἑτέρῳ γένη γλωσσῶν, [ἄλλῳ δὲ ἑρμηνεία γλωσσῶν]. 11. πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται [1].

A criterio stabilito, quo vera Spiritus dona cum certitudine cognoscuntur et a malorum spirituum effectibus distinguuntur, Apostolus ad varietatem et unitatem charismatum ostendendam transit. Una enim est eorum origo (4-6) unusque eorum finis (*v.* 7); quamvis igitur diversa sint (8-10), ab eodem tamen fonte profluunt (*v.* 11.).

1. *VV. LL.* — 5. καὶ ὁ αὐτὸς Κύριος (*et* idem Dominus) est communis lectio codd. graec.; pauci tantum minusc. et nonnulli PP. gr. legunt : ὁ δὲ αὐτὸς Κύριος (*idem autem Dominus*) cum *It. Vulg. Arm.* — 6. καὶ ὁ αὐτός (et idem) B C et pauci minusc.; rectius : ὁ δὲ αὐτός (*idem autem*) cum ℵ A D E F G K L P, plerisque minusc., *It. Vulg. Syr.* etc. — ὁ ἐνεργῶν ἐστίν (operans est) solus B., sed verbum ἐστίν etiam *textus rec.* cum K L et plerisque minusc. exhibet ante Θεός (ὁ δὲ αὐτός ἐστιν Θεός idem vero est Deus); rectius tamen ἐστίν omittitur cum ℵ A C D E F G P, nonnullis minusc., *It. Vulg. Copt. Arm.* etc. — 9. ἑτέρῳ πίστις (*alteri fides*) B ℵ D E F G, pauci minusc., *It. Vulg. Syr. Arm.*; sed *textus rec.* : ἑτέρῳ δὲ πίστις (alteri *autem* fides) cum A K L P, plerisque minusc. Simili modo in *v.* 10 (ἑτέρῳ γένη γλωσσῶν) iidem testes particulam δέ rectius

Ethnici diversas dotes, quibus alii alios superare videbantur, diversis diis adscribebant; « neque enim, inquit *Theodor.*, unumquemque deum omnia posse existimabant, sed hunc quidem sapientiam, alterum experientiam militarem, tertium scientiam nauticam largiri credebant ». Iam vero ne fideles, qui magnam donorum spiritualium diversitatem in ecclesia sua videbant et de multis spiritibus (spiritu sapientiae, spiritu scientiae, spiritu prophetiae etc.) loqui audiebant, aliquid simile de charismatis sibi fingerent, ea omnia uni Spiritui S. debere docet Apostolus : 4. *Divisiones autem gratiarum* (χαρισμάτων) *sunt, idem vero Spiritus.* Graecum vocabulum διαιρέσεως duplicem significationem divisionis et discriminis admittit; priorem elegit vulgatus interpres significans varias gratias gratis datas (nam de his solis agitur) in Ecclesia ita esse distributas, ut unus hanc, alter illam acceperit (*cfr v.* 11. διαιροῦν dividens vel distribuens), candemque cum antiquioribus Latinis etiam retinent aliqui moderni acath. (*Mey Heinr. Br Kl.* etc). Alteram graeci interpretes (*Chrys. Theod.* etc.) praeferunt eique favet vocabuli usus apud Alexandrinos, qui ad designandas sacerdotum classes (מַחְלְקוֹת 1 *Par.* 27,1 etc. מִפְלְגּוֹת 2 *Par.* 35,12) eo frequenter utuntur. Utra eligatur, parum quidem interest, quum utraque diversitatem donorum exprimat; cum plerisque tamen modernis (*Mai. Bisp.* etc. — *God. Goeb.* etc.) altera videtur praeferenda, quia prior ad tertium, quod sequitur, membrum (*v.* 6.) parum quadrat. Diversa igitur sunt charismata, idem tamen est Spiritus, a quo procedunt et distribuuntur. Quod ut explicet, Paulus duas analogias affert : 5. *et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus;* 6. *et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Revera uti in Ecclesia charismatum est varietas, ita in eadem quoque variae sunt ministrationes vel potius varia ministeria (ita enim *Vulg.* graec. διακονίαν plerumque recte reddit. *Rom.* 11,13; 12,7 etc.), sc. ministeria apostolorum, episcoporum, diaconorum etc.; at omnia ministeria ab uno Domino Iesu Christo sunt ordinata et ad eundem referuntur, quia ipse ceu caput per inferiores suos ministros Ecclesiam regit et gubernat. Atque eadem ratione in hoc mundo

omittunt, quam *textus rec.* cum aliis addit. In sequentibus membris, quae ab ἄλλῳ incipiunt, meliores testes inserunt particulam δέ, quam Latini praetermittunt (*cfr* Comm.). — 9. χαρίσματα ἰαμάτων (dona curationum) est communis lectio graeca, quam etiam *S. Hil.* retinuit; alii tamen Latini praeferunt singularem (*gratia sanitatum*). — 10. ἐνεργήματα δυνάμεων (effectus virtutum, *S. Hil.* : efficientiae virtutum) iterum est communior lectio; sed graecolatini (D E F G) : ἐνέργεια δυνάμεως (operatio virtutis) et Latini plerique : *operatio virtutum.* — Ultimum membrum (ἄλλῳ διερμηνεία γλωσσῶν *alii interpretatio sermonum*) B K per errorem, ut videtur, librarii omittunt.

multos et varios videmus effectus (ἐνεργήματα), qui omnes, quamvis diversae sint causae secundae a quibus immediate producuntur, unam tamen habent causam primam, sc. Deum, qui operatur omnia in omnibus (ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν *in*operans omnia in omnibus cfr *S. Hil.* De Trin. VIII. 32. sq.), quatenus concursu suo causas secundas ad operandum et effectus producendos reddit idoneas. Ex iis igitur, quae duabus aliis personis SS. Trinitatis appropriantur, pulcherrime ostendit Paulus, diversitatem charismatum optime convenire uni et simplicissimo Spiritui S., quippe qui unus sit et multiplex, « unus in substantia, multiplex in donis » (*Thom.*). Quodsi Corinthii non negant, in apostolis, episcopis aliisque Ecclesiae ministris unum Dominum Iesum Christum operari per eosque producere effectus, atque in omnibus causis secundis Deum Patrem operari et effectus producere, facile etiam intelligent, unum eundemque Spiritum variis, quae distribuit, charismatis varios producere effectus.

Hanc trium sententiarum explicationem et connexionem veriorem esse arbitramur, quamquam communior non est; quam plurimae enim inde a Patrum aetate sunt propositae explicationes, quarum praecipuas tantum paucis indicabimus. Iuxta Graecos (*Chrys. Theod. Dam.* etc.) χαρίσματα, διακονίαι, ἐνεργήματα tria eorumdem donorum sunt nomina. « Quid, inquit *Chrys.*, est effectus (ἐνέργημα), quid charisma, quid ministerium? Nominum tantum sunt differentiae, quia res eaedem sunt... Videsne, cum nullam differentiam in Patris et Filii et Spiritus S. donis constituere non hypostases confundens, sed substantiae parem dignitatem (τῆς οὐσίας ὁμοτιμίαν) ostendens? Nam quae Spiritus S. largitur, eadem et Deum operari et Filium ordinare ac praebere dicit ». Ad eandem sententiam inclinant ex iunioribus et modernis aliqui (*Iust. Lap.* etc., *Dr.* etc. — *Schn.* etc.). Addit *Phot.* (apud *Oec.*), quocum etiam nonnulli Latini consentiunt (*Pel*[1]. *Herv*[2]. *Thom*[2]. etc.), nominibus quoque Spiritus, Domini, Dei unum Spiritum S. designari, qui sit Dominus Deus. At altera haec sententia omni probabilitate caret, quia Paulus, nisi verbis ludere voluit, eadem dona tribus diversis nominibus designata eidem personae tribus diversis nominibus designatae appropriare non potuit. Neque aliorum Graecorum nobis probatur sententia, quia nulla apparet ratio, cur eadem dona Paulus tribus sententiis tribus divinis personis appropriare voluerit; aptissime id quidem fecisset, si ὁμοτιμίαν Patris et Filii et Spiritus S. demonstrare voluisset; at hic de origine donorum, minime vero de aequalitate personarum divinarum proxime agitur, licet hanc simul innui non negemus. Atque eadem obiectio vim suam retinet, si Graecorum sententia a nonnullis modernis (*LR. Ramb.* etc. — *Mey. Goeb.* etc.) ita temperatur, ut tribus nominibus eadem quidem dona sed ratione diversa designari dicantur : charismata, quia gratis sint data, ministeria, quia homines ad munera ecclesiastica subeunda

idoneos reddant, operationes, quia eorum ope effectus miraculosi producantur. Quin etiam temperata haec sententia novam provocat obiectionem; neque enim omnia charismata homines ad ministeria ecclesiastica praeparant, neque omnium ministeriorum effectus sunt miraculosi.

Porro parum apte quoque alii tribus nominibus diversas charismatum species designari dicunt. Iuxta *Est.* charismata (*v.* 4) ponuntur velut genus, quod duas species ministeriorum (apostolatus etc.) et operationum (gratiae curationum etc.) complectatur, vel « si cui placet, inquit, charismata distinguenda esse a reliquis duobus velut genus diversum, poterit charismatum nomine ea dona circumscribere, quae neque ministeria sunt neque operationes, ex. gr. sermo sapientiae, sermo scientiae, fides etc. ». Attamen si genus charismatum Spiritui appropriatur, cur Paulus duas eius species Patri et Filio attribuit? Aut cur donorum, quae communi nomine spiritualia (*v.* 1.) et manifestationes Spiritus (*v.* 7) appellantur omniaque a Spiritu distribui dicuntur (*v.* 11), una species Spiritui, altera Filio, tertia Patri adscribitur? — Infelicissimus *Caiet.* tria genera effectuum spiritualium distingui vult, gratias gratis datas, de quibus *v.* 8 sqq. agatur, ministeria (apostolatus etc.), quae *v.* 28 sqq. ita enumerentur, ut dona gratis data quaedam sint inserta, operationes (fides, spes, caritas), quae 13,1 sqq. exponantur. Mira sane esset confusio, si Paulus eodem in ordine gratias gratis datas et theologicas virtutes infusas poneret, ministeria et gratias gratis datas permisceret, ac demum virtutes infusas Patri appropriaret.

Ministeria et operationes a charismatis prorsus distinximus cum *Thom.* (cfr etiam eius Summ. II. 2. qu. 171. in praef., ubi brevius quidem, sed accuratius quam in Comm. rem tractat); eandemque distinctionem inter modernos admittunt nonnulli (*Mai. M Ev. Bisp. — God.* etc.), in eo tamen, ut videtur, errantes, quod operationes de solis miraculis interpretantur. In errorem sc. inducti sunt, quia non satis perspexerunt, quem in finem Paulus hoc in loco de ministeriis et operationibus egisset.

Eadem igitur ratione, qua ministeria, quamvis diversa sint, ab uno eodemque Domino Iesu Christo dantur, atque effectus omnes eorum diversitate non obstante a Deo tamquam causa prima producuntur, etiam charismata diversa ab uno eodemque Spiritu profluunt; uti autem communem habent originem, ita ad communem quoque finem diriguntur : 7. *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Manifestatio Spiritus (ἡ φανέρωσις τοῦ Πνεύματος) est illud, quo Spiritus sese manifestat, i. e. idem quod charisma; recte ergo monet *Thom.,* hoc nomine officium gratiae gratis datae designari; ad gratiam enim gratum facientem pertinere, ut per eam Spiritus S. inhabitet, ad gratiam gratis datam vero solum, ut per eam Spiritus manifestetur. Cuius manifestationis finis est τὸ συμφέρον, utilitas non eius utique, cui charisma confertur, uti censet *Chrys.* (sim. *Theod. Theoph.* etc.), sed aliorum vel potius totius Ecclesiae, uti reliqui fere

omnes tenent et clare elucet ex comparatione, quam Apostolus statim afferet (*v.* 12 sqq.).

Quam ob causam iam nunc statim ostendit, nec omnibus omnia dari nec eadem singulis, ut fideles omnes, quum alii aliorum donis iuventur, mutua caritate inter se connectantur. 8. Nam *alii quidem* (ᾧ μέν) *per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem* (ἄλλῳ δέ) *sermo scientiae secundum eundem Spiritum;* 9. *alteri* (ἑτέρῳ) *fides in eodem Spiritu; alii* (autem, ἄλλῳ δέ) *gratia sanitatum in uno Spiritu;* 10. *alii* (autem, ἄλλῳ δέ) *operatio virtutum, alii* (autem, ἄλλῳ δέ) *prophetia, alii* (autem, ἄλλῳ δέ) *discretio spirituum; alii* (lege: *alteri,* ἑτέρῳ) *genera linguarum, alii* (autem, ἄλλῳ δέ) *interpretatio sermonum.* Ad quam enumerationem praeprimis adnotemus oportet, Apostolum variare praepositiones (διά, κατά, ἐν, *per, secundum, in*), ut quomodo dona haec a Spiritu S. dependeant, omni ex parte clarius innotescat: *per* eum dantur et *secundum* eius voluntatem (καθὼς βούλεται *v.* 11.) distribuuntur, quia *in* eo communem suum fontem habent et plerumque quoque *in* eo dantur, quia se ipsum fidelibus dans dona sua secum affert. Porro distributionem hanc non ita intelligere licet, ut singulis non nisi unum ex enumeratis charismatis conferatur; duo enim interdum alicui esse concessa, Apostolus ipse innuit (14,5. 13) atque Paulum praeter donum linguarum (14,18) alia quoque (sermonem sapientiae, gratiam curationum, operationem virtutum etc.) accepisse, nemo facile negaverit. Id unum igitur docetur, varia charismata vario modo et gradu inter fideles ita distribui, ut Spiritus S. singulis illud vel illa det secundum suam voluntatem (*v.* 11). Neque omnia charismata hic enumerari, animadverte: hoc in loco novem Apostolus recenset, infra (*v.* 28) octo tantum, inter quae apostolatum et doctoratum, qui probabiliter etiam nostro in loco aliis nominibus sunt indicati, gubernationes (κυβερνήσεις) et opitulationes (ἀντιλήμψεις), quae hic praetermittuntur; ex *Rom.* 12,6 sqq. forte addantur necesse est παράκλησις (exhortatio), μετάδοσις (distributio), ἐλεημοσύνη (misericordia *cfr* 13,3). Quare recte *Lap.*: « plures esse possunt gratiae gratis datae, licet Apostolus hic novem tantum enumerat », atque a vero videntur aberrare, qui cum *Thom.* ex hoc loco generalem et completam charismatum divisionem desumunt.

1. Subtiliter pro more suo *S. Thom.* (cfr etiam eius Summ. II. 1. qu. 111. a. 4), Pauli enumerationem supponens esse completam, omnia charismata in tres classes distribuit pro tribus facultatibus, quae requirantur, ut homo salutem alterius promovere possit: « ad facultatem persuadendi » tria prima pertinere censet (sermonem sapientiae, sermonem scientiae,

fidem), « ad facultatem persuasionem confirmandi » quatuor insequentia (gratiam sanitatum, operationem virtutum; prophetiam, discretionem spirituum), « ad facultatem persuasionem intelligibiliter proponendi » duo ultima (donum linguarum, interpretationem sermonum). Verum ex iis, quae de singulis dicturi sumus, nonnulla dona a S. Doctore non recte esse definita, apparebit, quare ab interpretibus, si *Lyr.* et *Dion.* excipis, eius divisio non est recepta. Patres de ordine, quem Paulus tenuerit in sua enumeratione, non loquuntur et interpretes saec. 16. 17. ad eum non attendunt; a modernis variae divisiones excogitatae sunt, quarum una fundamentum in externa enumerationis forma habere asseritur. Iuxta veriorem enim lectionem graecam (*cfr Tischend. WH.*) primo ᾧ μέν (*alii quidem*) duo dicuntur respondere ἑτέρῳ (particula δέ omissa : *v.* 9. ἑτέρῳ πίστις, *v.* 10. ἑτέρῳ γένη γλωσσῶν), dum alia membra omnia formula ἄλλῳ δέ (*alii autem*) introducantur; unde nonnulli (*Bisp.* etc. — *Mey. God.* etc.) tres classes prioribus formulis indicari, earumque species aliquas altera formula subiici concludunt. At huic quoque divisioni definitiones donorum non satis consonant; licet in tres classes enumerata charismata apte distribui non negemus. Quarum in prima duo dona, quae ad res divinas *docendas* pertinent (sermo sapientiae, sermo scientiae), in secunda tria, quae *confirmandis* doctrinis traditis inserviunt (fides, gratia sanitatum, operatio virtutum) recensentur. In tertia quatuor ponuntur dona, quae ad *fideles exhortandos* et *infideles manifestandos arguendosque* videntur esse destinata (prophetia, discretio spirituum *cfr ad* 14,3; donum linguarum, interpretatio sermonum *cfr ad* 14,21 sqq.). Quibus tribus classibus, si aliae donorum enumerationes considerantur, quarta addi potest et debet eorum sc. charismatum, quibus Spiritus S. aliquos homines idoneos reddit, ut in *externa vitae ratione* fratres regant et adiuvent (gubernationes, opitulationes, distributiones etc.). Quidquid enim aliquibus hominibus ab ipsa natura est inditum, ut ad certa munera obeunda apti fiant aut ad certa auxilia praestanda sint propensi, id Spiritus S. in aliis hominibus dono extraordinario (etiam habituali) supplere potest; atque illae ingenii facultates dotesque, quae a natura iam inditae sunt, spiritualibus donis interdum excoluntur et augentur. Probe autem animadvertatur oportet, Apostolum nec de ordinariis Ecclesiae statibus et ordinibus nec de internis gratiis agere, quae hominem Deo gratum faciunt, sed de gratiis gratis datis, quae extraordinario modo ad aliorum utilitatem a Spiritu S. fidelibus distribuuntur[1].

2. Iam singulorum donorum enumeratorum definitionem dare conabimur praemonentes, de hoc catalogo quam maxime ea valere, quae de totius

1. Huc igitur trahere non licet gratias illas, quibus homo in sacramento ordinis facultatem et potestatem accipit ad munera Ecclesiae ordinaria subeunda, aut similes gratias sacramentales. Procul dubio hae quoque gratiae χαρίσματα vocari possunt et vocantur (1 *Tim.* 4,14 ; 2 *Tim.* 1,6), sed vocabulum χαρίσματος esse genericum atque per se omnia dona gratis concessa, sive ad propriam sive ad aliorum utilitatem concedantur, significare, iam diximus (*ad v.* 1.), ita ut solo nomine nihil efficiatur. Ceterum accuratiorem distinctionis explicationem theologis relinquimus.

huius tractatus obscuritate *Chrys.* conqueritur. Primo in loco enumerantur *sermo sapientiae* et *sermo scientiae* (λόγος σοφίας, λόγος γνώσεως). Quae duo dona *Chrys.*, quem alii Graeci sequuntur, ita distinguit, ut priore insignitos fuisse dicat Apostolos, qui alios docebant, alterum in fidelibus inveniri, qui res fidei sciant quidem sed docere nequeant; iuxta *A[rum]* sermo sapientiae ad ea, quae vitanda quaeve agenda sunt, pertinet, sermo scientiae ad rerum divinarum cognitionem; contra *Gl ord.* sapientiam circa mysteria fidei, scientiam circa ea, quae agenda sunt, versari ait; *Pel.* sapientiae sermonem in eo invenit, « qui sapienter et apte et rationabiliter loquitur et potest docere ac disserere », scientiae sermonem in eo, « qui legis mysteria explanare potest aut etiam praeterita novit et de futuris aestimat ». *S. August.* (ad Simplic. II. qu. 2,3) sapientiam ad intellectum aeternorum, scientiam ad ea, quae sensibus corporis experimur, pertinere cum aliqua dubitatione asserit; alibi (de Trin. XII. 14) sapientiam ad contemplationem, scientiam ad actionem refert, et paullo post (de Trin. XIII. 19) sapientiae rerum divinarum, scientiae rerum humanarum attribuit cognitionem. Quam tertiam explicationem ita retinet *Thom.*, ut scientiae nomine eam solam humanarum rerum cognitionem designet, quae ad fidem defendendam et roborandam iuvet, non eam, quae curiositati inserviat. Iuniorum et modernorum interpretum sententiae etiam sunt multae, sed eas recensere superfluum est. Quae intelligatur sapientia, in hac ipsa epistola Apostolus videtur docere, ubi nimirum de doctrinis loquitur, quas inter perfectos tradat (2,6 sqq.) atque ab aliis doctrinis distinguit, quas Corinthi iam tradiderit (3,1 sqq.); altissimorum igitur mysteriorum cognitionem accuratiorem eorumque altiorem quandam demonstrationem vocat sapientiam (*cfr ad* 2,6); neque dissimili modo alibi in charismatum enumeratione *cognitionem mysteriorum omnium* a scientia diserte distinguit (13,2). At non ipsa mysteriorum cognitio vocatur charisma, sed *sermo* sapientiae, i. e. facultas docendi explicandique mysteria (cfr *Lap.* etc.). Qua facultate prae ceteris apostoli (non tantum ii, quibus strictiore sensu hoc nomen competit, sed ii quoque, quibus latiore sensu attribuitur) instructi esse debebant; quare nomine *apostolatus* (*v.* 28) idem charisma designari haud temere asseritur.

Unde quid nomine *sermonis scientiae* intelligatur, cum magna veri similitudine colligitur. Corinthii enim, quamquam Pauli sapientiam nondum audierant, mysteria tamen christiana, quae omnibus scitu sunt necessaria, ab eo edocti erant, lacte sed nondum cibo solido enutriti. Iam vero facultas eas veritates christianas, quas omnes scire debent, ita tradendi et explicandi et demonstrandi, ut omnes eas intelligant et retineant, donum sermonis scientiae constituere videtur. Quo charismate insigniti sint oportet doctores (διδάσκαλοι), qui infra (*v.* 28) post apostolos et prophetas nominantur; alibi idem donum nominatur *doctrina* (*Rom.* 12,6 ὁ διδάσκων ἐν τῇ διδασκαλίᾳ). A nostra explicatione haud multum dissentit *Est.*, qui sermonem scientiae definit « gratiam disserendi de rebus christianis ex iis, quae

aget, quare accuratius de iis hoc in loco tractare opus non erit. Quemadmodum ibi videbimus, a vero aberrant, qui prophetiam et discretionem spirituum cum duobus praecedentibus donis coniungunt, ac si Apostolus « signis ab eo desumtis, quod solus Deus *facere* potest » « signa ab eo desumta, quod solus Deus *cognoscere* potest » addere voluerit (*Thom.*) aut eos, qui fidei charisma possident, in tres classes distribuerit, prout sub influxu Spiritus S. aut miracula faciant, aut occulta et futura revelent, aut originem sermonum a prophetis prolatorum discernant (*Mey.*); prophetia enim, etsi interdum futura aut occulta revelat, proxime nihil est, nisi exhortatio fidelium a Spiritu S. inspirata. Neque minus a vero aberrant, qui cum *Thom.* aliisque nonnullis donum linguarum ad Evangelii promulgationem dari arbitrantur; qui enim linguis loquebatur, uti ipse S. Paulus exponit, neque ipse ea, quae dicebat, intelligebat, nisi dono interpretationis simul erat ornatus, neque ab auditoribus intelligebatur, nisi eius sermones aut ab ipso aut ab alio interprete in linguam cognitam vertebantur. Ex iis, quae infra dicturi sumus (*cfr ad* 14,3. 21 sqq.), quatuor haec dona ad fidelium quidem aedificationem, infidelium autem manifestationem et confusionem destinari satis apparebit.

11. *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*, vel si mavis accuratius iuxta graec. « dividens separatim unicuique prout vult » (διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται). Quibus verbis enumerationem suam terminans Apostolus sequentem pericopam iam praeparat. Unitatem originis donorum omnium, quamvis diversae sint eorum manifestationes, praeprimis iterum cum magna emphasi (*unus atque idem Spiritus*) asserit, ut fideles sibi persuadeant, non varia charismatum principia distingui, si de spiritu sapientiae aut de spiritu scientiae etc. loqui audiant. Neque minore cum emphasi docet, omnia haec dona a liberrima Spiritus voluntate dependere, ne quis suis meritis donum, quod forte acceperit, attribuere audeat neve alios despiciat, qui eodem dono non fuerit ornatus. « Gratia (haec gratis data), inquit *A*[ter], dividitur singulis prout vult Spiritus, non ad merita hominum, sed magis ad aedificationem Ecclesia suae ». Procul dubio Spiritus in sua distributione aut ad naturales ingenii dotes illius, cui charisma conferre vult, aut ad animi affectum illius interdum attendit; ideoque homo ad ea recipienda sese quodam modo disponere eaque precibus suis efflagitare atque ad ea tendere potest (*cfr v.* 31; 14,1. 13. 39); sed liberrimus semper manet S. Spiritus, nec ullum umquam ius fidelibus ad unum alterumve ex donis competit.

Contra Macedonianos Patres frequenter nostro versu ad Spiritus S. divinitatem demonstrandam utuntur. Tamquam vera persona enim hic describitur (*dividens*

sicut vult) a Patre et Filio distincta, quibus connumeratur (4-6), et eis aequalis, quum non ab eis iussus sed secundum suam voluntatem dona sua distribuat. Bene *Chrys.* : « Quod Patri competit, id quoque Spiritui competere ostendit (Paulus). Sicut enim de illo ait : *Idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus*, sic etiam de Spiritu : *haec omnia operatur unus et idem Spiritus*. Sed motus, inquies. Verum hoc nusquam dixit Paulus, tu autem illud effingis. Quando enim de Patre dixit : *qui operatur omnia in omnibus*, homines intellexit; numquam enim Spiritum hominibus annumerat, etiamsi millies amenter loquaris et insanias. Quia autem dixit : *per Spiritum*, ne putes illud *per* inferioritatem denotare atque Spiritum ad operationem moveri, subiungit Spiritum *operari* neque ad operationem moveri, sed operari *sicut vult*, non sicut iubetur ».

3. *Doctrinae propositae consectaria practica* (12, 12-30).

Omnia charismata ab eodem Spiritu S. secundum eius voluntatem dari omniaque ad eundem finem, Ecclesiae sc. utilitatem, concedi docens Apostolus duo stabilivit principia, ex quibus duo consectaria practica sua sponte profluunt, quas allegoria quadam explanat. Ecclesiam enim cum corpore humano comparat, cuius membra, etsi diversae sunt dignitatis, omnia eodem modo ad corpus illud constituendum requiruntur et iuvant; quin etiam Deus sapientissime res ita disposuit, ut membra illa, quae viliora aut infirmiora habeantur, magis sint necessaria maioremque honorem consequantur. Itaque primo in loco Apostolus nonnullos fideles donis, quae a Spiritu S. acceperunt, non contentos immerito altiora charismata avide expetere docet (12, 12-20); secundo in loco illos fideles, qui altiora charismata accepisse sibi videntur, monet, ne fratres suos, quos minus nobile charisma accepisse putant, despiciant (12,21-30). Pro more has conclusiones disertis verbis non enuntiat sed lectori colligendas relinquit; ex analogia enim proposita clare intelligitur, varietatem donorum a Deo sapienter esse institutam ad totius Ecclesiae et singulorum fidelium utilitatem; ideoque Spiritui S. pro suo beneplacito ea distribuenti fideles acquiescant oportere neque cuiquam licere alteri maius donum invidere aut ob inferius donum fratrem despicere.

1.) *Omnia charismata, etsi diversa sunt, eodem modo ad promovendum bonum Ecclesiae statum requiruntur; nemo igitur dono accepto non contentus altius sibi avide expetat* (12,12-20).

12,12. *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, quum sint multa, unum tamen corpus sunt : ita et Christus.* 13. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus*

12. Καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἕν ἐστιν καὶ μέλη πολλὰ ἔχει, πάντα δὲ τὰ μέλη τοῦ σώματος πολλὰ ὄντα ἕν ἐστιν σῶμα, οὕτως καὶ ὁ Χριστός. 13. καὶ γὰρ ἐν ἑνὶ πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν, εἴτε

baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi : et omnes in uno Spiritu potati sumus. 14. *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa.*

15. *Si dixerit pes : Quoniam non sum manus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore?* 16. *Et si dixerit auris : Quoniam non sum oculus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore?* 17. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?* 18. *Nunc autem posuit Deus membra unumquodque eorum in corpore, sicut voluit.* 19. *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?* 20. *Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.*

Ἰουδαῖοι εἴτε Ἕλληνες, εἴτε δοῦλοι εἴτε ἐλεύθεροι, καὶ πάντες ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν. 14. καὶ γὰρ τὸ σῶμα οὐκ ἔστιν ἓν μέλος, ἀλλὰ πολλά.

15. ἐὰν εἴπῃ ὁ πούς· Ὅτι οὐκ εἰμὶ χείρ, οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ σώματος, οὐ παρὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ σώματος; 16. καὶ ἐὰν εἴπῃ τὸ οὖς· Ὅτι οὐκ εἰμὶ ὀφθαλμός, οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ σώματος, οὐ παρὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ σώματος; 17. εἰ ὅλον τὸ σῶμα ὀφθαλμός, ποῦ ἡ ἀκοή; εἰ ὅλον ἀκοή, ποῦ ἡ ὄσφρησις; 18. Νῦν δὲ ὁ Θεὸς ἔθετο τὰ μέλη, ἓν ἕκαστον αὐτῶν ἐν τῷ σώματι καθὼς ἠθέλησεν. 19. εἰ δὲ ἦν πάντα ἓν μέλος, ποῦ τὸ σῶμα; 20. νῦν δὲ πολλὰ μὲν μέλη, ἓν δὲ σῶμα[1].

Ut allegorica forma sequelas suas practicas proponere possit, Apostolus prius ostendit, Ecclesiam cum corpore humano, ex quo allegoriam suam desumturus est, recte comparari (12-14) ; ex utraque enim parte unitas quaedam habetur perfecta ex variarum partium coniunctione ita exorta, ut unum quidem sit totius compositi principium vivificans, sed pro diversarum partium indole diverso modo vitam suam manifestet (cfr *Rom.* 12,4 : « in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent ») : utraque igitur ex parte aliquod unum habetur, quod tamen simul est multiplex et varium : 12. *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis, quum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.* Particula γάρ (*enim*) consuetam suam vim aetiologicam hoc in loco non habet, siquidem Apostolus nec Spiritum omnia in omnibus operari nec eum singulis prout vult dona sua distribuere ostendere vult, sed explicat, quomodo unus idemque Spiritus in omnibus vario modo operetur; explicativa igitur est, uti saepius, particulae vis (i. q. *scilicet*). Aeque parum ac membrorum multitudo et diversitas unitatem corporis destruit, multitudo et diversitas membrorum Ecclesiae unitatem tollit, ut non magis sit mirum, quod Spiritus in omnibus Ecclesiae membris varia operetur, quam quod animus hominis in omnibus corporis membris diversimode agat. Quanta vero sit Ecclesiae unitas, nomen quo designatur docet : *ita et Christus* sc. mysticus ; hoc enim nomine directe et immediate idea unitatis animo obiicitur, dum nomen ecclesiae (ἐκκλησία concio populi convocata) multitudinem proxime significat. Christi

1. *VV. LL.* — 12. τὰ μέλη τοῦ σώματος (*membra corporis*) B ℵ A C F G K L P, pauci

autem nomine designatur Ecclesia, quatenus velut vivum corpus, cuius ipse est principium vivificans et informans, consideratur, ita ut haec expressio omnino frequentiori illi consonet, qua Ecclesia *corpus Christi* (*v.* 27; *Eph.* 1,23; 4,12; 5,30 etc.) aut etiam *corpus, cuius caput est Christus* (*Col.* 1,18; *Eph.* 1,22; 5,23) nominatur. Egregie *Gl ord.* : « Caput et corpus dicitur Christus propter ineffabilem unitatem capitis et membrorum. Unus Spiritus facit omnia in membris Christi, sicut una anima videt in oculo, audit in aure et in ceteris omnibus omnia facit »; similiter *S. Aug.* (de unit. Eccl. 4; cfr in Ps. 52. n. 1 etc.) : « Totus Christus caput et corpus est; caput unigenitus Dei Filius, et corpus eius Ecclesia; sponsus et sponsa, duo in carne una ». Mysticus igitur Christus etiam est unus et multiplex, siquidem multa membra habet, omnes nimirum fideles, qui divino Spiritu in unum corpus coalescunt.

Etenim ne quis multitudinem et varietatem fidelium considerans unitatem deesse putet, Apostolus eam adesse demonstrat : 13. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi : et omnes* (*in*) *uno Spiritu potati sumus;* 14. *nam et corpus non est unum membrum sed multa.* Si multitudo et varietas unitatem tolleret, de uno corpore iam non amplius liceret loqui, quia etiam in corpore humano multitudo et varietas membrorum invenitur; at omnia membra, quamvis multa et diversa sint, unum idemque corpus constituunt, quia uno eodemque principio informantur, a quo et totum corpus vitam suam habet; ex uno enim eodemque principio in unum corpus organicum omnia sunt generata, ex eodemque varias suas vires facultatesque habent. Iamvero utrumque etiam in membris obtinet, quibus mysticum corpus Christi, i. e. Ecclesia, constituitur. Generationi enim naturali respondet supranaturalis regeneratio, quae fit in baptismate, quod est « lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus S. » (*Tit.* 3,5). Baptismus quidem est in aqua et Spiritu; solus autem Spiritus S., sanctificationis nostrae auctor, nominatur utpote supranaturalis illius, quae efficitur, unionis vel potius unitatis principium. In uno enim eodemque Spiritu per baptismum in Christum inserti eique incorpo-

minusc., *Vulg. Syr. Copt. Arm. Aeth.*; sed *text. receptus* : τὰ μέλη τοῦ σώματος τοῦ ἑνός (membra corporis unius) cum D E, plerisque minusc., *It.* (*Hil. Aler*), *Goth.* — 13. ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν (unum spiritum potati sumus) B ℵ C D F G P, pauci minusc., *It.* (*S. Aug.* c. Faust. 21,8; *Aler* etc.), *Vulg.* (*Fuld. Am. Harl. Dem. Tol.* etc.), *Syr. Copt. Arm. Aeth.*; sed *text. receptus* : εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν (in unum spiritum potati sumus) cum E K L, plerisque minusc., *Vulg.* (*in uno spiritu potati sumus*) *cfr* Comment. — 18. et 20. Utrum νῦν δέ an νυνὶ δέ legatur, parum interest, quum sensus non varietur.

rati unum corpus mysticum formamus, quod a Spiritu S. unitatem ac vitam suam habet, sicut corpus humanum ab anima, qua informatur, suam unitatem suamque vitam habet : « coniuncti inter nos et cum Christo concorporei (σύσσωμοι), qui simul nos colligavit per unum in omnibus Spiritum » (*Cyr.*). Quamprimum anima elementum aliquod arripit suumque facit et informat, elementum illud propria sua forma destitutum nihil amplius est nisi pars corporis humani; ita nos quoque vetere nostro homine per baptismum mortuo (cfr *Rom.* 6,3 sqq.) nihil amplius sumus nisi corporis Christi membra, atque propriae formae, quibus antea secundum statum religiosum (*Iudaei, gentiles*) aut civilem (*servi, liberi*) aut quocumque alio modo distinguebamur, disparuerunt sola nova remanente forma, qua sumus membra Christi; hinc etiam differentiae, quae diversis prioribus formis innitebantur, evanuerunt : « non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim unum (rectius : *unus* εἷς) estis in Christo Iesu » (*Gal.* 3,28). Porro ab eodem principio, a quo corpus humanum unitatem suam et vitam habet, singula membra diversas suas habent vires et facultates; idem iterum obtinet in corpore mystico Christi. Omnes enim, qui in uno Spiritu in unum corpus baptizantur, in sacramento confirmationis, quod olim, uti hodi adhuc apud Graecos, immediate post baptismum plerumque conferebatur, eundem Spiritum S. receperunt ab eoque variis, prout ei placuit, donis ornati formam, ut ita dicamus, variorum membrorum induerunt, ut alii fierent apostoli, alii prophetae, alii doctores etc. (*v.* 28). Metaphora autem quadam satis frequenti dona gratiaeque, quae a Spiritu S. distribuuntur, velut aquae describuntur, quibus homines potantur. Eadem metaphora iam usi erant prophetae ad bona spiritualia regni messianici designanda (*Is.* 12,3; *Ier.* 2,13; *Ezech.* 47,1 sqq.; *Zach.* 14,8); eadem usus erat Dominus ipse aquam promittens, quae in eo, qui illam bibat, fons fiat aquae salientis in vitam aeternam (*Ioan.* 4,13. 14), seque fontem proclamans, ad quem sitientes omnes accedere et ex quo haurire debeant; « hoc autem dixit, inquit Evangelista, de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum » (*Ioan.* 7,37 sqq.).

Triplex est huius metaphorae explicatio vel quadruplex, sicut varia quoque est huius loci lectio. Antiquiores et meliores testes eam lectionem tuentur, quam secuti sumus : πάντες ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν, ***unum Spiritum potati sumus*** vel ***uno Spiritu potati sumus***, i. e. unum Spiritum bibimus vel etiam uno Spiritu irrigati sumus. De confirmatione autem hanc lectionem probabilius explicandam esse censet *Chrys.* : « mihi, inquit, videtur (Paulus)

nunc dicere illum Spiritus adventum, quo immediate post baptismum et ante mysteriorum sumtionem nobis advenit » (τὴν ἐπιφοίτησιν τὴν ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος καὶ πρὸ τῶν μυστηρίων ἐγγινομένην ἡμῖν), quae ultima verba aliqui non recte interpretati S. Doctorem adventum Spiritus in baptismo intellexisse dixerunt (*Iustin.* — *Mey.* etc.). Eandem cum Chrys. explicationem velut veriorem proponit *Theoph.*, solam tradit *Pel.*, pro certa habent moderni multi (*Bisp. L R. Dr. Ramb.*, quibus, licet sacramentum confirmationis non admittat, suo modo ex acath. adstipulatur *God.*); eam genuinam esse veramque aoristus ἐποτίσθημεν satis docet, qui, quum praecedenti ἐβαπτίσθημεν plane respondeat ideoque pro aor., qui dicitur consuetudinis, haberi nequeat, unum definitum actum designat, quo dona Spiritus ubertim collata sunt; atqui manuum impositione, quae baptismum sequebatur, i. e. confirmatione, non tantum semper ordinarias huius sacramenti gratias, sed in primitiva Ecclesia haud raro etiam extraordinarias Spiritus manifestationes esse collatas, certo constat (cfr *Act.* 8,14 sqq.; 19,6); sed nullo argumento probatur, in baptismate aut in SS. Eucharistia, quae duo sacramenta alii intelligenda esse asserunt, extraordinaria illa dona a Spiritu S. esse data. De baptismate sermonem esse, pauci cath. (*Salm. Iust. Mai.*), satis multi acath. (*Rück. d W. Ew. Hofm. Mey.* etc.) coniecerunt; antiquior et communior est altera coniectura, quae sumtionem calicis intelligens etiam novae lectioni (ἓν πόμα ἐποτίσθημεν vel ἐνὶ πόματι ἐπίομεν *Clem. Alex.* Paed. I. 6. *unum potum bibimus*) originem dedit, et quae aliis Pauli verbis (10,17) confirmari credebatur. Eam inter Graecos tradiderunt *Chrys.* quem tamen aliam explicationem de confirmatione probabiliorem habuisse diximus) *Cyr. Dam. Oec.;* inter Latinos *Thom.* eam secundo in loco affert, sed solam amplectuntur aut probabiliorem habent *Lyr. Cai. Est. Lap. Nat. Pic. M Ev.*, quibus accedunt haud pauci acath. (*Neand. Heinr. Goeb.* etc.); eandem illi quoque praeferre solent, qui receptam graecam lectionem (εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν *in unum Spiritum potati sumus*) sequuntur. Quarta demum est explicatio, quae continuam quandam gratiarum donorumque Spiritus S. communicationem indicari censet; eam innuit *Theodor.*, proponunt antiquiores Latini (*Herv. Lomb. Thom* [1]. *Dion.*), aliqui iuniores et moderni non improbabilem censent (*Est. Calm.* etc. — *Billr. Olsh.* etc.); at eam aoristo (ἐποτίσθημεν) plane excludi arbitramur.

Fundamento allegoriae stabilito Apostolus eam explanare incipit priore in loco ostendens, quae membrorum ad corpus humanum sit relatio. Maior membri alicuius nobilitas non efficit, ut illud magis ad corpus pertineat quam alterum minus nobile (15. 16), sed varia variaeque dignitatis membra in corpore adesse deus sapientissime voluit, ut omnia corporis munera instrumenta sibi propria haberent (17. 18) atque verum corpus ordinatum constitueretur (19. 20).

Simili allegoria, qua olim Menenius Agrippa plebeios romanos sua conditione non contentos rerumque mutationis avidos placare et cum

patriciis reconciliare felici cum exitu conatus est (*Liv.* Hist. II. 23), Paulus Corinthios illos, qui charismatis acceptis non contenti alia, quae maiora nobilioraque habebant, ardenter expetebant fratribusque nobiliore dono ornatis invidebant, reprimit corrigitque : 15. *Si dixerit pes : Quoniam non sum manus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore?* 16. *Et si dixerit auris : Quoniam non sum oculus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore?* Pes, qui terram calcat totumque corporis pondus sustinet, si cum manu, organo organorum, comparatur, atque auris, quae auditui, sensui inferiori, inservit, si cum oculo, instrumento sensus nobilissimi et universalissimi, confertur, velut membra minus nobilia considerari possunt; at minor haec eorum nobilitas non impedit, quominus eadem omnino ratione, qua nobiliora, ad corpus pertineant, quia eadem omnino ratione cum eo sunt coniuncta. Ridiculum igitur est (id S. Paulus Corinthiis concludendum relinquit), si membra Ecclesiae, quia forte charismata inferiora tantum acceperint, se ideo a corpore Ecclesiae exclusa esse arbitrentur. Optime porro observat *Chrys.* : « Pedem cum oculo loquentem non inducit, sed cum manu, quae non est nisi paullo nobilior, aurem autem cum oculo loquentem; neque enim iis, qui nos longe superant, sed iis, qui paullo altiores sunt, solemus invidere; ideo et ipse hac ratione comparationem instituit. »

Praeeuntibus iam *Pel.* et *S. Greg. M.* (Moral. XXVIII. 6) aliqui antiquiores interpretes (*Herv. Thom. Dion.* etc.) membris a Paulo nominatis certos status in Ecclesia designari coniecerunt (« per membra deservientia motui designantur homines dediti vitae activae, et per pedes quidem subditi, per manus autem praelati; per membra deservientia virtuti apprehensivae designantur illi, qui student vitae contemplativae. Inter quos sunt, sicut oculi, doctores, qui per se ipsos veritatem inspiciunt, et, sicut aures, discipuli, qui a magistris audiendo veritatem recipiunt » *Thom.*); sed quamvis subtiliter nonnulla dicantur, ea ad accommodationem, sed non ad explicationem Scripturae pertinere, manifestum est; neque enim de Ecclesiae statibus ordinariis, sed de extraordinariis charismatis agitur, atque exempli gratia duntaxat nonnulla membra corporis nominavit Paulus, ut varietatem membrorum Christi iuxta varia Spiritus dona exortam in genere significaret.

Graecam phrasin (οὐ παρὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ σώματος), quam Vulgata interrogative reddidit (num ideo non est de corpore?) moderni critici (*Lachm. Tisch. W H*) cum nonnullis interpretibus enuntiative legendam esse censent, quia duplicem negationem explicari negant, nisi prius οὐ ad totam sententiam referri dicatur, alterum οὐκ cum verbo ἐστίν arcte coniungatur, ita ut se mutuo destruant : « non ideo membrum corporis non est » (*Mey. Heinr.* etc.). At Pauli stylo, qui vividam per interrogationes argumentationem amat, interrogatio multo magis convenit, nec quidquam impedit, quominus negationis anadiplosin admittamus, qua negativus interrogationis character maiore cum vi exprimitur.

Inferiorum membrorum querelam Apostolus duplici argumento

absurdam esse ostendit. Praeprimis enim multae sunt corporis humani necessitates, quae, si omnia membra essent paria eundemque actum haberent, non explerentur : 17. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?* 18. *Nunc autem* (prout se res habent, pro sua sapientia) *posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit,* suum cuique locum munusque attribuens, ut corpus variis ex membris situ et officio distinctis esset compositum. Apposite adnotat *S. Thom.* : « Etsi membrorum distinctio est opus naturae, hoc tamen agit natura ut instrumentum divinae providentiae : et ideo Apostolus primam causam dispositionis membrorum assignat,... quae est voluntas divina » eaque libera, quae non a rebus creandis dependet, sed a qua res omnes et creatae et creandae dependent.

At alterum quoque, si omnia membra essent paria, sequeretur absurdum : 19. *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?* Verum enim corpus humanum sine membrorum, utpote instrumentorum ad varia munera et officia necessariorum, distinctione et varietate cogitari nequit; sublato igitur membrorum discrimine aptaque eorum dispositione deficiente, ipsum quoque corpus tollitur. 20. *Nunc autem multa quidem membra* sunt iuxta divinam voluntatem diversa, quia diversis necessitatibus corporis inservire debent, *unum autem corpus* est, quia omnia eius membra ab eodem principio sunt generata ab eodemque principio diversa sua munera et facultates acceperunt, ut omnia in unum finem, in totius compositi conservationem et profectum, conspirarent.

2.) *Charismata, quae viliora videntur esse, maiorem saepe habent utilitatem et honorem; nemo igitur eum, quem donum minus nobile accepisse arbitratur, despiciat* (**12**, **21-30**).

2,21. ***Non potest autem oculus dicere manui : Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarii.*** 22. ***Sed multo magis, quae videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt :*** 23. ***et quae putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus : et quae inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.*** 24. ***Honesta autem nostra nullius egent : sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat abundantiorem tribuendo honorem,*** 25. ***ut non sit schisma in corpore sed idipsum pro invicem sollicita sint membra.*** 26.

21. Οὐ δύναται δὲ ὁ ὀφθαλμὸς εἰπεῖν τῇ χειρί· Χρείαν σου οὐκ ἔχω, ἢ πάλιν ἡ κεφαλὴ τοῖς ποσίν· Χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω. 22. ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον τὰ δοκοῦντα μέλη τοῦ σώματος ἀσθενέστερα ὑπάρχειν ἀναγκαῖά ἐστιν, 23. καὶ ἃ δοκοῦμεν ἀτιμότερα εἶναι τοῦ σώματος, τούτοις τιμὴν περισσοτέραν περιτίθεμεν, καὶ τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν εὐσχημοσύνην περισσοτέραν ἔχει, 24. τὰ δὲ εὐσχήμονα ἡμῶν οὐ χρείαν ἔχει. ἀλλὰ ὁ Θεὸς συνεκέρασεν τὸ σῶμα, τῷ ὑστερουμένῳ τι περισσότερον δούς, 25. ἵνα μὴ ᾖ σχίσμα ἐν τῷ σώματι, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσιν τὰ μέλη. 26. καὶ εἴ τι

Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.

27. *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.* 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.* 29. *Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores?* 30. *numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?*

πάσχει ἓν μέλος, συμπάσχει πάντα τὰ μέλη· εἴτε δοξάζεται μέλος, συγχαίρει πάντα τὰ μέλη.

27. Ὑμεῖς δέ ἐστε σῶμα Χριστοῦ καὶ μέλη ἐκ μέρους. 28. καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους, ἔπειτα δυνάμεις, ἔπειτα χαρίσματα ἰαμάτων, ἀντιλήμψεις, κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν. 29. μὴ πάντες ἀπόστολοι; μὴ πάντες προφῆται; μὴ πάντες διδάσκαλοι; 30. μὴ πάντες δυνάμεις; μὴ πάντες χαρίσματα ἔχουσιν ἰαμάτων; μὴ πάντες γλώσσαις λαλοῦσιν; μὴ πάντες διερμηνεύουσιν[1];

« Postquam minorum invidiam repressit illorumque moerorem abstulit, quem concepisse illos probabile est, quia alii maioribus donis ditati essent, horum fastum deprimit, qui maiora charismata receperant » (*Chrys.*). Sicut igitur in priore particula (15-20) relationem membrorum ad totum corpus consideravit, ut omnia, etiam infima, eodem modo ad integrum corpus constituendum requiri ostenderet, ita nunc membrorum inter se relationem explicans, membra illa, quae inferioribus adnumerantur, nec ob minorem necessitatem (21. 22) nec ob minorem nobilitatem vel honestatem posse despici docet (23. 24); Deum enim ita omnia ordinasse, ut omne schisma in corpore evitetur membraque omnia inter se congruant et concordent (24-26). Allegoriam demum ad Ecclesiam applicans varietatem membrorum adesse demonstrat (27-30), ut fideles ipsi concludant, eam a Deo sapienter esse institutam ad totius Ecclesiae

1. *VV. LL.* — 23. ἀτιμότερα εἶναι τοῦ σώματος (viliora esse corporis) est communis lectio graeca, quam etiam S. *Aug.* (c. Faust. 21,8; 29,4) recte retinet; D E F G cum paucissimis minusc. *It.*, *Vulg.* legunt : ἀτιμότερα μέλη εἶναι τοῦ σώματος (*ignobiliora membra esse corporis*). — 24. τῷ ὑστερουμένῳ τι περισσότερον δοὺς (ei cui deest aliquid abundantius tribuens) solus B; reliqui omnes melius : τῷ ὑστερουμένῳ περισσοτέραν δοὺς τιμήν (*ei cui deest abundantiorem tribuens honorem*). — 25. σχίσμα (*schisma*) B A C E K, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Copt.*; pluralem σχίσματα exhibent ℵ D F G L, pauci minusc. et *Arm.* — 26. εἴ τι πάσχει (*si quid patitur*) B F G, *Vulg.* (*Clem.*), *Syr.* (codd.), *Arm.*; rectius : εἴτε πάσχει (sive patitur) ℵ A C D E K L, plerique minusc., *Vulg.* (codd.), *Syr.* (codd.), *Copt.* — δοξάζεται μέλος (gloriatur membrum) B ℵ A; sed reliqui testes rectius : δοξάζεται ἓν μέλος (*gloriatur unum membrum*). — 27. μέλη ἐκ μέρους (membra ex parte) est communis lectio graeca; sed D cum *It. Vulg. Syr.* (codd.), *Arm.* : μέλη ἐκ μέλους (*membra de membro*). — 28. Post γένη γλωσσῶν (*genera linguarum*) *Vulg. Clem.* (sed non *Fuld. Am.* etc.) cum *Syr.* (codd.) et *Arm.* addunt : *interpretationes sermonum.*

et singulorum membrorum utilitatem, neque iis, qui praestantiora dona accepisse sibi videntur, licere fratres illos despicere, qui minora receperunt.

Superborum, qui de altis suis donis gloriabantur, fastum depressurus, Apostolus suam allegoriam continuans nobilissima corporis membra auxilio infimorum membrorum indigere monet : 21. *Non potest autem oculus dicere manui : Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarii.* Supra, ubi de relatione membrorum ad corpus egit, eiusdem speciei membra perfectiora et minus perfecta consideravit (manum et pedem, oculum et aurem); hic de membrorum inter se relatione agens membra diversae speciei comparat : oculus videns indiget manu, ut ea, quae desiderat, apprehendat eave, quae timet, a se arceat; caput cogitans pedibus indiget aliisque membris inferioribus, ut consilia sua exsecutioni mandet. Porro ex Apostoli verbis apparet, eum allegoriam suam ad Ecclesiam immediate applicare nolle; caput Ecclesiae enim est Christus, qui nullius indiget sed omnia, quae per Ecclesiae ministros nunc agit, immediate per se agere potest. Subtilius ergo, quam verius, ex his verbis colligit *Est.*, praeter supremum Ecclesiae caput, Christum, qui nullius indigeat opera, « aliquod aliud esse in Ecclesia caput, pedum ministerio indigens ad totius corporis regimen; id autem aliud non esse, quam caput Christo vicarium, romanum pontificem ». Etenim de ordinariis Ecclesiae muneribus et officiis Paulum hoc in loco non loqui patet; de extraordinariis Spiritus S. donis agit, nec quidquam docet, nisi eum, qui altiore charismate insignitus est, auxilio eorum, qui minora auxilia acceperunt, carere non posse.

Quod ut confirmet, addit : 22. *Sed multo magis, quae videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt.* Pro *necessariora* cum antiquis Patribus latinis (*S. Ambr.* De Noe 8; *S. Aug.* c. Faust. 29,4; c. Iul. 4,16 etc.) rectius legimus : *necessaria;* reliquae enim versiones quoque cum Graeco consentientes exprimunt positivum gradum (ἀναγκαῖα). Duplex autem est verborum interpretatio; cum *Chrys.* enim plerique moderni vocabulum μᾶλλον explicant *potius*, ita ut haec phrasis priorem quasi corrigat : « tantum abest, ut membra nobiliora ignobiliorum auxilio non indigeant, ut potius ea, quae infirmiora esse nobis videntur, omnino sint necessaria »; cum *Theod.* vero antiquiores plerique μᾶλλον explicarunt *magis*, ut altera phrasis priorem augeat : « non tantum superiora membra inferioribus indigent, sed infirmiora multo magis necessaria sunt fortioribus ».

Utraque interpretatio per se est apta; etenim si infirmiorum membro-

rum nomine intestina aut alia organa interna (cerebrum etc.), quae maiore protectione indigent, cum *Theod.* aliisque (*Pel. Thom.* etc., *Est. Nat. Pic.* etc., *M Ev. Dr.* etc. — *Hofm.* etc.) designari dicimus, altera procul dubio est praeferenda, quia pleraque membra interna externis sunt magis necessaria; sin vero externa membra quaedam, aut pedes et manus (*A^{ler}*, *Dion*[1]. etc. — *Beng. Goeb.* etc.) aut oculos et aures (*Theoph. Dion*[2]. etc. — *Mey.* etc.) intelligimus, prior rectius praefertur. Sed attendatur oportet, in sequentibus membra ita inter se comparari, ut nonnullis maior honoris et honestatis gradus attribuatur; concinnior igitur est sermo, si etiam maior necessitas nonnullis adscribitur. Ac revera Paulus, ubi donum linguarum, quod velut splendidissimum Corinthii habebant, cum prophetia comparat (14, 1 sqq.), illud ob minorem necessitatem et utilitatem deprimit. Quamobrem Theodoreti sententiam praeferendam ducimus. — De reliquo iterum aliqui inutiliter inquirunt, quae membra Ecclesiae Paulus dixerit infirmiora (« agricultores et alios huiusmodi » *Thom.*; « senes » *Est.* etc.); de charismatis enim agitur.

Ut argumentationis suae vim augeat, Apostolus non tantum necessitatis, sed etiam nobilitatis et honestatis ratione membra inter se comparat ostensurus alterum ab altero non posse despici. Sicut enim illa, quae infirmiora esse videntur (τὰ δοκοῦντα μέλη... ἀσθενέστερα εἶναι), necessitate sua sese commendant, ita 23. *et quae putamus* (δοκοῦμεν) *ignobiliora* (*membra*) *esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus;* impellente enim natura vestimentis ornamentisve circumdatis id supplemus, quod ratione honestatis illis deesse putamus, ne aliis inferiora esse videantur; *et quae inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent,* quia iterum natura impellimur, ut diligentius et maiore cum cura et sollicitudine illa contegamus[1]. 24. *Honesta autem nostra nullius egent* sc. honestatis, quae ab extrinseco illis addatur. Duarum priorum classium membra ab Apostolo

1. Quae membra inhonestorum nomine designentur, explicatione non eget; optimo tamen *S. Aug.* (c. Iul. IV. 16, 81) : « Quae igitur Deus honesta fecerat, dixit Apostolus inhonesta. Causam requiro; si hoc non peccato factum est, unde factum est? Quis honesta Dei opera dehonestavit, ut ea inhonesta S. Apostolus diceret? Utrum habitudo, in qua est sollertia creantis, an libido, in qua est poena peccantis? Nam etiam nunc quod Deus ibi facit, honestum est; quod origo contrahit, inhonestum. Et tamen ne sint scissurae in corpore, contributum est divinitus sensui naturali, ut pro invicem sollicita sint membra : et *quod dehonestavit concupiscentia, contegit verecundia* ». Priorem quandam sententiam, quam contra Faustum Man. (31,4) S. Doctor exposuerat, membra illa vocari inhonesta, quia non habeant eandem speciem decoris, quam ea, quae in promtu locata sint, retractavit (Retract. II. 7) eaque inhonesta dici asseruit « propter legem in membris repugnantem legi mentis, quae de peccato accidit, non de prima nostrae institutione naturae ». S. Augustini sententiam sequitur *S. Thom.* : « Dicuntur autem aliqua membra inhonesta in sanctis... propter inobedientiam eorum subsecutam ex peccato originali ». Alludere igitur Apostolum censent ad *Gen.* 3,7. 21.

infirmiora et ignobiliora absolute non vocantur, sed infirmiora et ignobiliora a nobis *putari* dicuntur (cfr *Chrys.* etc.); innuit enim ab existimatione hominum id dependere, utrum membrum aliquod validum aut nobile habeatur; sed de tertiae classis membris absolute loquitur, siquidem omnibus hominibus innatus est pudor, qui etiam rudes agrestesque dubitare non sinit, quibus corporis partibus externa honestas addatur oporteat; recte enim monet *Chrys.*, ipsos pauperrimos, quamquam reliquum corpus nudum habeant, numquam tamen illas partes nudas ostendere. At quae membra ob putatam ignobilitatem abundantiore honore circumdari debeant, id inutiliter inquiri arbitramur, quia sua expressione Paulus insinuat, varia illa esse pro morum consuetudinumque varietate ita ut unusquisque illud corporis sui membrum, quod non satis nobile esse putat, circumdatis externis ornamentis nobilius pulchriusque reddere studeat. Quae autem in Ecclesia sint membra ignobilia (*Thom.* : imperfecti, *Est.* : servi et pauperes, etc.) et inhonesta (*Thom.* : culpabiles, *Est.* : coniugati aut infames vel infamia digni etc.), ob rationem saepius iam datam multo inutilius inquiritur.

Iamvero quod homines ignobilioribus membris abundantiorem ornamentorum honorem circumdent et membris inhonestis maiorem honestatem velamentis tribuant, id casui aut hominum praeiudicio tribui non debet, *sed Deus temperavit corpus, ei* (membro) *cui deerat* (honor) *abundantiorem tribuendo honorem*, 25. *ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra.* Sicut supra (*v.* 18), ita hic quoque ad Deum auctorem naturae sapientissimum omnia reducit Apostolus : Deus ipse corpus variis ex partibus inter se diversis apte commiscuit (συνεκέρασεν *temperavit*) membrisque, quae aliqua in re inferiora erant aut esse videbantur, maiorem honorem attribuit, infirmiora reddens magis necessaria, ignobilioribus et inhonestis ius potestatemque dans ad ornamenta et velamenta, ne membris inter se altercantibus corpus ipsum quasi discinderetur, sed ut singula membra eandem sibi invicem exhiberent curam et sollicitudinem (ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσιν τὰ μέλη, ut idem pro invicem curent membra). Quem finem Deum revera attigisse, summa illa docet sympathia, quam in membris videmus : 26. *Et si quid* (lege : *sive*) *patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Nullus contemtus in membris invenitur, nulla invidia; sed summa cum concordia ita inter se sunt colligata et connexa, ut uno patiente omnia patiantur et uno gaudente omnia gaudeant. Haec est inter membra corporis humani relatio, continua sc. cognatio et

concordia; atqui eadem inter Ecclesiae membra continuo adsit oportet[1].

Quum allegoria satis sit perspicua, Apostolus eam non explanat, sed fundamentum dumtaxat, cui conclusio, quam inculcare vult, tota innititur, Ecclesiae nimirum, utpote Christi corporis, unitatem membrorumque diversitatem a Deo ipso stabilitam, iterum asserit. 27. *Vos autem estis corpus Christi et membra de membro.* Plerumque quidem universalis Ecclesia corpus Christi vocatur (*Eph.* 1,23; 4,12; 5,30; *Col.* 1,24 etc.); sed sicut particularis ecclesia *templum Dei* (ναὸς Θεοῦ 3,16; sine articulo) apte appellatur, licet universalis Ecclesia sit ὁ ναὸς Θεοῦ, suo modo etiam eidem particulari ecclesiae, utpote universalis imagini cuidam, nomen σώματος Χριστοῦ (sed sine articulo, uti hic) iure attribuitur. Aliquid miri tamen graeci interpretes in hac denominatione invenerunt eamque a Paulo ipso coarctari censuerunt. Legentes enim : ὑμεῖς δέ ἐστε σῶμα Χριστοῦ καὶ μέλη ἐκ μέρους (*cfr* VV. LL.) illud ἐκ μέρους (*ex parte*) ad utrumque membrum praecedens pertinere voluerunt, ut significaretur « non solos Corinthios, sed omnes in toto orbe fideles » constituere corpus Christi (*Theod.*), vel « ecclesiam corinthiam esse partem Ecclesiae, quae ubique terrarum sit, et corporis, quod per omnes ecclesias constituitur » (*Chrys.*); difficile autem appositio ἐκ μέρους ad prius membrum (σῶμα Χριστοῦ) trahitur, nisi utrumque membrum (σῶμα Χριστοῦ καὶ μέλη) in unam notionem quasi coalescere parum apte statuamus. Rectius moderni graecam lectionem, quam meliores testes critici tuentur, cum solo ultimo mem-

1. Egregie hunc locum explanat *S. Aug.* (in Ps. 130 n. 6) : « In membris nostris videtis, fratres, quomodo singula officium suum habeant membra. Oculus videt, et non audit; auris audit et non videt; manus operatur, nec audit nec videt; pes ambulat, nec audit nec videt nec facit, quod manus. Sed in uno corpore si sit sanitas et non adversum se litigent membra, auris videt in oculo, oculus audit in aure; nec obiici potest auri, quod non videt, ut dicatur ei : Nihil es, minor es, numquid videre et discernere colores potes, quod facit oculus? Respondet enim auris de pace corporis et dicit : Ibi sum, ubi est oculus, in eo corpore sum; in me non video, in eo cum quo sum video. Ita quum auris dicit : Oculus mihi videt, oculus dicit : Auris mihi audit; oculi et aures dicunt : Manus nobis operantur; manus dicunt : Oculi et aures nobis vident et audiunt; oculi et aures et manus dicunt : Pedes nobis ambulant. Omnia in uno corpore quum operantur, si sit ibi sanitas et concordent membra, gaudent et congaudent sibi. Et si quid molestiae sit in aliquo membro, non se deserunt, sed compatiuntur sibi. Numquid quia in corpore pes quasi longe videtur ab oculis (illi enim locati sunt in sublimitate, illi autem infra positi), quando fors pes spinam calcaverit, deserunt oculi, et non, sicut videmus, totum corpus contrahitur, et sedet homo, et curvatur spina dorsi, ut quaeratur spina, quae haesit in planta? Omnia membra quidquid possunt faciunt, ut de infimo et exiguo loco spina, quae inhaeserat, educatur. Sic ergo, fratres, quisquis in corpore Christi non potest resuscitare mortuum, non illud quaerat, sed quaerat, ne discordet in corpore » etc. Similibus exemplis verba Pauli amplificant et exornant *Chrys. Theod. Theoph.* etc.

bro coniungunt; *ex parte* enim fideles sunt membra corporis Christi pro loco scilicet, quem in eo occupant, et pro dono, quo ad illum locum occupandum idonei redduntur (cfr *Est*[1]. *Bisp.* etc. — *Mey. Goeb.* etc.). Hac ratione et unitas Ecclesiae et multitudo varietasque membrorum optime exprimuntur : « vos simul sumti estis corpus Christi, singuli autem varia estis membra ». Ad eundem quoque sensum latina lectio nos perducit : etenim singuli *membra de membro* dependentia seu membra inter se connexa atque ita dependentia dicuntur, ut alterum, quum non omnia dona possideat, alterius auxilio indigeat.

Eandem ideam exprimit Apostolus (*Rom.* 12,5) : multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra (οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν ἐν Χριστῷ, τὸ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη). Graecam lectionem alii explicant : « vos estis membra, si ex partibus fit aestimatio, dum, si ex toto fit aestimatio, vos estis corpus Christi » (*Est*[2]. *Mai.* etc. — *Ew. Heinr.* etc.); multitudo igitur sola, non varietas membrorum, exprimeretur. Latinae lectionis *Thom.* tres proponit explicationes, quarum duas priores ab *Herv. Lomb. H Car.* accepit, tertiam ipse addidit : « Estis membra dependentia de Christo membro, qui quidem dicitur membrum secundum humanitatem, secundum quam praecipue dicitur caput Ecclesiae... Alio modo : vos estis membra dependentia de membro (Paulo), in quantum per me Christo acquisiti estis... Tertio modo potest exponi, ut designetur distinctio et series membrorum : vos estis membra de membro (dependentia), i. e. ita distinguimini et ordinamini ad invicem, sicut unum membrum ad aliud ». Tertia explicatio, quam supra iam exposuimus, sola teneri potest et a plerisque iure praefertur (*Cagn. Est. Lap. Nat.* etc., cfr *Mai. Bisp.* etc.).

Quomodo singuli fideles sint membra, quae pro loco, quem in corpore mystico occupant, et pro dono, quod acceperunt, auxilium mutuum sibi praestare debeant, ostendit Apostolus varietatem donorum spiritualium (*v.* 28) variamque eorum distributionem (29. 30) commemorans. Ultimam igitur particulam (*ex parte*, ἐκ μέρους) quasi explicans ait : 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, (interpretationes sermonum).* De ordinariis Ecclesiae ministeriis et muneribus Apostolum non agere, ipsa enumeratio docet et contextus confirmat. Inter ordinaria enim munera nec prophetiam, virtutes etc. enumerare, nec episcopatum, presbyteratum, diaconatum praetermittere potuisset; quin enim Corinthi non minus, quam in ecclesiis provinciarum Galatiae (*Act.* 14,23), Asiae (*Act.* 20,17), Macedoniae (*Phil.* 1,1; 1 *Thess.* 5,12), Cretae (*Tit.* 1,5 sqq.), velut ordinarios ministros episcopos et diaconos instituerit, nemo prudens dubitat, licet in tota hac epistola eos non commemoret. Parum recte vero nonnulli censent, eum ministeria ordinaria (apostolatum, doctoratum) et extraordinaria (prophetiam, virtutes etc.) permiscuisse; in tota enim hac parte

concordia; atqui eadem inter Ecclesiae membra continuo adsit oportet[1].

Quum allegoria satis sit perspicua, Apostolus eam non explanat, sed fundamentum dumtaxat, cui conclusio, quam inculcare vult, tota innititur, Ecclesiae nimirum, utpote Christi corporis, unitatem membrorumque diversitatem a Deo ipso stabilitam, iterum asserit. 27. *Vos autem estis corpus Christi et membra de membro.* Plerumque quidem universalis Ecclesia corpus Christi vocatur (*Eph.* 1,23; 4,12; 5,30; *Col.* 1,24 etc.); sed sicut particularis ecclesia *templum Dei* (ναὸς Θεοῦ 3,16; sine articulo) apte appellatur, licet universalis Ecclesia sit ὁ ναὸς Θεοῦ, suo modo etiam eidem particulari ecclesiae, utpote universalis imagini cuidam, nomen σώματος Χριστοῦ (sed sine articulo, uti hic) iure attribuitur. Aliquid miri tamen graeci interpretes in hac denominatione invenerunt eamque a Paulo ipso coarctari censuerunt. Legentes enim: ὑμεῖς δέ ἐστε σῶμα Χριστοῦ καὶ μέλη ἐκ μέρους (*cfr* VV. LL.) illud ἐκ μέρους (*ex parte*) ad utrumque membrum praecedens pertinere voluerunt, ut significaretur « non solos Corinthios, sed omnes in toto orbe fideles » constituere corpus Christi (*Theod.*), vel « ecclesiam corinthiam esse partem Ecclesiae, quae ubique terrarum sit, et corporis, quod per omnes ecclesias constituitur » (*Chrys.*); difficile autem appositio ἐκ μέρους ad prius membrum (σῶμα Χριστοῦ) trahitur, nisi utrumque membrum (σῶμα Χριστοῦ καὶ μέλη) in unam notionem quasi coalescere parum apte statuamus. Rectius moderni graecam lectionem, quam meliores testes critici tuentur, cum solo ultimo mem-

1. Egregie hunc locum explanat *S. Aug.* (in Ps. 130 n. 6): « In membris nostris videtis, fratres, quomodo singula officium suum habeant membra. Oculus videt, et non audit; auris audit et non videt; manus operatur, nec audit nec videt; pes ambulat, nec audit nec videt nec facit, quod manus. Sed in uno corpore si sit sanitas et non adversum se litigent membra, auris videt in oculo, oculus audit in aure; nec obiici potest auri, quod non videt, ut dicatur ei: Nihil es, minor es, numquid videre et discernere colores potes, quod facit oculus? Respondet enim auris de pace corporis et dicit: Ibi sum, ubi est oculus, in eo corpore sum; in me non video, in eo cum quo sum video. Ita quum auris dicit: Oculus mihi videt, oculus dicit: Auris mihi audit; oculi et aures dicunt: Manus nobis operantur; manus dicunt: Oculi et aures nobis vident et audiunt; oculi et aures et manus dicunt: Pedes nobis ambulant. Omnia in uno corpore quum operantur, si sit ibi sanitas et concordent membra, gaudent et congaudent sibi. Et si quid molestiae sit in aliquo membro, non se deserunt, sed compatiuntur sibi. Numquid quia in corpore pes quasi longe videtur ab oculis (illi enim locati sunt in sublimitate, illi autem infra positi), quando fors pes spinam calcaverit, deserunt oculi, et non, sicut videmus, totum corpus contrahitur, et sedet homo, et curvatur spina dorsi, ut quaeratur spina, quae haesit in planta? Omnia membra quidquid possunt faciunt, ut de infimo et exiguo loco spina, quae inhaeserat, educatur. Sic ergo, fratres, quisquis in corpore Christi non potest resuscitare mortuum, non illud quaerat, sed quaerat, ne discordet in corpore » etc. Similibus exemplis verba Pauli amplificant et exornant *Chrys. Theod. Theoph.* etc.

bro coniungunt; *ex parte* enim fideles sunt membra corporis Christi pro loco scilicet, quem in eo occupant, et pro dono, quo ad illum locum occupandum idonei redduntur (cfr *Est*[1]. *Bisp.* etc. — *Mey. Goeb.* etc.). Hac ratione et unitas Ecclesiae et multitudo varietasque membrorum optime exprimuntur : « vos simul sumti estis corpus Christi, singuli autem varia estis membra ». Ad eundem quoque sensum latina lectio nos perducit : etenim singuli *membra de membro* dependentia seu membra inter se connexa atque ita dependentia dicuntur, ut alterum, quum non omnia dona possideat, alterius auxilio indigeat.

Eandem ideam exprimit Apostolus (*Rom.* 12,5) : multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra (οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν ἐν Χριστῷ, τὸ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη). Graecam lectionem alii explicant : « vos estis membra, si ex partibus fit aestimatio, dum, si ex toto fit aestimatio, vos estis corpus Christi » (*Est*[2]. *Mai.* etc. — *Ew. Heinr.* etc.); multitudo igitur sola, non varietas membrorum, exprimeretur. Latinae lectionis *Thom.* tres proponit explicationes, quarum duas priores ab *Herv. Lomb. H Car.* accepit, tertiam ipse addidit : « Estis membra dependentia de Christo membro, qui quidem dicitur membrum secundum humanitatem, secundum quam praecipue dicitur caput Ecclesiae... Alio modo : vos estis membra dependentia de membro (Paulo), in quantum per me Christo acquisiti estis... Tertio modo potest exponi, ut designetur distinctio et series membrorum : vos estis membra de membro (dependentia), i. e. ita distinguimini et ordinamini ad invicem, sicut unum membrum ad aliud ». Tertia explicatio, quam supra iam exposuimus, sola teneri potest et a plerisque iure praefertur (*Gagn. Est. Lap. Nat.* etc., cfr *Mai. Bisp.* etc.).

Quomodo singuli fideles sint membra, quae pro loco, quem in corpore mystico occupant, et pro dono, quod acceperunt, auxilium mutuum sibi praestare debeant, ostendit Apostolus varietatem donorum spiritualium (*v.* 28) variamque eorum distributionem (29. 30) commemorans. Ultimam igitur particulam (*ex parte*, ἐκ μέρους) quasi explicans ait : 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum,* (*interpretationes sermonum*). De ordinariis Ecclesiae ministeriis et muneribus Apostolum non agere, ipsa enumeratio docet et contextus confirmat. Inter ordinaria enim munera nec prophetiam, virtutes etc. enumerare, nec episcopatum, presbyteratum, diaconatum praetermittere potuisset; quin enim Corinthi non minus, quam in ecclesiis provinciarum Galatiae (*Act.* 14,23), Asiae (*Act.* 20,17), Macedoniae (*Phil.* 1,1; 1 *Thess.* 5,12), Cretae (*Tit.* 1,5 sqq.), velut ordinarios ministros episcopos et diaconos instituerit, nemo prudens dubitat, licet in tota hac epistola eos non commemoret. Parum recte vero nonnulli censent, eum ministeria ordinaria (apostolatum, doctoratum) et extraordinaria (prophetiam, virtutes etc.) permiscuisse; in tota enim hac parte

munera obeunda aptos reddidit, quibus autem Ecclesia hodie in tanta fidelium multitudine non amplius indiget, quum Spiritus S. eos, qui dona eiusmodi naturalia habent, gratia sua interna impellat, ut istis muneribus sese dedicent. Neque tamen negamus, etiam hodie interdum haec aliaque charismata omnia concedi; quae enim in vitis sanctorum, qui missionibus inter infideles, rudium institutioni, curae infirmorum aliisque caritatis operibus sese integros dederunt, de extraordinariis, quos pertulerunt, laboribus et de extraordinariis, quos collegerunt, fructibus legimus, explicari vix ac ne vix quidem possunt, nisi Spiritum S. eos extraordinario dono ad ista munera obeunda idoneos reddidisse admittamus.

Ultimo in loco Apostolus genera linguarum ponit, ut dono huic, quod Corinthii aliis omnibus praetulerunt, non nimium pretium attribuendum esse innueret (*cfr ad* 14,1 sqq.).

Magnam esse charismatum varietatem nonnullis enumeratis Apostolus ostendit; hinc nunc etiam varietas membrorum corporis mystici exoritur, quia non omnes omnia obtinent; singulis enim singula conceduntur, ut ita ex variis membris, quae suam quodque specialem operationem habent, corpus Ecclesiae constituatur : 29. *Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores?* 30. *numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam* (lege : gratias χαρίσματα) *habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* Multis suis interrogationibus Paulus ea, quae de varietate membrorum in corpore humano dixerat (17-19) in memoriam revocat, ut ex sua allegoria doctrinae practicae, quas proponere voluit, facilius colligantur. Sicut in physico, ita in mystico corpore varietas membrorum requiritur, neque magis, quam omnia membra oculi aut aures, fideles omnes apostoli aut prophetae etc. esse possunt. Porro Deus, ut omnibus corporis indigentiis consuleret, varietatem membrorum sapientissime instituit singulis proprium locum et officium assignans; sapientissime quoque Spiritus S., ut Ecclesiae incremento, progressui, utilitatibus omnibus prospiceret, varia esse voluit charismata eaque inter fideles ita distribuit, ut omnes fratrum suorum auxiliis indigentes arctiore inter se vinculo colligarentur. Demum Deus *prout voluit* (*v.* 18) singula membra disponens variisque muneribus adaptans corpus ita temperavit, ut omne schisma evitaretur et singula membra ad totius corporis bonum conspirarent; simili modo Spiritus S. *prout vult* (*v.* 11) dona sua singulis fidelibus dividens eo tendit, ut mutuae invidiae mutuique contemtus causis sublatis alii alios sublevent et sustentent. Qui maiora igitur accepisse sibi videtur, ne glorietur neve alios despiciat; qui minora se accepisse putat, ne contristetur neve aliis invideat; sicut

humani corporis membra voluntati Dei acquiescunt, membra mystici corporis Christi acquiescant necesse est voluntati Spiritus S. dividenti singulis prout vult.

II. — *De charismatum ad caritatem relatione* (12,31-13,13).

Apostolus, licet neophytos donis acceptis contentos esse iubeat, meliora tamen eos desiderare et quaerere non vetat; immo ut utiliora aemulentur cupit, sed ante omnia excellentiorem viam, qua sola ad veram perfectionem adducantur, eos ingredi vult, viam nimirum caritatis. Quare antequam de illis donis, in quibus comparandis et aestimandis Corinthii magnopere errabant, uberius et accuratius agat, excellentiorem hanc viam eis commendat; praeprimis igitur summa charismata, nisi cum caritate coniuncta sint, homini qui iis sit instructus nihil prodesse ostendit (12,31-13,3), deinde caritatem solam tot insignem esse dotibus docet, ut omnium virtutum quasi mater sit et radix (13,4-7), eam demum solam charismatis omnibus pereuntibus semper esse mansuram addit (13,8-13). Intime igitur haec pericopa cum tractatu de charismatis cohaeret; nam quo in pretio gratias gratis datas haberi oporteat edocens neophytos ab inordinato eorum studio revocat.

1. *Quid sine caritate valeant charismata* (12,31-13,3).

12,31. ***Aemulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.*** 13,1. ***Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens.*** 2. ***Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam : et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.*** 3. ***Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.***

12,31. Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ μείζονα. καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι. 13,1. ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ καὶ τῶν ἀγγέλων, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, γέγονα χαλκὸς ἠχῶν ἢ κύμβαλον ἀλάλαζον. 2. καὶ ἐὰν ἔχω προφητείαν καὶ εἰδῶ τὰ μυστήρια πάντα καὶ πᾶσαν τὴν γνῶσιν, καὶ ἐὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν ὥστε ὄρη μεθιστάναι, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, οὐδέν εἰμι. 3. κἂν ψωμίσω πάντα τὰ ὑπάρχοντά μου, καὶ ἂν παραδῶ τὸ σῶμά μου, ἵνα καυχήσωμαι, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, οὐδὲν ὠφελοῦμαι[1].

Allegoria sua fideles exhortans, ut Spiritui S. charismata prout vult

1. *VV. LL.* — 12,31. τὰ μείζονα (maiora) B ℵ A C, paucissimi minusc. et PP., *Vulg.* (*Am.*) *Aeth.*; rectius : τὰ κρείττονα (*meliora*) D E F G K L P, fere omnes minusc. et PP., *It. Vulg. Copt. Arm.* etc. — 13,3. ἵνα καυχήσωμαι (ut glorier) B ℵ A, et *S. Hier.* (in Gal. 5,25); sed melius : ἵνα καυθήσομαι vel καυθήσωμαι (*ut ardeam*) C D E F G K L, fere omnes minusc. et PP. et versiones (*cfr* Comment.).

distribuenti acquiescant, Paulus inordinatum dumtaxat affectum reprimere voluit, quo alii ob splendidius, quod acceperant, donum gloriabantur, alii minus splendido non contenti fratribus splendidiora charismata invidebant; verum prohibere noluit, quominus ad *meliora* anhelarent. Quamvis enim dona omnia a libera Spiritus S. voluntate dependeant, pia tamen precatione ab eo impetrari possunt (*cfr* 14,13), atque certo quodam modo homo ad ea obtinenda etiam sese praeparare et disponere potest; nam improbis quidem interdum conceduntur, sed non est dubium, quin ab iis facilius obtineantur, qui vero eorum pretio cognito iuxta donatoris voluntatem ad utilitatem Ecclesiae se iis usuros esse promittunt. Hinc mirum non est, quod Apostolus Corinthios exhortetur : 31. *Aemulamini* (ζηλοῦτε) *autem charismata meliora*, sed etiam addat : *et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*. Formam ζηλοῦτε (*aemulamini*) esse imperativum, similis exhortatio (14, 1. 30) ostendit; immerito igitur aliqui, quia hanc exhortationem cum praecedente allegoria pugnare putarunt, vocabulum pro indicativo sumserunt phrasinque interrogative legerunt, ut sensus sit : « Charismata meliora desideratis? Libenter ad ea vos deducam viam altiorum donorum vobis demonstrans » (*Theod.*); aut : « Non obstante expositione mea adhuc meliora dona studiose quaeritis? Volo igitur excellentiorem viam vobis ostendere, quam si ingressi fueritis, maiore dono non indigebitis » (*Phot.* apud *Oecum.*). Quae explicationes non tantum, quia exhortatio nostra cum praecedente allegoria non pugnat, inutiles, et quia iuxta Pauli sententiam Corinthii eo usque *meliora* dona non quaesierant, erroneae, sed etiam tam coactae sunt, ut ex iunioribus paucissimi (*Iust.* etc.) eas adoptaverint. Neque cum aliis exhortationem hypotheticam dicere licet : « Si charismata quaeritis, quod non prohibeo, quaerite saltem meliora » (*Est. Men. Tir. Nat. Bisp. Dr.* etc.); nam haec quoque explicatio exhortationem absolutam cum superiore doctrina Apostoli de charismatis pugnare non recte supponit.

Neque tamen Paulus charismata ita appeti et quaeri iubet, ac si summi essent valoris; quin etiam aliud S. Spiritus donum eis ostendere vult, quo deficiente gratiae gratis datae ei, qui illas possidet, ad aeternam obtinendam salutem non inserviant. Itaque alterum *v.* 31. membrum transitus est ad sequentem tractatum de caritate, et quia prius *v.* 31. membrum infra (14,1) similibus verbis repetitur, caritatis commendatio digressio quaedam est, qua nimia charismatum aestimatio reprimitur et quid in vita christiana valeant indirecte edocetur.

In explicatione alterius membri (καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι) interpretes dissentiunt. Praetermittimus paucos acath. qui

vocabula καθ' ὑπερβολήν ad verbum δείκνυμι trahentes sequentem caritatis commendationem velut supervacaneam ab Apostolo designari putant (« quamvis id necessarium non sit, ex abundanti tamen vobis ostendo viam, qua nosse possitis, quae dona sint meliora » *Grot. Ew. Billr.*); nam nec aptus est sensus nec respondet vocabulis, quum καθ' ὑπερβολήν nusquam sit idem, quod ἐκ τοῦ περισσοῦ. Recte *Vulg.* et antiqui Graeci illam locutionem velut appositionem adiectivam cum substantivo ὁδόν coniunxerunt (*excellentiorem viam*); sed *Chrys.* cum reliquis Graecis et nonnullis modernis (acath. *Mey. Kl Br. Heinr.* etc.) caritatem velut excellentissimam viam laudari putant, qua ad meliora charismata vel ad meliorem charismatum usum perveniatur. Contra quae longe plerique (*Prim. Herv.* etc., *Thom.* etc., *Cai. Est. Lap.* etc., *Mai. Bisp. L R. Dr.* etc. — *God. Schn. Goeb.* etc.) eam cum charismatis comparari atque ceu excellentiorem viam eis praeferri recte censent. Neque enim de modo, quo charismata obtineantur, neque de meliore eorum usu in sequentibus Apostolus loquitur, sed charismatis caritatem absolute praefert. Quodsi obiicitur, in nostra explicatione Apostolum particulam adversativam (ἀλλά vel ὅμως) adhibere debuisse, coniunctivam aptissime adhiberi respondemus, quia oppositio non adest, sed gradatio : « exopto, ut meliora charismata aemulemini; *atque praeterea* (καὶ ἔτι) excellentius donum vobis ostendam, quod maiore cum contentione, donec illud assequamini, persequi debetis »[1].

Quae excellentior via est caritas, quam primo in loco ratione utilitatis cum charismatis comparans docet, ne summum quidem gradum eorum, nisi simul adsit caritas, ei, qui illis ornatus est, ullam utilitatem afferre. A dono igitur linguarum, quod in suis enumerationibus semper inter ultima nominavit, incipit, quia a Corinthiis summum habebatur (cfr *Theod.*) : 13,1. *Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum* (*velut*) *aes sonans aut cymbalum tinniens.* « Angelorum linguas dicit non sensibiles sed intelligibiles quasdam, quibus et universorum Deum laudant et inter se colloquuntur » (*Theod.* cfr *Thom.* etc.), easque commemorari censet *Cai.*, ut duobus linguarum generibus, intelligibili angelorum et sensibili hominum, omnis loquendi modus comprehendatur. Verumtamen quum angelis varias linguas attribuere non possimus, cum aliis Graecis (*Chrys. Theod. S. Basil.* ep. 204,1 etc.) multisque Latinis in

1. Cfr 14,1 διώκετε τὴν ἀγάπην, ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικά. Ea enim inter διώκειν (persequi, sectari) et ζηλοῦν (ardenter concupiscere) est differentia, ut ὁ διώκων rem persequi non cesset, dum eam attigerit, ὁ ζηλῶν ardenter quidem rem expetat sed ab ea assequenda difficultatibus absterreri possit.

hoc loquendi modo hyperbolen quandam agnoscere malumus, qua summus qui excogitari potest gradus doni linguarum exprimitur : « si tam praestante dono ornatus sim, ut non tantum omnium gentium linguis, sed etiam mysterioso illo modo, quo Angeli, Deum celebrare et laudare possim, eximium hoc charisma, si caritate caream, mihi utile non est ». Per metaphoram [1] inutilitatem designat : *factus sum* (et sum, γέγονα) *aes sonans aut cymbalum tinniens*. Omnimodam inutilitatem exprimi censet *Chrys.* cum multis, quia aes sonans, utpote res inanimata et mortua (cfr etiam *Thom.*), nec sibi nec aliis prosit; sed aes sonans, sive cum nonnullis aeris fragmentum, quod pulsatur, sive cum aliis instrumentum aeneum, velut tuba, intelligitur, sibi quidem non prodest, sed aliis interdum inservit iuxta antiquum proverbium : « campana homines in ecclesiam convocat, ipsa in eam non intrat ». Simili modo cymbalum tinnitus multos emittit, quibus hominum actiones reguntur, sed sibi ipsi non sonat (cfr *Cai.* etc.). Sola igitur propria utilitas negatur; atque revera exercitium gratiarum gratis datarum aliis magnae saepe utilitati est, licet ille, qui iis instructus est, ob caritatis defectum eorum usu nihil mereatur nec verum ex eis sibi colligat fructum.

At de cuius caritatis defectu Apostolus loquitur? Caritatem, qua proximum diligimus, insinuant dotes, quas Apostolus ipse ei attribuit (4-7), atque de hac sola loquuntur *Chrys. Theod. S. Basil.* (l. c.) aliique multi; dubium tamen non est, quin virtus theologica caritatis intelligatur, qua Deum propter ipsum nosque et proximos propter Deum diligimus; sed prior sententia a nostra non discrepat [2]. Diversa quidem sunt obiecta materialia caritatis, Deus, nos ipsi, proximi, at « ex una eademque caritate

1. Metaphoram in comparationem *Vulgata* particulam (*velut*) inserens transmutat; sed cum codd. graecis reliquae verss. particulam istam ignorant, eamque etiam *S. Aug.* (de Trin. 15,18) merito omittit. Licet inserta particula sensus phraseos vix mutetur, sermo tamen languidior redditur.

2. Cfr *S. Aug.* (Expos. ep. ad Gal. n. 45), ubi paulina verba (*Gal.* 5,13. 16 et *Rom.* 13, 8 sqq.) explicans : « Quum nonnisi in duobus praeceptis dilectionis Dei et proximi perfecta sit caritas, cur Apostolus et in hac et in illa epistola solam proximi dilectionem commemorat, nisi quia de dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant, in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum inique cum hominibus agunt? Consequens est autem, ut qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum diligit, diligat et proximum tamquam se ipsum, quia hoc iubet ille, quem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit. Item diligere proximum, i. e. omnem hominem, tamquam se ipsum, quis potest, nisi Deum diligat, cuius praecepto et dono dilectionem proximi possit implere? Quum ergo utrumque praeceptum ita sit, ut neutrum sine altero possit teneri, etiam unum horum commemorare plerumque sufficit, quum agitur de operibus iustitiae, sed opportunius illud nominatur, de quo quisque facilius convincitur. Unde Ioannes dicit : Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere (1 *Ioan.* 4,20)? »

Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum » (*S. Aug.* de Trin. 8,8).

Alteram quaestionem movet ***Est.***, utrum de virtute infusa caritatis sit sermo, an de « affectu sinceri amoris erga Deum ut summum nostrum bonum et erga proximum ex eodem affectu diligendum, cuiusmodi affectus etiam in bono catechumeno et in fideli poenitente Sacramentum desiderante et ad Dei amicitiam aspirante debeat agnosci ». Contra communem sententiam verba paulina de habitu caritatis, qui solis regeneratis et reconciliatis competat, intelligi negat; « quum enim, inquit, Apostolus nihil prodesse homini dicit, si caritatis expers omnia sua distribuat in pauperes et corpus suum flammis tradat (*v.* 3), non sentit, nihil prodesse, quod in bonis operibus christiane se exerceat, si nondum sit receptus in gratiam et amicitiam Dei, verum de eo loquitur, qui talia faciat non ex amore Dei et proximorum, sed gloriam captans humanam aut interim fraterno laborans odio, aut extra Ecclesiam schismati alicui inhaerens ». Itaque Paulus iuxta ***Est.*** hoc in loco actus discernit, prout ex bona aut ex mala intentione producantur. Quam explicationem erroneam esse, contextus docet. De eadem enim caritate per totam hanc pericopam agitur; atqui et dotes, quae caritati attribuuntur (4-7), et totam sequentem descriptionem ad solum caritatis habitum quadrare, nemo negaverit. Praeterea Apostolus varia Spiritus S. dona inter se comparat (***excellentiorem viam vobis demonstro***), sed nullo modo docere vult, qua ratione homo gratias gratis datas adhibere debeat. Comparatio demum ita instituitur, ut caritatem per se solam hominem ad vitam aeternam perducere, charismata vero, si a caritate sint avulsa, per se sola hominem ad vitam non iuvare appareat. Cum reliquis igitur tenendum est, eam intelligi caritatem, quae « inseparabiliter concomitatur gratiam sanctificantem » (*Thom.*), quae « vel idem est cum gratia sanctificante vel inseparabiliter ei annexa » (***Lyr. Dion.***), quae « dividit filios Dei a filiis perditionis » (*Cai.*) etc., uno verbo, quae « diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S., qui datus est nobis » (*Rom.* 5,5). Porro quod dona illa sine caritate nihil prodesse dicuntur, id ita intelligatur oportet, ut homo, qui in statu peccati est ac proin caritate caret, exercitio donorum illorum, etsi ex bona intentione agit, meritum proprie dictum non acquirat; recte ***Thom.*** : « nihil prosunt, quantum ad meritum vitae aeternae ». Sicut alia bona opera, quae a peccatore ponuntur, possunt hominem ad iustificationem disponere, sed « dispositio haec ipsa, nisi caritas sequatur, qua dispositio frustra est et nihil » (***Lap.***).

Eadem ratione alia charismata, quae summis iure adnumerantur, sese ad caritatem habent : 2. ***Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.*** Cum Graecis (*Chrys. Theod.* etc.) aliqui moderni quoque (*Mai. LR* etc. — *Mey. Kl Br. Schn.* etc.) duo tantum charismata, prophetiam et fidem

miraculorum, enumerari atque summum prophetiae gradum cognitione mysteriorum et possessione scientiae describi putant; at erronee. Etenim inconcinnam constructionem (siquidem scriptum non est : ὥστε εἰδέναι τὰ μυστήρια πάντα vel εἰδὼν τὰ μυστήρια) falsamque prophetiae definitionem haec explicatio supponit; nam *occulta cordis* quidem a prophetis cognoscuntur (14,25), nusquam vero mysteriorum cognitio et scientia eis attribuuntur; immo vero uti supra (12,8 sqq.) sapientia et scientia, ita infra (*v.* 8) scientia a prophetia diserte distinguuntur. Neque tamen, quia *v.* 8. sapientia omittitur, prius membrum (*si noverim omnia mysteria*) ad prophetiam trahere (*Heinr.* etc.) aut duo membra (cognitionem mysteriorum et scientiam) in unum coniungere (*Edw. God.*) licet; completam enim donorum catalogum nec *v.* 8. nec alibi Apostolus tradere vult paucorum exemplorum enumeratione contentus. Quatuor igitur charismata nostro in versu cum caritate comparantur (cfr *Thom. Cai. Est. Pic. Bisp.* etc. — *Goeb.* etc.) : prophetia, sapientia, scientia, fides miraculorum. Iam vero sermoni sapientiae, sermoni scientiae, fidei miraculorum tres primos locos Paulus in prima sua enumeratione assignavit 12,8), prophetas in secunda enumeratione (12,28) ipsis doctoribus, qui sermone scientiae ornati erant, praetulit; illa ergo quatuor dona, quae reliquis omnibus praestant, atque summum quidem eorum gradum, elegit, ut hominem, qui ea possideat, caritate autem careat, *nihil esse* diceret « secundum esse gratiae » (*Thom.*), « in esse divini consortii » (*Cai.*), « relate ad esse gloriae » (*Lyr.*) etc. ; quae explicationes omnes idem significant; caritas, quae aut ipsa est gratia sanctificans aut cum illa inseparabiliter coniuncta, est velut nova forma, qua homo nova fit creatura (*Gal.* 6,15 cfr 5,6).

Recte monet *Thom.* sapientiam et scientiam hic nominari, quatenus sunt gratiae gratis datae, quae absque caritate esse queunt, non vero eas hic eo sensu considerari, quo inter septem dona Spiritus S. vulgo enumerentur, quippe quae semper cum caritate sint coniuncta. Ceterum animadverte, iuxta Apostolum charismatum etiam summos gradus in homine inveniri posse, qui caritatem non possidet; illa enim constructionis hypotheticae forma utitur (ἐὰν... λαλῶ κτλ), quae absolutam rei possibilitatem supponit. Quare non satis recte *S. Basil.* (ep. 204,1 ; cfr etiam *S. Ambros.* ep. 78,7) haec quoque omnia per hyperbolen ab Apostolo ita dicta esse censet, ut « nihil eorum, quae commemorata sunt, umquam sine caritate praestari possit »[1].

1. Regulam a profanis observatam, ut in sententiarum hypotheticarum, quarum conditio nec vera est nec possibilis, priore membro indicativus temporis historici ita adhibeatur, ut

A summis charismatis, quorum exercitium maiorem admirationem plerumque provocat, Paulus ad illa transit, quae quum hominem ad proximos in rebus quotidianis iuvandos idoneum reddant, minorem quidem admirationem excitant sed virtutibus sunt similiora. 3. *Et si distribuero in cibos pauperum*[1] *omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum* (*ita*) *ut* (ἵνα) *ardeam* (rectius : si tradidero corpus meum ad combustionem), *caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Iuxta plerosque interpretes hac sententia docetur, « non solum charismata, quae proprie non sunt virtutes, quibus homo bonus efficitur, sed et opera virtutum, quantumvis speciosa ac suo genere praeclara et ardua sint, nihil homini ad salutem prodesse, si desit caritas illa, quae praestat, ut Dei gloria quaeratur imprimis et salus proximorum » (*Est.*). At etiam hoc versu de charismatis agi iure merito censet *S. Aug.* (Quaest. ad Simpl. II. 1,8), siquidem cur Apostolum relictis charismatis ad rem prorsus diversam transiisse statuatur, nulla est ratio. Nihilominus cum Augustini sententia apte componitur prior, si de eiusmodi virtutum operibus sermonem esse admittimus, quae radicem suam non in inclinatione quadam naturali ac multo minus in habitu supranaturalis cuiusdam virtutis, sed in gratia quadam gratis data habent. Minime vero nobis probatur tertia sententia, quae nescio quomodo multis placere potuerit (cfr *Theod.* etc., *Thom.* etc., *Est.* etc., *Mai. LR* etc. — *Kl Br. God. Heinr.* etc.) : opera scilicet, de quibus sermo est, ideo nihil valere dicuntur, quia mala quadam intentione sint vitiata; namque opera, quae ex vanae gloriae studio aut ex simili pravo affectu procedunt, etiamsi cum habitu caritatis coniuncta essent, ad salutem non magis conferrent, quam si caritas deesset. Quapropter etiam antiquiorum codicum graec. lectio (ἵνα καυχήσωμαι, ut glorier), quam *S. Hier.* praetulit (cfr *VV. LL.* : « si corpus meum eo fine tradidero, ut glorier »), utpote inepta, a limine est reiicienda. De operibus per se quidem bonis agitur, quae tamen, si caritas et gratia sanctificans desint, eadem ratione, qua reliquorum charismatum exercitium, merito proprie dicto carent.

Quemadmodum supra (*ad* 12,8 sqq.) iam monuimus, Apostolus et in hac epistola (12, 28) et *Rom.* 12,8 inter gratias gratis datas etiam recenset *opitulationes* (ἀντιλήμψεις), *distributionem* (μετάδοσιν), *mise-*

ci in apodosi temporis hist. indicativus cum ἄν respondeat, etiam scriptores Novi Test., atque praeprimis Paulus sequuntur (cfr 2,8; 11,31 etc. *Rom.* 9,29 etc.; *Gal.* 1,10 etc.; *Hebr.* 8,4 etc.). Contra vero ἐάν cum coni. rem ponit velut obiective possibilem; atque id etiam obtinet *Gal.* 1,9, licet Paulus ibi ad solam *absolutam* possibilitatem attendat a praesente rerum ordine abstrahens.

1. Vox *pauperum* exsulat quidem a textu graeco (ἐὰν ψωμίσω πάντα τὰ ὑπάρχοντά μου), quum ψωμίζειν nihil sit nisi *cibum praebere*, sed explicationis gratia recte est addita

ricordiam (ἐλεημοσύνην), **atque de his donis, quae inter se vicina sunt ita ut primum velut genus duo alia complectere videatur, nostro in versu agi arbitramur; sicut autem priorum, ita etiam horum charismatum summus gradus supponitur. Non desunt homines, quibus natura tantam indidit misericordiam, ut pauperem videre nequeant, quin eum iuvare impellantur, aliique tam magno animo sunt praediti, ut summo vitae propriae periculo spreto proximos periclitantes salvare quasi spontanei conentur. Iam vero quod illi a natura habent, id Spiritus S. aliis dono gratis dato conferre potest : atqui si quis dono distributionis ornatus omnes suas facultates in cibos pauperum distribueret aut misericordiae charismate motus se ipse flammis obiiceret, ut fratrem in periculo versantem eriperet, opera haec, quamvis sint splendida et ardua, deficiente caritate non essent meritoria.**

Plerique interpretes in secundo membro de martyrio sermonem esse putant, quo aliquis « data optione, ut aut Christum neget aut ignem patiatur, potius ignem pati et igne consumi, quam Christum negare eligit » (*Est.*); sed quum martyrium ex quacumque virtute susceptum gratiam sanctificantem, etiam primam, ac proinde caritatem, quasi ex opere operato conferat, magnam inveniunt difficultatem, ut explicent, quomodo Paulus martyrium sine caritate esse posse dicat. Hinc alii nihil nisi hyperbolam agnoscunt (*Chrys.* etc.), at constructionis hypotheticae forma hanc explicationem excludit. Alii de martyrio materiali agi censent, quum quis ex prava intentione (vanae gloriae studio etc.) illud subeat aut etiam in ipso martyrio voluntatem peccandi mortaliter retineat (*Herv. Thom.* etc.); at eiusmodi opus peccaminosum quodomo hoc in loco afferri potuit? Quae difficultates omnes evitantur, si de morte propter fidem subeunda sermonem esse negamus; revera ne minimo quidem verbulo Apostolus indicat, se de martyrio proprie dicto loqui; ob multas causas non malas homines sese vitae periculo obiicere possunt.

2. *Quid caritas valeat, etsi charismata non adsint* (13,4-7).

13,4. ***Caritas patiens est, benigna est : caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, 5. non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, 6. non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati : 7. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.***

13,4. Ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ, χρηστεύεται. ἡ ἀγάπη οὐ ζηλοῖ, οὐ περπερεύεται, οὐ φυσιοῦται, 5. οὐκ ἀσχημονεῖ, οὐ ζητεῖ τὸ μὴ ἑαυτῆς, οὐ παροξύνεται, οὐ λογίζεται τὸ κακόν, 6. οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ· 7. πάντα στέγει, πάντα πιστεύει, πάντα ἐλπίζει, πάντα ὑπομένει[1].

1. *VV. LL.* — 4. In repetendo et ponendo subiecto (ἡ ἀγάπη) magna est codicum varietas; illam retinemus lectionem, quam cum *Vulg. Clem.* consentiens B tradit; reliquas non recensemus, quia omnium idem est sensus. — 5. τὸ μὴ ἑαυτῆς (quae sua *non* sunt) B et cum eo consentiens *Clem. Alex.* (Paed. III. 1); communior tamen est lectio τὰ ἑαυτῆς (*quae sua sunt*); utraque apta est (*cfr* Comment.).

Charismata quaecumque, sive prodigiosis producendis, sive proximorum bono spirituali aut temporali promovendo sunt destinata, homini, qui illis est ornatus, utilitatem non praestant, si a caritate sunt separata; caritas vero, etiamsi desint charismata, semper ad salutem est utilis. Quod alterum ut ostendat, S. Paulus dotes nonnullas caritatis recenset, quibus eius praestantia innotescat; quasi radix enim, vel si mavis, quasi forma reliquarum virtutum describitur, ita ut per eam omnia opera virtutis impleantur (cfr *Thom.*). Quia vero caritas erga Deum et caritas erga proximum tam arcte sunt connexae, ut una sine altera non inveniatur, de caritate erga Deum autem homo et sese ipsum et alios facilius decipere potest (*cfr ad v.* 1), Apostolus characteres caritatis erga proximum enumerat, ut fideles simul diiudicent, num dono tam necessario sint praediti; praemittit duas dotes generales (*v.* 4), subiungit speciales, nimirum octo negativas (4-6) et quinque positivas (6. 7). In qua enumeratione caritas quasi in personam constituitur, eaque, quae homo caritate praeditus secundum eam operatur, caritati ipsi attribuuntur.

« Omnis virtus, inquit *Thom.*, consistit in hoc, quod aliquis bene se habet in sustinendo mala et in operando bona »; unde duae dotes generales : 4. *caritas patiens est, benigna est.* Vocabulo μακροθυμεῖν, quo prima designatur, nec antiqua (*magnanimis est* cfr *Tert.* de pat. 12 etc.) nec nova versio latina (*patiens est*) plane respondet, quamvis Vulgatae lectio in eumdem sensum trahi possit; longanimitas enim designatur, qua homo omnia mala ita perfert, ut ad impatientiam vel iram non proripiatur. Porro quod attinet ad bona, caritas χρηστεύεται i. e. aliis, quibuscum omnia quae habet communicat, utilis (χρηστός) est; eundem sensum *Thom.* latinae lectioni (*benigna est*) recte attribuit sed etymologia non minus mira quam erronea confirmat : « benignitas dicitur quasi *boni igneitas,* ut scilicet, sicut ignis liquefaciendo effluere facit, ita caritas hoc efficit, ut homo bona quae habet non sibi soli retineat, sed ad alios derivet ».

Sequuntur octo characteres negativi : *caritas non aemulatur, non agit perperam* (περπερεύεται), *non inflatur,* 5. *non est ambitiosa* (οὐκ ἀσχημονεῖ indecore non agit), *non quaerit quae sua sunt* (vel : quae sua non sunt), *non irritatur, non cogitat malum* (οὐ λογίζεται τὸ κακόν non imputat malum), 6. *non gaudet super iniquitate.* Quae alibi generali sententia dixit : dilectio proximi malum non operatur (*Rom.* 13,10), ea Apostolus nonnullis exemplis quasi illustrat. Subtilius et argutius quam verius (quia genuinum vocabulorum sensum ex latina versione sola haurire non potuit) *Thom.* illas dotes ita dis-

tribuit, ut duae priores de malis erga proximum commissis agant, reliquae de malis, quae homo sive superbia (3ª,4ª), sive concupiscentia (5ª), sive ira (6ª), sive prava electione (7ª,8ª) contra se ipsum committat. Sed certus ordo vix invenietur, licet tres priores, quum ad superbiam referantur, arctius inter se cohaereant. Praeprimis caritas οὐ ζηλοῖ, *non aemulatur;* utrumque verbum, graecum et latinum, (uti substantivum ζῆλος *cfr ad* 3,3) quum bono (12,31; 14,1 etc.) tum malo sensu (*Act.* 7,9; *Iac.* 4,2) usurpatur; invidiam, qua homo de alterius bono, quo gloriam propriam diminui putat, contristatur, hoc loco designat. Difficilius dictu est, quid verbum περπερεύεσθαι significet, quod *Vulg.* videtur retinuisse (*non perperam agit*). Iuxta *Chrys.* idem est quod « praecipitanter agere, levem esse rerumque novarum studiosum », iuxta *Theod.* « curiose scrutari quae non attinet »; iuxta *S. Basil.* (Reg. brev. 49) « quod non ob necessitatem, sed propter ornatum ex iactantia assumitur, id velut περπερεία vituperatur », atque etiam iuxta *Clem. Alex.* (Paed. III, 1) περπερεία nostro in loco significat « ornatum superfluum et inutilem ». Apud profanos ὁ πέρπερος saepe est nugator arrogans (*Polyb.* 32,6,5.; 40,6,2 etc.) atque Cicero in epistola latina (ad Att. I. 11) graecum verbum περπερεύεσθαι retinens ei sensum iactandi et ostentandi attribuit; a quo sensu *Tert.* (de pat. 12) non longe abest, si nostram sententiam vertit: *non protervum sapit.* Iactantiae igitur potius, quam levitatis, significationem voci competere arbitramur, ita ut apte cum tertio membro οὐ φυσιοῦται (*non inflatur*) coniungatur : nec verbis nec cogitatibus supra alios sese extollit ille, qui caritatem possidet.

Apte quoque quartum his adiungitur, sive hodiernam Vulg. sequentes legimus *non est ambitiosa*, sive graecam lectionem praeferimus οὐκ ἀσχημονεῖ (*non indecore agit*); superbus enim et inflatus regulis, quas decor et modestia praescribunt, violatis proximum offendere non veretur. Cum superbia etiam propriae utilitatis cura et cupiditas inordinata cohaeret, quae quinto membro excluditur : *non quaerit quae sua sunt;* quam sententiam praecisive intelligendam esse monet *Thom.*, i. e. « non quaerit quae sua sunt, neglectis bonis aliorum; nam qui diligit alios sicut se ipsum, bona aliorum quaerit sicut et sui ipsius ». Ad avaritiam tamen sententia trahenda esset, si cum cod. Vat. legere liceret : οὐ ζητεῖ τὸ μὴ ἑαυτῆς (non quaerit quae sua *non* sunt); quae in verba *Clem. Alex.* (Paed. III. 1.) : « quod alienum est quaerit ἡ φιλοκοσμία (dilectio mundi), quae a Deo et a Verbo et a caritate longe abest ».

Characteres hucusque recensiti internum potius animi statum respiciunt, tres ultimi externam morum rationem attingunt: caritas *non irritatur* (οὐ παροξύνεται) iniuriis illatis exardescens; *non cogitat malum* vel rectius: *non imputat malum* sibi illatum, sed « ignoscit iniurias inferentibus non malo animi affectu eos ductos esse existimans » (*Theodor.*). Latina versio non satis accurata, quia articulum negligit (οὐ λογίζεται τὸ κακόν), duplici modo explicari solet: « caritas non permittit excogitari, qua ratione aliquis malum facere possit », vel « non permittit variis suspicionibus et temerariis iudiciis malum in proximo quaeri ». Demum *non gaudet super iniquitate*, ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ scilicet, quam in aliis videt, sed « odit iniusta » (*Theod.*). Minus recte *Chrys.* de invidorum gaudio sermonem esse putat, qui uti aliorum prosperis rebus contristantur, ita adversis eorum rebus laetantur.

Ultimum membrum negativum oppositione quadam ad positivos caritatis characteres orationem traducit: non tantum enim de iniustitia non gaudet caritas, *sed congaudet veritati.* Veritatem, utpote quae iniustitiae opponatur, multi hic intelligunt moralem, i. e. iustitiam, unde *Chrys.* explicat: « gratulatur iis, qui bene agunt ». Rectius tamen, ni fallor, veritatem proprio sensu intelligimus, quae hic, aeque ac caritas, in personam constituitur atque gaudet, si finem suum attingit, i. e. ab omnibus cognoscitur et agnoscitur; cum ea autem gaudet caritas, quia veritatis regnum propagari videt. Porro 7. *omnia suffert*, vel rectius *omnia occultat* vitia proximorum et errata (πάντα στέγει). Verbum στέγειν plerumque quidem in Novo Test. sustinendi vel ferendi significationem habet (9,12; 1 *Thess.* 3,1. 5), sed Alexandrinis idem quoque est, quod celare vel occultare (*Eccli.* 8,20); quem alterum sensum hic praeferimus, quia ultimo membro caritatem omnia sustinere repetitur. Demum tria ultima membra (*omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*) aliqui interpretes cum *S. August.* (Serm. 350,3 etc.) et *Thom.* de relatione nostra ad Deum explicant, siquidem caritas promtos nos reddit ad omnia credenda, quae Deus revelavit, ad omnia speranda, quae promisit, ad promissa patienter exspectanda, si ea differre voluerit. Praeferenda tamen Graecorum videtur interpretatio, qui haec quoque ad proximum referunt: sine diffidentia ille, qui vera caritate instructus est, admittit verba proximi, ita tamen ut haec credulitas prudentiam non excludat; etiam optima quaeque de proximo sperat; etiamsi eum forte nunc male agere videt, de eius salute non desperat sed quidquid potest libenter suscipit, ut eum ad meliorem frugem reducat. Demum omnia mala cuiusque generis non minus fortiter quam patienter sustinet, neque ulla calamitate

perterritus aut fractus ὑπομένει, sub onere imposito perdurat, donec Deus eum liberare voluerit[1].

Inter modernos interpretes pauci (cfr *Mai.* — *God.*) Paulum in hac caritatis descriptione illos defectus, quibus fideles corinthii laborabant, notare voluisse censent; at inter se quam maxime dissentiunt, si certae alicui doti recensitae defectum ab Apostolo vituperatum opponere volunt : si caritas non indecore agere dicitur, iuxta alios Paulus mulieres sine velo orantes, iuxta alios eos, qui dono linguarum non recte utebantur, iuxta alios eos, qui coram ethnicis iudicibus lites agebant etc., prae oculis habuit; si caritas non inflari dicitur, alii de auctoribus schismatum, de quibus in prima epistolae parte agitur, alii de glossolalis agi volunt etc. Quae omnia arbitrarie asseri, clarum est; procul dubio inter defectus ab Apostolo notatos aliqui etiam inter neophytos corinthios, sicuti in aliis ecclesiis, inveniebantur, sed in eos inquirere prorsus inutile est, quum ad loci explicationem coniecturae istae non conferant.

3. *Caritas aeternitate sua charismata superat* (13,8-13).

13,8. *Caritas numquam excidit: sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur.* 9. *Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus.*

8. Ἀγάπη οὐδέποτε πίπτει· εἴτε δὲ προφητεία, καταργηθήσεται· εἴτε γλῶσσαι, παύσονται· εἴτε γνῶσις, καταργηθήσεται. 9. ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν καὶ ἐκ μέρους προφη-

1. Praeclaram hanc caritatis descriptionem, cui hymni caritatis nomen aliqui non immerito imposuerunt, imitatus iam est *S. Clem. Rom* (1 *Cor.* 49) : « Vinculum caritatis Dei quis potest enarrare? Quis pulchritudinis eius magnificentiam eloqui potest? Altitudo, ad quam caritas nos evehit, inenarrabilis est. Caritas nos Deo agglutinat; caritas multitudinem peccatorum tegit; caritas omnia sustinet, omnia patienter tolerat; nihil sordidi in caritate, nihil superbi. Caritas schisma ignorat, seditionem non movet, omnia in concordia facit; in caritate omnes electi Dei sunt perfecti, sine caritate Deo nihil acceptum est. In caritate nos Dominus sibi assumsit; propter caritatem, quam erga nos habuit Dominus N. Iesus Christus voluntate divina sanguinem suum pro nobis tradidit et carnem pro carne nostra et animam pro animabus nostris ». Atque certo quodam modo eam imitatus etiam est *S. Aug.* (Serm. 350,3) simul Pauli verbo explanans; paucas tantum eius sententias exempli gratia adscribam : « Quapropter, fratres, sectamini caritatem, dulce ac salubre vinculum mentium, sine qua dives pauper est et cum qua pauper dives est. Haec in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentationibus tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres laetissima, inter falsos patientissima... Quid tam *magnanimum*, quam pro impiis mori? quid tam *benignum*, quam inimicos diligere? Sola est, quam felicitas aliena non premit, quia *non aemulatur;* sola est, quam felicitas sua non extollit, quia *non inflatur;* sola est, quam conscientia mala non pungit, quia *non agit perperam.* Inter opprobria secura est, inter odia benefica est, inter iras placida est, inter insidias innocens; inter iniquitates gemens, in veritate respirans. Quid illa fortius non ad retribuendas, sed ad non curandas iniurias? Quid illa fidelius non vanitati, sed aeternitati? Nam ideo *tolerat omnia* in praesenti vita, quia *credit omnia* de futura vita, et suffert omnia, quae hic immittuntur, quia *sperat omnia*, quae ibi promittuntur; merito numquam cadit » etc.

10. Quum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. 11. Quum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli. 12. Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. 13. Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria haec; maior autem horum est caritas.

τεύομεν· 10. ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται. 11. ὅτε ἤμην νήπιος, ἐλάλουν ὡς νήπιος, ἐφρόνουν ὡς νήπιος, ἐλογιζόμην ὡς νήπιος· ὅτε γέγονα ἀνήρ, κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου. 12. βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην. 13. Νυνὶ δὲ μένει πίστις, ἐλπίς, ἀγάπη, τὰ τρία ταῦτα· μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη[1].

Hymno, quo caritatem velut aliarum virtutum animam celebravit, Apostolus non contentus tertiam eius laudem affert. Caritatem enim in aeternum duraturam, charismata peritura esse docet (*v.* 8); quin etiam fieri non posse, ut charismata maneant, ex essentiali eorum imperfectione deducit (9-12); iure igitur eis praefertur caritas, quum aliis quoque virtutibus theologicis sit praestantior (*v.* 13).

Sermonem asyndete continuans, ita ut haec sectio velut parallela duabus prioribus (1-3, 4-7) accedat, thesin suam statuit: 8. *Caritas numquam excidit: sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur:* quae sententia rectius interpungitur et iuxta textum graecum accuratius redditur: *caritas numquam excidit; sive autem* (sunt) *prophetiae, evacuabuntur; sive* (sunt) *linguae, cessabunt; sive* (est) *scientia, evacuabitur.* Non illud igitur solum charisma, quod Corinthii summum esse (erronee) putabant (*linguae*), sed duo illa quoque, quae summis recte accensentur (*prophetia* et *scientia*), ac proinde etiam omnia inferiora eiusdem generis dona interibunt.

1. *VV. LL.* — 8. ἀγάπη sine articulo solus B, reliqui omnes cum recte addunt. — οὐδέποτε πίπτει (numquam cadit) B ℵ A C, pauci minusc., aliqui PP., *It.* (*S. Aug. Alter* etc.); non mutato sensu reliqui omnes: οὐδέποτε ἐκπίπτει (*numquam excidit*). — εἴτε δὲ προφητεία vel προφητεῖαι (sive autem prophetia vel prophetiae) B ℵ A E L, plerique minusc., *It.* (S. Aug.) *Syr. Goth.*; particulam δέ omittunt C D F G K P, pauci minusc., *Vulg. Copt. Arm.*; rectius retineri videtur. Singularem προφητεία, καταργηθήσεται solus exhibet B; cum reliquis retinendus est pluralis. — In sequente autem membro rectius retinetur singularis (εἴτε γνῶσις, καταργηθήσεται) cum B D K L, plerisque minusc., omnibus verss., licet pluralem habeant ℵ A F G et aliqui minusc. — 10. τὸ ἐκ μέρους (*quod ex parte est*) sine particula praemissa B ℵ A D E F G P, pauci minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth. Goth.*; superflue *textus recept.* praemittit τότε (tunc) cum K L, plerisque minusc., *Syr.* — 11. ὅτε ἐγενόμην (quando factus sum) solus B, reliqui omnes: ὅτε γέγονα. Post quae verba particulam adversativam omittunt B ℵ A D, pauci minusc., nonnulli codd. *Vulg.* (*Am. Tol. Harl.*); sed cum reliquis testibus rectius inseritur particula δέ (*quando autem factus sum vir*). — 12. βλέπομεν γάρ (videmus enim) est communior lectio, quam etiam habent *It. Syr. Copt.* etc.; sed particulam γάρ omittunt D E F G, *Vulg. Goth. Arm.*

Quo sensu caritas non cadere vel excidere dicatur, ex membris oppositis elucet; « non labitur, sed semper manet firma et stabilis et immobilis et perennis » (*Theod.*). Quam stabilitatem et perennitatem tamen non ita intelligere licet, ut caritas animo semel infusa peccato mortali amitti non posse putetur; haec enim interpretatio non tantum aliis Scripturae locis (*Apoc.* 2,4 etc.) excluditur, sed etiam intentione Apostoli refellitur, qui de cessatione charismatum propter peccatum non loquitur, sed illa propter supervenientem gloriam peritura docet; caritas igitur eo sensu non cadit, quod eadem, quae in statu viae est, in statu patriae sit mansura (cfr *Thom.* etc.). Iam vero charismata omnia, quum summa tum infima, plane peritura esse, docent verba (καταργεῖσθαι, παύεσθαι), quibus Paulus utitur[1]. Pluralis *prophetiae*, id quod ex oppositione ad caritatem iam intelligitur, varia vaticinia, « propheticas praedictiones comprehensis etiam expositionibus mysteriorum » (*Est. Mai.* etc.) non designat, sed ipsum donum propheticum, eadem ratione, qua pluralis *linguae* varias linguas, quibus glossolali utuntur, non significat, sed donum linguarum; pluralis enim adhibetur, quia charismata omnia nec eodem modo nec eodem gradu fidelibus conferebantur, ita ut eiusdem doni variae quasi essent species; quapropter lectio γνώσεις (*scientiae*) quoque, si testimonia critica sufficerent, probari posset. Scientiam vero, quae destructum iri dicitur, esse charisma aliquoties iam nominatum (12,8; 13,2), integer contextus demonstrat; a genuina igitur interpretatione aliqui antiquiores (cfr *Thom. Lyr.* etc., *Est.* etc.) aberrarunt, qui his verbis innixi inquirunt, an et quomodo habitus scientiae in hoc mundo acquisitae in altera vita sit permansurus; de hac enim quaestione Paulus non agit. Attamen nomen scientiae latiore quodam sensu sumi videtur, ut praeter donum scientiae etiam donum sapientiae includat (*cfr* 14, 6); quae enim statim afferuntur, non minus de sapientia quam de scientia valent.

Quoniam charismata a Spiritu S. ad utilitatem Ecclesiae (12,7) ita dantur, ut fideles ea non tam ad propriam utilitatem quam ad fratrum salutem promovendam adhibere possint, consequens est, ut cessent, quam primum finis, ob quem dantur, ipse cessat. Praesenti igitur soli statui Ecclesiae conveniunt, neque eis amplius post secundum Christi

1. Verbum καταργεῖν solus fere Paulus inter Novi Test. scriptores adhibet (semel tantum *Luc.* 13,7 illud usurpat) eoque semper completam destructionem vel cessationem non sine emphasi quadam exprimit (cfr 2 *Thess.* 2,8; *Eph.* 2,15; 1 *Cor.* 6,12; 15,26 etc.). Vulgatus interpres illud reddit verbis *evacuandi* et *destruendi*, quae in nostro loco quasi coniunxit. Alterum verbum παύεσθαι tantam quidem emphasin non habet, sed etiam completam et absolutam cessationem exprimit (*Luc.* 8,24; *Act.* 20,1 etc.).

adventum in Ecclesia triumphante locus est; ob eandem quoque rationem hac in vita tantum fideles ea obtinent, « futura quippe vita illis non indiget; rebus enim praesentibus, supervacanea est prophetia, inutiles etiam erunt linguae sublata earum differentia, cessat scientia quoque minor, quando maior conceditur » (*Theod.*). Apostolus tamen non ex futura donorum inutilitate, sed ex intrinseca eorum imperfectione futurum eorum interitum demonstrat, minoribusque charismatis praetermissis ipsa summa dona scientiae (sapientiaeque) et prophetiae adveniente perfectiore statu interitura esse docet (9. 10) et similitudinibus illustrat (11. 12).

9. *Ex parte enim cognoscimus* (γινώσκομεν, quod rectius hic vertimus : *scimus*, ut de dono *scientiae* γνώσεως sermonem esse pateat) *et ex parte prophetamus;* 10. *quum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Quoniam locutiones *ex parte* et *perfectum* inter se opponuntur, dubium non est, quin *ex parte* hoc in loco sit idem quod *imperfectum*. Scientiam autem nostram omnem atque illam quoque, quae tamquam gratia gratis data a Spiritu S. in hac terra conceditur, imperfectam esse, facile apparet. Etenim donum scientiae lato sensu sumtum ita ut sapientiam comprehendat, in eo est, ut homo a Spiritu S. illustratus omnia mysteria et dogmata fidei in eorum ordine et nexu ita cognoscat, ut et infideles et fideles doctrinas fidei docere possit. Fidei igitur innititur et a fide dependet; atqui fides ipsa, si cum visione Dei intuitiva comparatur, imperfecta est, quia nec omnes veritates apprehendit nec eas, quas apprehendit, sine obscuritate cognoscit; ergo scientiae quoque donum, quum eius obiectum sit limitatum et obscure cognitum, imperfecta sit oportet. Simili modo prophetiae donum imperfectum est, quia propheta illa sola profert, quae hic et nunc ad auditorum utilitatem ei a Spiritu S. suggeruntur, et omnia, quae profert, quia ipsa quoque fide nituntur et ad fidem referuntur, obscura sunt, seu ut habet *S. Thom.*, « quia prophetia est cum cognitione aenigmatica et figurali ». At quum venerit, quod perfectum est, i. e. quum fidei, per quam auctoritate divina nixi revelatas doctrinas obscure cognoscimus, visio beatifica successerit nosque lumine gloriae elevati primam veritatem atque in ea omnes veritates clare et distincte intueamur, scientia et prophetia, quae fidei innituntur et ad eam referuntur, sua sponte evacuabuntur et destruentur.

At nonne etiam caritas, qua Deum hac in terra diligimus, altera in vita cessabit, ut perfectiori caritati locum cedat? Namque nunc, sicut ex parte tantum scimus et prophetamus, etiam ex parte tantum diligimus, et quum

venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Iure ita argumentaremur, si cum *Chrys.* scientiam imperfectam, de qua agit Apostolus, gradu tantum a perfecta cognitione, quae in altera vita est, distingui diceremus. « Neque enim scientia destruetur, inquit, sed illa *ex parte* tantum scientia; non enim solum tot tantaque sciemus, sed multo plura ». At haec interpretatio a sensu Apostoli aliena est, quia res quaecumque, si in suo genere vel in sua specie perfectior fit, haud recte dicitur destrui. — *Estius* difficultatem effugit potius quam solvit, si scientiam et prophetiam non tam quia in se imperfectae sint, quam quia propter aliorum imperfectionem dentur, cessaturas arbitratur. « Donum scientiae ac prophetiae, inquit, nobis datur ob imperfectionem huius saeculi, quia per scientiam homines spiritualium rerum rudes ac rebus sensibilibus dediti, ad capienda fidei mysteria veluti manu ducendi sunt, per donum autem prophetiae de reconditis Scripturarum sensibus instituendi... Dona, quae dantur solum ad utilitatem aliorum, imperfectionem et inopiam monstrant, non eorum, in quibus sunt, sed aliorum, quibus erudiendis et instruendis inserviunt, ut linguae, scientia, prophetia aliaque dona superiore capite enumerata » (cfr *Gord. Dr.*). Procul quidem dubio etiam ex donorum in altera vita inutilitate eorum cessatio atque certo quodam modo eorum imperfectio apte demonstratur; sed uti supra iam monuimus, Apostolus hoc argumento praetermisso ex intrinseca donorum imperfectione ad eorum cessationem concludit; eum enim prophetiam et scientiam *in se* imperfectas dicere, ex eius verbis patet. — Integra difficultas evanescit, si animadvertitur, de maiore minoreve cognitionis perfectione in eadem specie non agi, sed de duabus cognitionis speciebus, quae inter se quasi opponuntur : hac in terra per fidem et dona scientiae prophetiaeque cognitio quidem supranaturalis habetur, sed *mediata et obscura* ideoque imperfecta; altera autem in vita cognitio supranaturalis habetur per intuitivam Dei visionem, *immediata* ergo *et clara distinctaque* ideoque perfecta. Aliter se res habet de caritate; eadem enim est caritas, qua Deum hac in terra et altera in vita diligimus, quia caritatis obiectum formale, bonitas sc. Dei supranaturaliter cognita, idem est in via et in patria; itaque gradu tantum et intensione caritatem praesentem a futura differre in promtu est (cfr *Thom. Cai. Salm. Lap.* etc., *M Ev. Ramb.* etc.).

Verba : *quum venerit, quod perfectum est,* cum omnibus antiquis et plerisque modernis cath. (*M Ev. LR, Bisp.* etc.) de statu gloriae explicavimus; inter modernos tamen unus alterve cath. cum plerisque acath. (*Mai.* — *Mey. Kl Br. God. Heinr.* etc.) ea de futuro statu Ecclesiae post secundum Christi adventum intelligunt. Quae duae sententiae, id quod iam supra innuimus, inter se haud difficile conciliantur; quod enim in tota Ecclesia Domino iudice adveniente locum habebit, id in singulis iustis in eorum morte, quamprimum in gloriam coelestem admissi Deum intuentur, iam verum erit. Ceterum antiquiorem sententiam iure praeferri ex sequentibus apparet, ubi Paulus de se ipso loquitur; non minus arbitrarie enim quam absurde supponunt moderni (*Mai.* — *Mey.* etc.), Apostolum Christum mox

ad iudicium venturum credidisse, et apostolico iam tempore gloriosi regni messianici initium exspectasse (*cfr ad* 6,14; 7,26 etc.).

Argumentum suum Apostolus similitudinibus illustrat : 11. *Quum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli.* Nonnulli interpretes tria verba loquendi, sapiendi, cogitandi tribus donis (linguarum, prophetiae, scientiae) antea nominatis (*v.* 8) ex ordine respondere atque ideo ab Apostolo adhiberi censent, ut istorum donorum abrogationem significent (*Oec. Theoph. Cai. — Beng. God. Heinr.* etc.). Sed quo cum iure id statuatur, non intelligo; siquidem in argumento (9. 10), quod illustratur, de dono linguarum non amplius est sermo, ac verba φρονεῖν et λογίζεσθαι nihil exprimunt, quod donis prophetiae et scientiae ita sit proprium, ut ea in memoriam revocet. Reliqui fere omnes generale principium, quo Pauli argumentatio nititur, imperfectum scilicet adveniente perfecto evacuari et destrui, relatione aetatis infantilis ad virilem illustrari recte tenent. *Infans* (νήπιος) enim non tam loquitur, quam balbutit, quia vocabula nondum scit, necdum vere sapit (φρονεῖν), quia res iuxta eorum pretium non aestimat sed omnia, quae ei offeruntur, stulte nullo adhibito iudicio approbat vel reprobat, necdum vere cogitat (λογίζεσθαι), quia rationis usum nondum habet; eius loquendi, cogitandi, sapiendi modus est imperfectissimus et adultorum risum provocat. Cui puerili aetati, si cum loquendi, sapiendi, cogitandi modo virorum comparatur, congruit obscura et imperfecta cognitio, quae per dona scientiae et prophetiae habetur, si cum clara et distincta cognitione beatorum confertur.

Id enim illustratur altera similitudine, quam Apostolus ipse statim explicat : 12. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Quodsi communior lectio graeca (βλέπομεν γάρ) genuina esset, hac comparatione praecedens confirmaretur; sed quia lectio Vulgatae, qua particula causalis omittitur, utpote sufficiente testium criticorum auctoritate munita (cfr *VV. LL.*), videtur praeferenda, haec sententia praecedenti rectius habetur parallela. Haud incongrue quoque *Thom.* Apostolum syllogismo uti censet, cuius Maior praecedente, Minor hoc versu continentur : « Adveniente perfecto cessat imperfectum; atqui praesens nostra cognitio est imperfecta, futura erit perfecta; ergo ». Imperfectionem autem et perfectionem cognitionis Apostolus metaphoris exprimit. *Nunc,* i. e. in hac vita, *per speculum in aenigmate* (δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι) videmus, *tunc,*

i. e. altera in vita, *facie ad faciem* videbimus; nunc ad res divinas cognoscendas instrumento quodam indigemus (*per speculum*), unde cognitio nostra est mediata tantum; altera in vita medio vel instrumento non amplius indigebimus, sed immediate Deum et in eo omnia intuebimur (*facie ad faciem*); hodie cognitio nostra est obscura (*in aenigmate*), tunc clara et distincta erit, quia facie ad faciem videbimus. Quae ita per metaphoras expressit, ea proprio sermone repetit : *nunc cognosco ex parte*, i. e. imperfecte, quia mediate dumtaxat et obscure, *tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*, sc. a Deo, qui me et omnia mea immediate, clare, distincte perspicit.

Ad uberiorem huius loci, licet admodum difficilis non sit, explanationem nonnulla addere haud alienum erit. Vocabulum graec. ἔσοπτρον a nonnullis modernis (acath. *Schoettg. Rück.* etc.) *specular* significare creditur, i. e. fenestra lapide speculari vel tabula cornea clausa, per quam, quum valde perlucida non sit, res non nisi obscure percipiuntur[1]. Simili modo *Est.* probabilius censuit, « Apostolum illud hac phrasi significasse, quod Latini dicunt *adspicere per transennam*, i. e. non prope, neque distincte, sed procul et summatim ac confuso modo rem aliquam spectare... Nam quod proprie *speculum* dicimus, claram, distinctam et expressam exhibet rei similitudinem » (cfr *Lap. Men. Tir. Nat. M Ev.* etc.). At eiusmodi specular Graecis erat διόπτρα, ἔσοπτρον vero, aeque ac κάτοπτρον, eis est speculum: antiquorum autem specula, quum essent metallica, claram et distinctam imaginem non exhibebant : « speculum, inquit *Chrys.*, visa exhibet utcumque ». Porro priorem speculi metaphoram non tam ad obscuram, quam ad mediatam cognitionem designandam adhiberi, praepositio διά insinuat; quae, si cum genit. coniungitur, saepe instrumentum etc. significat, quo aliquid fit; minus apte alii eam ita adhibitam dicunt, ut quasi idem quod *trans* significet, quatenus imagines, quae in speculo videntur, ex altera eius parte esse putantur; Paulus, si speculum velut instrumentum designare noluisset, procul dubio praepositione ἐν usus esset (cfr *Iac.* 1,23).

Obscuritatem porro praesentis nostrae cognitionis exprimit altera metaphora ἐν αἰνίγματι (*in aenigmate*). Aenigma proxime est *sermo* obscurus, at eo in loco, ad quem Apostolus evidenter respicit, ab Alexandrinis iam ad obscuram *visionem* refertur claraeque opponitur. Cfr *Num.* 12,6 sqq. : Ἐὰν γένηται προφήτης ὑμῶν Κυρίου, ἐν ὁράματι αὐτῷ γνωσθήσομαι καὶ ἐν ὕπνῳ λαλήσω αὐτῷ· οὐχ οὕτως ὁ θεράπων μου Μωϋσῆς... στόμα κατὰ στόμα λαλήσω αὐτῷ, ἐν εἴδει καὶ οὐ δι' αἰνιγμάτων (si fuerit propheta ex vobis Domino, in visione ei agnoscar et in somno loquar ei. Non sic famulus meus Moyses... *os ad os* loquar ei, in *specie* et non *per aenigmata* [ei apparens]), quibus in verbis εἶδος tamquam clara visio αἰνίγμασι, obscurae visioni, opponitur.

1. Cfr *Tert.* de anim. 53. « animae, velut per corneum specular, obsoletior lux rerum est ».

Iam vero mediata et obscura haec visio, uti recte antiqui et moderni tenent, est cognitio rerum divinarum, quae per fidem habetur : « utroque nomine (speculi et aenigmatis), inquit *Lomb.*, similitudines significantur, quae valent ad intelligendum Deum, licet obscure; nunc enim imagines veritatis per fidem videntur, tunc res ipsae »; quin etiam, ut accuratius loquamur, de sola cognitione, quae per dona scientiae et prophetiae nobis advenit, proxime sermo est; ex iis autem, quae supra diximus, satis patet, verba paulina de omni rerum divinarum cognitione hac in terra intelligi posse, ita ut supranaturalis hodierna nostra cognitio, quae est per fidem, supranaturali nostrae futurae cognitioni, quae erit per immediatam Dei visionem, opponatur. *Facie ad faciem* enim (πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, facies ad faciem versa cfr *Gen.* 32,31; Exod. 33,11 ἐνώπιος ἐνωπίῳ, פָּנִים אֶל־פָּנִים) i. e. nullo intermedio, sed immediate ideoque perfecte videbimus ea, quae nunc per speculum in aenigmate videmus.

Perfectionem deinde cognitionis futurae ultimum quoque membrum indicat : *cognoscam sicut et cognitus sum*. Neque enim verbum simplex, quo usus erat (γινώσκειν), Apostolus retinet, sed compositum (ἐπιγινώσκειν) adhibet, quod *accurate et plane cognoscere* significat; neque sicut de praesente cognitione modo activo utitur (ἐπιγινώσκω), quo labor quidam proprius continuusque progressus connotantur, sed medio (ἐπιγινώσκομαι), quo cognitio, quae plena possidetur, innuitur. Ut omnem demum imperfectionem excludat, futuram suam cognitionem cum aeterna Dei cognitione comparat : *sicut et cognitus sum*, cognoscam : « sine ullo medio offuscante seu diminuente notitiam, immo eodem medio; nam cognoscam Deum in ipsa deitate ut medio, quemadmodum ego cognitus sum a Deo in ipsa eadem deitate » (*Cai.*). Quae Pauli verba non ita quidem premenda esse patet, ut parem et aequalem nostram cognitionem divinae fore significent, sed eam in suo genere pro creaturarum capacitate tam perfectam fore docent, quam divina cognitio in suo genere perfecta est; neque de extensione maiore minoreve intelligi debent, sed de cognitionis modo, de quo agit cognitionem mediatam immediatae opponens. Non minus inutiliter igitur quam arbitrarie aliqui acath., ne nostra cognitio divinae aequalis diceretur, aoristum (ἐπεγνώσθην) pro futuro sumserunt, ita ut non de Deo cognoscente sed de aliis beatis, qui me cogniturі sint, sermo fiat (sicut ego cognitus fuero *ab aliis*, qui tunc longe aliter, quam nunc, de me sentient. *Seml. Storr* etc.), aut alii aoristo ἐπεγνώσθην significationem hophalicam (i. q. ἐδιδάχθην) attribuerunt (cognoscam Deum et res divinas *pro cognitione, qua me imbuerit Dominus Wolf. Ros.* etc.); ab ipsa enim grammatica hae explicationes respuuntur. Neque tamen cum aliis acath. significationem aoristi ita urgere licet, ut Apostolus ad conversionis suae tempus, quo a Deo cognitus sit, respicere dicatur (*Mey. Kl Br. Heinr.* etc.); quin enim de aeterna Dei cognitione, quam nos pro nostro cogitandi modo velut partim iam praeteritam consideramus, aoristus adhibeatur, nihil prorsus obstat; ab antiquorum igitur omnium et modernorum catholicorum inter-

pretum explicatione, quam aliqui etiam acath. retinent (*God. Ev.* etc.), recedere non licet.

At felix ille status nondum advenit : 13. *Nunc autem manent fides, spes, caritas : tria haec; maior autem horum est caritas.* Moderni interpretes non pauci (*Mai.* — *Mey. God. Heinr. Schn.* etc.) particulam νυνὶ δέ (*nunc autem*) non temporalem sed logicam esse putant, qua tribus charismatis in alteram vitam non permansuris tria alia dona, quae aeterna sint, opponantur. Eodem modo intellexisse textum videntur *S. Irenaeus* et *Tertullianus*[1]; *Photius* quoque particulam negat esse temporalem, neque tamen fidem et spem altera in vita mansuras, sed hac in terra diutius quam charismata, quibus mundus ad fidem adduci debuit, duraturas esse asserit[2]. Qua altera sententia praetermissa certum est, priorem teneri non posse, quia Pauli ipsius doctrinae repugnat, iuxta quam fidei succedet visio (2 *Cor.* 5,7; *Hebr.* 11,1) et spei fruitio (*Rom.* 8,24). Neque ad hanc difficultatem solvendam effugia sufficiunt, quae varia conquisiverunt huius explicationis auctores. Iuxta alios fides et spes, quamvis in visionem *transmutentur*, velut certa persuasio de veritatibus divinis et velut subiectiva certitudo de rebus coelestibus manent (*Mai.* — *d W.* etc.); simile aliquid de fide S. Irenaeus videtur sensisse; at fides et spes, si *transmutantur*, profecto non permanent, nec sola certa persuasio aut sola certitudo subiectiva ad fidem et spem constituendam sufficiunt. Iuxta alios in suis fructibus fides et spes permanebunt (*Grot. Goeb.* etc.);

1. *S. Iren.* c. haer. II. 28,3 (cfr IV. 12,2), postquam Deum quaedam hominibus in coelo reliquisse cognoscenda dixit, ita pergit : « Sicut et Apostolus dixit, reliquis partibus destructis haec tunc perseverare, quae sunt fides, spes, caritas. Semper enim fides, quae est ad magistrum nostrum, permanet firma, asseverans nobis quoniam solus vere Deus, et ut diligamus eum vere semper, quoniam ipse solus Pater, et speremus subinde plus aliquid accipere et discere a Deo, quia bonus est, et divitias habens interminabiles, et regnum sine fine ». *Tert.* de pat. 12 : « Caritas merito ergo numquam excidet, nam cetera evacuabuntur, consummabuntur. Exhauriuntur linguae, scientiae, prophetiae, permanent fides, spes, dilectio : fides, quam Christi patientia induxit, spes, quam hominis patientia exspectat, dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur ».

2. *Phot.* apud *Oecum.* i. h. l. : « Non ita videre est de fide, spe ac caritate, sicut de aliis donis; siquidem alia, quae enumeravit, et in futuro abolebuntur nobis tunc perfectiora accipientibus et in praesenti deficient et cessabunt divino cultu ad omnes explanato et dilatato. Plurima enim alia dona concessa sunt, ut homines ad fidem manuducerentur et adducerentur; ubi vero adducti fuerint et crediderint, certe cessabunt. At non eo modo fides, spes et caritas; nam haec *per totam vitam humanam* extendentur et permanebunt, et tunc magis fulgebunt, quando cetera (dona) cessaverint. Tunc enim magis dominabuntur maiorque erit eorum usus, quando omnes pietatem coluerint ac crediderint; nam tunc et spei maior erit usus et sperabunt, et dilectionis ac diligent. Cessantibus itaque ceteris donis, hac magis fulgebunt ». — Vulgo Photius iis annumeratur, qui altera in vita fidem et spem permansuras teneant (cfr *Est. Mai. Bisp.* etc. — *Mey. Heinr. God.* etc.); sed immerito id fieri, docent eius verba.

at hoc sensu non tantum omnes virtutes sed ipsa quoque charismata in aeternum perdurant. Iuxta alios is, qui credidit et speravit, in eo, qui videt et possidet, permanet, quia per fidem et spem ad possessionem pervenit (*Hofm.*); at haec explicatio aut eadem est, quae praecedens, aut subiectum credens et sperans cum fide et spe stulte confundit. Iuxta alios fides ceu continua *causa apprehendens* beatitudinem permanet, quatenus homo continua sua fiducia in Christum redemtorem sibi beatitudinem quasi continuo acquirat; spes vero perdurat, quia maior semper beatitudo a beatis exspectetur (*Mey. Kl Br. God. Heinr.* etc.); at quam longe huius sententiae patroni, quum nec quid sit fides et spes nec quid sit aeterna beatitudo intelligant, a vero aberrent, dictu opus non est.

Cum illa igitur sententia, quae inde a *Chrys.* et *A^ni* aetate communis merito dicitur, sensus temporalis particulae νυνὶ δὲ (*nunc autem*), quae immediate praecedenti τότε (*tunc*) opponitur, omnino retinendus est. Nexum recte indicat *Iust.* : « Haec tam perfecta et absoluta rerum cognitio (*v.* 12) nos in altera vita exspectat : nunc autem, quamquam non omnes habere possumus aut habemus sermonem sapientiae, sermonem scientiae, prophetiam aliudve charisma, omnibus tamen manent et praesto sunt fides, spes, caritas ». Etenim omnibus concedentibus in hac sententia de tribus virtutibus agitur, quae in omnibus omnino iustis inveniuntur et ita sunt necessariae, ut nemo, qui illis sit destitutus, ad aeternam vitam beatam perveniat. Nam fides, de qua Paulus hoc in loco loquitur, non est charisma illud, de quo supra (*v.* 2; 12,9) locutus est, sed virtus theologica, quae si viva est, i. e. per caritatem operatur (*Gal.* 5,6), hominem iustificat (*Rom.* 3,28) cuique fides miraculorum ipsa innititur (*cfr ad* 12,8. sqq. *p.* 370 sq.). Porro tres hae virtutes, quum *tria haec* nominentur, non tantum a charismatis, sed a reliquis quoque Spiritus S. donis ita distinguuntur, ut eas arctissime inter se cohaerere et completam quandam classem constituere dicendum sit, cui aliud eiusdem ordinis et dignitatis donum addi nequeat. Revera fides, spes, caritas, maxime si cum charismatis, de quibus proxime agitur, comparantur, cum omnibus iustificatis toto Ecclesiae tempore hac in terra permanent et permanebunt, ut nemo sine sua culpa illas amittat nec quisquam sine illis iustus sit; quare Paulus cum emphasi quadam verbum subiecto praemittens *manere haec tria* asserit nec ullum futurum esse docet tempus, in quo *tria haec* in Ecclesia militante non inveniantur. Charismata vero Spiritus S. *prout vult* distribuit (12,11); et licet ea *ad utilitatem* fidelium det (12,7), nullum tamen eis absolute aut semper est necessarium. Itaque illa confert aut aufert, prout ad Ecclesiae

utilitatem inserviunt aut non inserviunt; pro temporum et ecclesiarum particularium necessitatibus interdum omnia manifestat, interdum pauca, interdum forte nulla. Quamvis igitur Spiritus S., charismatum auctor et distributor, semper cum Ecclesia et in Ecclesia maneat, et ipsa quoque charismata usque ad secundum Christi adventum in Ecclesia permanere certo quodam modo recte dicantur, eadem tamen ratione, qua tres virtutes theologicae omnibus et singulis fidelibus absolute et semper necessariae, non permanent. Porro unam solam ex tribus virtutibus, caritatem, in altera quoque vita permansuram esse, disertis quidem verbis hoc in loco non docet, innuit tamen Apostolus; siquidem caritatem duas alias virtutes superare asserens priorem suam sententiam (*v.* 8), qua caritatem numquam excidere dixerat, in memoriam revocat; nulla vero fuit ratio, cur hic iterum eius aeternitatem inculcaret; alibi tamen, uti iam monuimus, fidem et spem visioni immediatae Dei et possessioni beatitudinis speratae locum cessuras esse diserte tradit.

Cur demum caritas, si cum duabus aliis virtutibus comparatur, *maior* dicatur, ex toto capite manifestum est; charismata enim omnia sine illa nihil valent; ipsa autem reliquarum omnium virtutum forma quaedam est atque in aeternum sola manebit : « Caritas inchoata, inquit *S. Aug.* (de nat. et grat. 70), inchoata iustitia est, caritas provecta provecta iustitia est, caritas magna magna iustitia est, caritas perfecta perfecta iustitia est ».

III. — *De linguarum dono et prophetia inter se comparatis* (14,1-25).

Caritatis laude celebrata Apostolus neophytos ab inordinato charismatum studio indirecte iam revocavit; at Corinthii in eo quoque errabant, quod linguarum donum velut summum omnibus aliis gratiis gratis datis atque potissimum prophetiae anteponebant. Quem errorem ut destruat, glossolaliam cum prophetia comparans priorem, si ad earum, uti decet, utilitatem attendatur, altera longe inferiorem esse docet. Sed ut ea, quae de utroque charismate disserit, facilius intelligantur, de eorum natura et ratione pauca praenotemus oportet. Tempore S. Irenaei non admodum rara fuisse videntur; etenim « multos audivit fratres in Ecclesia charismata prophetica habentes et per Spiritum universis linguis loquentes (παντοδαπαῖς λαλούντων διὰ τοῦ Πνεύματος γλώσσαις) et absconsa hominum in manifestum producentes ad utilitatem et mysteria Dei enarrantes, quos et spirituales Apostolus vocat » (c. haer. V. 6,1); post eius vero aetatem mox ita evanuerunt, ut iuniores Patres claram eorum notitiam non amplius habuisse vi-

deantur, atque nostro tempore nonnulli catholici et plerique acath. interpretes novis explicationibus quaesitis doctrinam Pauli obscuraverint potius quam elucidarint.

I. DONUM LINGUARUM s. glossolaliam Dominus inter signa, quae acceptam fidem secutura esse promisit, iam enumeravit: « linguis loquentur novis » (γλώσσαις λαλήσουσιν καιναῖς *Marc.* 16,17); revera hoc dono Spiritus S. in die pentecostes adventum suum in Apostolis manifestavit (*Act.* 2,4 sqq.), ethnicos quoque in Ecclesiam immediate recipiendos esse docuit (*Act.* 10,46), differentiam infinitam inter Ioannis B. et inter Domini N. baptismata esse ostendit (*Act.* 19,6). Aliis in Scripturis de eo sermo non est, sed S. Paulus ita de eo disserit, ut satis claram eius notionem habeamus.

Variis nominibus designatur: *genera linguarum* (γένη γλωσσῶν 12,10. 28), *linguae* (γλῶσσαι 13,8), *lingua loqui* (λαλεῖν γλώσσῃ 14,2. 4 etc., etiam ubi de pluribus sermo est 14,9), *linguis loqui* (λαλεῖν γλώσσαις 12,30; 13,1; 14,5 etc., etiam ubi de uno loquente sermo est 13,1; 14,5 etc.), *novis linguis loqui* (λαλεῖν καιναῖς γλώσσαις *Marc.* 16,67), *aliis linguis loqui* (ἑτέραις γλώσσαις λαλεῖν *Act.* 2,4), *omnis generis linguis loqui* (παντοδαπαῖς γλώσσαις λαλεῖν *S. Iren.* l. c.).

1. Iam vero γλῶσσα (lingua), quod vocabulum in omnibus appellationibus recurrit, tribus praecipuis significationibus usurpatur: proxime enim *corporis membrum*, quo velut potissimo loquelae instrumento utimur, appellatur γλῶσσα; metonymice deinde id, quod loquimur, i. e. *sermo* ipse vel potius illa sermonis forma, quae alicui genti est peculiaris, eodem nomine designatur (lingua graeca, latina etc.); demum arctiore quodam sensu translato a iunioribus scriptoribus *idiotismi*, i. e. vocabula sive propter peregrinitatem sive propter vetustatem obscuriora et parum usitata, γλῶσσαι dicuntur. Pro tribus his diversis significationibus tres exortae sunt sententiae de dono linguarum, sed primam et tertiam soli acath. moderni ad illud explicandum adhibuerunt.

Pauci enim tertiam significationem praeferentes pneumaticum censent in sua oratione vocabulis obsoletis, provincialismis, locutionibus poeticis, metaphoris obscuris etc., quae in ethnicorum quoque oraculis ad sensum obscurandum adhibebantur, usum esse (*Bleek, Heinr.* etc.). Uti per se patet, auctores huius sententiae narrationem S. Lucae de iis, quae in prima pentecoste acciderunt (*Act.* 2.), velut mythologicam exaggerationem ex Scriptura delent; ultimam quoque secundi Evangelii partem (*Marc.* 16, 9 sqq.) reiiciunt, ne appellatione a Domino adhibita (καιναῖς γλώσσαις λαλεῖν) refutentur; neque tamen nobis explicabunt, quomodo glossologus γλώσσῃ λαλεῖν dicatur, quum uno solo idiotismo oratio constare non possit, nec quae sint γένη γλωσσῶν etc.

Pluribus prima significatio placet, sed non eodem modo rem explicant. Iuxta aliquos pneumatici inexplanato quodam et confuso loquendi modo utebantur, quum linguis suis non eodem modo, quo reliqui homines, vocabula formarent, sed balbi et blaesi sonos potius quam vocabula proferrent simili fere ratione, qua « pueruli, quando loqui incipiunt, inexplana-

bili voce inconditos et confusos sonos edunt » (*Eichh. Neand. Wies. K Schmidt* in Herzog P R E. 1886. XVII. 573; etc.). Alii vero linguam a Spiritu S. motam interruptas exclamationes vel alias sententias, quae nec completum sensum exhibebant nec inter se cohaerebant, protulisse dicunt (*Mey.* etc.); glossolalum scilicet similem habere delphicae Pythiae videntur, quae ipsa quoque furore repleta in suo tripode sedens vocabula non cohaerentia sententiasque abruptas, quae a nullo intelligebantur, carptim emittebat. At harum quoque sententiarum auctores narrationes Lucae et Marci reiicere coguntur, nec nobis explicant, quomodo una persona ling*uis* aut plures personae ling*ua* loqui dicantur et quae sint *genera* linguarum, si lingua membrum corporis humani designat.

Cum catholicis igitur omnibus et antiquioribus acath. secundam significationem retineamus oportet, ut γλῶσσα significet sermonis formam genti alicui peculiarem (Sprache, linguaggio, langage). Pauci tamen moderni cath. pneumaticos primitiva lingua, quae ante linguarum confusionem adhibebatur, aut saltem lingua quadam primitivae simili locutos esse coniiciunt, quae omnium hodiernarum dialectorum sit mater earumque radices continuerit (*Osw. Kaul. Bisp.*); duplex igitur miraculum in die pentecostes accidisse tenent, quatenus Apostoli primitivam linguam adhibuerint, eorumque auditores suam quisque linguam patriam audire putaverint[1]. At duplicis huius miraculi nullum invenitur vestigium in Scriptura, neque praeter necessitatem multiplicanda sunt miracula. Praeterea haec quoque sententia aeque parum ac priores nominibus congruit, quibus sacri scriptores utuntur (*linguis, novis* linguis, *aliis* linguis loqui, *genera* linguarum etc.), et arbitrarie supponit, ita confusas esse linguas, ut primitivae radices in omnibus hodiernis remanserint[2].

Soli antiquae sententiae, iuxta quam glossolali a Spiritu S. inspirati variis linguis, quas numquam addidicerant, prout Spiritus S. dabat eloqui illis magnalia Dei celebrabant, omnia nomina congruunt, quae de linguarum dono adhibentur : *novis* linguis loquuntur, siquidem omnis lingua ei, qui illam prima vice adhibet, nova est; *aliis* linguis loquuntur ab ea diversis, quae eis est patria; interdum una sola, interdum etiam pluribus linguis

1. Media aetate iam aliqui opinati sunt, Apostolos in die pentecostes solam linguam hebraicam adhibuisse, sed auditores suam quemque linguam audire putavisse; miraculum igitur nullum adfuisse ex parte Apostolorum, sed ex sola parte auditorum (cfr *Ernoldi* abb. Bonavall. † c. 1170. De cardin. operib. Christi 12. M. 189,1675). Quae sententia cum Actibus (2,4 *prout Spiritus S. dabat eloqui illis*) et cum doctrina Pauli, qui, ubi de glossolalia agit, numquam auditores speciale donum habere innuit, aperte pugnat meritoque reiicitur a *S. Thom.*, qui monet miraculum pentecostes in eo non fuisse, « ut Apostoli *una* lingua loquentes ab omnibus intelligerentur, uti aliqui dicunt ». Ceterum clarum est, Spiritum S. id quoque efficere potuisse, eumque id aliquoties effecisse docent vitae Sanctorum fide dignae (uti S. Vincentii Fererii, S. Francisci Xaverii etc.); sed haec exempla ad donum linguarum, de quo Scripturae loquuntur, explicandum non iuvant.

2. Prorsus absurda est paucorum modernorum acath. sententia, a pneumaticis linguam esse adhibitam, quae ex omnibus linguis vocabula assumserat, ita ut omnium linguarum et dialectorum farrago fuerit (*Billr.* etc.).

aut in eadem oratione aut in diversis occasionibus utebantur, prout a Spiritu S. movebantur, ut et singularis et pluralis (lingu*a* et lingu*is* loqui) apte adhibeantur; varia quoque *linguarum genera* sunt (*cfr v.* 10), siquidem antiqui iam barbaras linguas a linguis Graecorum et Romanorum distinguebant et singulae quoque linguae pro generibus haberi poterant, quae varias dialectos complectebantur; hinc etiam *omnis generis* linguis pneumaticos locutos esse dixit *S. Iren.*

2. Antequam alteri quaestioni, ad quem finem proxime hoc donum concessum sit, num ad docendum an ad Deum precandum et celebrandum, respondeamus, definiamus oportet, num glossolali ea, quae linguis loquebantur, ipsi intellexerint necne. Inter Patres graecos *Cyr.* et *Theodor.* omnino tenent, glossolalos sua dicta ipsos intellexisse; media aetate *Lyranus*, quem *Dion.* sequitur, eum qui linguis loquebatur significata quidem verborum, quae protulit, at non locutionis sensum apprehendisse putat; a quibus haud longe dissentit *S. Aug.* (de Gen. ad lit. XII. 8 sq.), si Pharaonem, quum somnia sua de spicis et bobus Iosepho narraret, « linguis locutum esse », Iosephum vero, quum ea explicaret, « prophetasse » dicit. Sed contrariam sententiam reliqui tantum non omnes iure tenent : « Erant antiquitus multi, inquit *Chrys.*, qui orationis donum habebant cum lingua et orabant quidem et lingua loquebantur aut Persarum aut Romanorum voce orantes; mens autem eorum nesciebat, quod dicebatur » (cfr *Dam. Oec. Theoph.*). Inter Latinos *A^ter* : « manifestum est, inquit, ignorare animum nostrum, si lingua loquatur, quam nescit, sicut assolent latini homines graece cantare oblectati sono verborum, nescientes tamen quid dicant » (cfr *Pel. Sed.* etc., *Herv. Thom.* etc.).

Revera quicumque versus sequentes (14,1-25), in quibus de linguarum dono accuratius agitur, cum attentione perlegerit, non dubitabit, quin illi saltem glossolali, de quibus hic sermo est, nisi simul altero interpretationis dono instructi erant, nec a se ipsis nec ab auditoribus suis sint intellecti. Quapropter certum quoque est, charisma, de quo loquitur Apostolus, ad docendum datum non esse sed dumtaxat ad Deum precandum eiusque laudes celebrandas. Porro de linguarum dono, quod ad docendum inservierit, etiam reliquae Scripturae non loquuntur; neque enim Cornelius eiusque familia, qui praedicante Petro iam ante baptismum Spiritu S. repleti « linguis loquebantur et Deum magnificabant » (*Act.* 10,46) neque discipuli Ioannis B. qui ad Pauli manuum impositionem statim linguis loquebantur et prophetabant (*Act.* 19,6), hoc charisma, ut docerent, acceperunt. Atque in die pentecostes quoque distinguatur oportet inter miraculum, quo Apostoli Spiritu S. repleti variis linguis magnalia Dei ita celebrabant, ut auditores suam quisque linguam, in qua natus erat, audiret (*Act.* 2,1-13), et inter miraculi explicationem, quam immediate postea Petrus, utique non omnibus linguis enumeratis sed una, quae auditoribus plerisque familiaris erat, hebraica vel graeca, loquens tradidit (*Act.* 2,14 sqq.). Quamdiu linguis loquebantur, Apostoli musto pleni a nonnullis credebantur, sicut glossolali corinthii ab infidelibus insanire dicebantur (14,23); Petri autem sermone

audito compuncti sunt corde omnes auditores, sicut ad prophetarum corinthiorum verba infideles in faciem cadentes adoraverunt Deum (14,25). Demum Dominum, si eos qui crediderint linguis locuturos esse novis promittit (*Marc.* 16,17), de charismate ad docendum dato non loqui, patet.

Licet igitur Apostolis aliisque Evangelii praeconibus, ubi opus erat, etiam illud donum concessum esse non negemus, ut linguis, quas non addidicerant, fidem propagarent, de eo tamen in Scripturis sermo non est; atque charisma, de quo Paulus et alii sacri scriptores loquuntur, ad solam precationem spectat : variis scilicet linguis, quas nec ipse intelligebat nec eius auditores, nisi quis forte unam alteramve callebat, interpretari poterant [1], glossolalus aut Deum precabatur, aut ei gratias agebat, aut eius laudes celebrabat, quum Spiritus S., qui ei precationes et laudes illas inspirabat, etiam in corde eius similes affectus provocaret [2].

II. Prophetarum in vetere oeconomia, uti recte explanat *Becan.* (Analog. Vet. et Nov. Test. VIII. qu. 2), « primarium officium erat docere, instruere et reformare populum in cultu veri Dei eumque hoc modo ad Christi adventum disponere »; arctioribus ergo, quam licet, limitibus prophetia antiqua circumscribitur, si solae res futurae aut totum aut principale eius argumentum fuisse dicuntur [3]. Multo minus vero prophetae Novi Test. annuntiatores rerum futurarum definiri possunt; aliquoties quidem eos futura praenuntiasse ex Actibus constat (*Act.* 11,27 sq.; 21,4. 8 sqq.), sed in eis annuntiandis praecipuum eorum officium fuisse iure merito negamus, quia nec a S. Paulo inter eorum munia nominatur, nec ab antiquissimis aliis scriptoribus christianis, qui de prophetis uberius agunt, ab auctore sc. *Doctr. duod. Apost.* (10. 11. 13) et ab *Herma* (*Past.* Mand. 11), ullo verbo attingitur. Eodem fere modo, quo antiqui, etiam novi prophetae praedicatores erant a Spiritu S. inspirati, qui exhortationibus et monitis suis neophytos ad virtutum exercitium excitabant stimulabantque (*cfr* 14,3); quod ut maiore cum auctoritate et efficacitate praestare possent, Spiritus S. occultis auditorum rebus revelatis sese in prophetis loqui aliquoties manifestabat (14,24 sq.; cfr *S. Iren.* c. haer. V. 6,1), interdum etiam res futuras per eos enuntiabat.

1. Ex *Act.* 2,7 sqq. elucet, homines illius gentis, cuius lingua a glossolalo adhibebatur, eius sermonem intellexisse; moderni igitur acatholici, ut antiquam sententiam de dono linguarum impugnent, obscuritatem sermonum glossolali immerito ita exaggerant, ut eos a nullo intelligi potuisse asserant. Id ex Pauli verbis non sequitur, qui de iis, quae ordinarie fieri solebant, loquens ad raras illas occasiones non attendit, quibus forte Christiani, qui aliam praeter graecam linguam callebant, in coetibus corinthiis aderant.

2. Recte *Cai.* : « Scito, quod de ratione doni linguarum non erat intelligi ab aliis nec etiam ab ipso loquente verba, quae Spiritus S. porrigebat; sed accipiens donum linguarum movebatur a Spiritu S. ad loquenda magnalia Dei, prout Spiritus S. dabat ei eloqui; nec solum movebatur lingua ad illa verba proferenda, sed simul movebatur a Spiritu S. loquentis affectus in Deum motu cuiusdam devotionis ad laudandum Deum. Haec omnia e textu (paulino) habentur ».

3. *Cfr* quae de prophetarum Veteris Test. nominibus et officiis disseruimus in *Introd. spec. in Vetus Test.* II. p. 267 sqq. (*Compend. Introd.* p. 363 sqq.).

Neque tamen omni ratione antiquorum et novorum prophetarum munus erat simile. Etenim in Vetere Test. magistrorum quoque doctorumque populi partes agebant, conservandae revelationi iam traditae invigilabant, novis revelationibus acceptis depositum fidei augebant, quin etiam per mille circiter annos supremum et authenticum magisterium constituebant. In Novo autem Test. prophetae non tantum ad ordinarium Ecclesiae magisterium non pertinebant, sed etiam ab apostolis et doctoribus semper distinguuntur, i. e. a viris illis, qui sapientiae aut scientiae charismatis a Spiritu S. instructi velut extraordinarii magistri aut inter infideles Evangelium praedicabant aut catechumenis neophytisque doctrinas fidei explanabant. Exhortatores inspirati igitur haud immerito appellantur, atque exhortatorum hoc munere fungebantur sive praedicationibus, quibus auditores aut a peccatis absterrebant aut ad varia bona opera, eleemosynas dandas, esurientes nutriendos etc. (cfr *Doctr.* 11,9. 12) excitabant, sive precationibus, quas post Eucharistiae oblationem et agapas recitabant; prophetis enim « gratias agere, quantas volebant », i. e. a formulis gratiarum actionis praescriptis discedere et libere, prout Spiritus S. eos inspirabat, laudes Dei publice celebrare permittebatur (*Doctr.* 10,7). Porro ut efficaciores essent eorum exhortationes, sanctis quoque moribus populo praelucere debebant. « Omnis propheta docens veritatem, si ea quae docet non facit, pseudopropheta est » (*Doctr.* 11,10); maxime a proprii commodi studio et ab avaritia iis cavendum erat : « Nullus propheta decernens in spiritu mensam (indigentibus parandam) edet ab ea, nisi pseudopropheta est »; « qui dixerit in spiritu : da mihi argentum et alia quaedam, ne eum audiatis » (*l. c.* 11,9. 12). *S. Hermas* quoque genuinum prophetam a pseudoprophetis ex moribus discerni dicit, hanc eius imaginem depingens : « mansuetus est et tranquillus et modestus, abstinet ab omni nequitie et vana huius saeculi concupiscentia, omnibus hominibus humiliorem se praestat, neque quando homines eum loqui volunt, loquitur, sed tunc loquitur, quando Deus eum loqui iubet » (*Past.* Mand. 11,8).

Haec igitur duo charismata Apostolus inter se comparat, ut glossolaliam a Corinthiis immerito praeferri ostendat. Quem in finem praeprimis ex ipsa donorum ratione prophetiam fidelibus utiliorem esse, quam donum linguarum, deducit (14,1-6); linguarum deinde inutilitatem in ecclesia nonnullis similitudinibus illustrat (14,7-12), conclusionemque practicam inde derivatam novis argumentis confirmat (14,13-19); infidelibus demum quoque prophetiam maiorem, quam glossolaliam, utilitatem afferre demonstrat (14,20-25).

1. *Fidelibus prophetia utilior est, quam donum linguarum* (14,1-6).

14,1. ***Sectamini caritatem, aemulamini spiritalia : magis autem ut prophetetis.* 2. *Qui enim loquitur lingua, non hominibus***

14,1. Διώκετε τὴν ἀγάπην, ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικά, μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε. 2. ὁ γὰρ λαλῶν γλώσσῃ οὐκ ἀνθρώ-

loquitur, sed Deo; nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria; 3. nam qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem. 4. Qui loquitur lingua, semet ipsum aedificat; qui autem prophetat, ecclesiam Dei aedificat. 5. Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam maior est, qui prophetat, quam qui loquitur linguis: nisi forte interpretetur, ut ecclesia aedificationem accipiat. 6. Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens: quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?

ποις λαλεῖ, ἀλλὰ Θεῷ· οὐδεὶς γὰρ ἀκούει, πνεύματι δὲ λαλεῖ μυστήρια· 3. ὁ δὲ προφητεύων ἀνθρώποις λαλεῖ οἰκοδομὴν καὶ παράκλησιν καὶ παραμυθίαν. 4. ὁ λαλῶν γλώσσῃ ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ· ὁ δὲ προφητεύων ἐκκλησίαν οἰκοδομεῖ. 5. θέλω δὲ πάντας ὑμᾶς λαλεῖν γλώσσαις, μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε· μείζων δὲ ὁ προφητεύων ἢ ὁ λαλῶν γλώσσαις, ἐκτὸς εἰ μὴ διερμηνεύῃ, ἵνα ἡ ἐκκλησία οἰκοδομὴν λάβῃ. 6. νῦν δὲ, ἀδελφοί, ἐὰν ἔλθω πρὸς ὑμᾶς γλώσσαις λαλῶν, τί ὑμᾶς ὠφελήσω, ἐὰν μὴ ὑμῖν λαλήσω ἢ ἐν ἀποκαλύψει ἢ ἐν γνώσει ἢ ἐν προφητείᾳ ἢ ἐν διδαχῇ[1];

Ex caritatis laude, quae toto superiore capite celebratur, sua sponte profluit monitum : 1. *Sectamini caritatem;* « qui autem sectatur (vel persequitur, διώκει), inquit *Chrys.*, illud solum respicit, quod persequitur, et ad illud tendit, nec desistit, donec illud assecutus sit » (*cfr ad* 12,31). Porro attende, ex hac locutione recte deduci, caritatem esse rem, quae semel obtenta in animo perseveret donec expellatur (peccato), de habitu igitur caritatis Apostolum in superioribus egisse. Caritatem autem velut rem omnibus prorsus necessariam persequi iussi Corinthii gratias gratis datas (τὰ πνευματικά, spiritualia, *cfr* 12,1) quaerere non prohibentur : *aemulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis*. Graeca lectio : ζηλοῦτε δέ (aemulamini *autem*), quum duo verba (sectamini, aemulamini) inter se opponat, minus studium in quaerendis charismatis ponendum esse innuit. Ceterum si haec sententia cum superiore monito (*aemulamini charismata meliora* 12,13) confertur, prophetiam non tantum melioribus donis adnumerandam esse, sed etiam inter illa singularem locum occupare recte colligitur;

1. *VV. LL.* — 2. ὁ γὰρ λαλῶν γλώσσῃ (*qui enim loquitur lingua*) genuina est lectio, pro qua D E F G cum *Arm.* habent plur. γλώσσαις. In sequentibus quoque versibus γλώσσῃ et γλώσσαις aliquoties a nonnullis codd. permutantur. — πνεύματι δὲ λαλεῖ (*spiritu autem loquitur*) est communis lectio; parum recte F G cum cod. *Fuld.* et multis iunioribus codd. *Vulg.* : Πνεῦμα (*Spiritus*). — 3. ὁ δὲ προφητεύων (qui *autem* prophetat) est communis et vera lectio; parum recte F G cum *It.* et *Vulg.* : εἰ γὰρ ὁ προφητεύων vel ὁ γὰρ προφητεύων (*nam qui prophetat*). — 4. ἐκκλησίαν οἰκοδομεῖ (ecclesiam aedificat) est communior lectio, quam *Vulg.* quoque antiqua (*Fuld. Am. Demid.* etc.) tuetur; cum F G autem iuniores codd. Vulg. legunt ἐκκλησίαν Θεοῦ οἰκοδομεῖ (*Ecclesiam Dei aedificat*). — 5. μείζων δὲ ὁ προφητεύων (maior *autem* est qui prophetat) B ℵ A P cum *Copt.*; rectius vero : μείζων γὰρ ὁ προφητεύων (*nam maior est qui prophetat*) D E F G K L, fere omnes minusc. et versiones. — 6. ἢ ἐν γνώσει κτλ (*aut in scientia* etc.); in praepositione ἐν (*in*) ante singula membra ponenda aut omittenda variant codices multi graeci et latini; sed sensus hac varietate non attingitur.

secus enim Apostolus eam tantopere non commendaret. Nostra quidem in pericope eam cum sola glossolalia comparat illique anteponit; supra autem (12,28. 29) prophetis secundum locum iam attribuerat, et quanto in honore in primitiva Ecclesia fuerint, ex *Act.* (11,27; 13,1; 15,32; 21,10) et ex *Doctr. duod. Apost.* (13,3), a qua ἀρχιερεῖς appellantur satis apparet[1].

Iam ad argumentum suum transiens, ut prophetiam glossolaliae praestare ostendat, rationem duorum donorum describit : 2. *Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo; nemo enim audit; spiritu autem loquitur mysteria;* 3. *nam qui* (lege : *qui vero*) *prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem et exhortationem et consolationem.* Glossolalus, quum linguis, quas ipse non minus quam auditores eius ignorabant, Deum precetur sive gratias agat, Deo quidem loquitur ab eoque intelligitur; sed eius verba hominibus non sunt destinata, siquidem nemo eum audit, i. e. intelligit[2], aliisque et sibi ipsi loquitur mysteria. *Mysterii* nomine plerumque res designantur, quae intellectui humano per se imperviae sola revelatione innotescunt (*cfr* 2,7 etc.); generaliore tamen sensu hic sumitur de rebus, quae ob formam vel potius ob linguam, qua proponuntur, non intelliguntur, quamvis per se intellectui imperviae non sint. Si glossolalus ipse sua verba non intelligens respicitur, verba Apostoli, quod Spiritus pro nobis gemitibus inenarrabilibus (στεναγμοῖς ἀλαλήτοις i. e. qui verbis exprimi non possunt) postulat (*Rom.* 8,26), apte conferuntur; at inepte ex isto loco, in quo de glossolalia non agitur, unus alterve (*Holst.* etc.) collegit, glossolaliam inconditis gemitibus constitisse. Porro interrogant interpretes, quo *spiritu* glossolalus loquatur mysteria. Antiquiores Latini, qui erroneam lectionem (*Spiritus* loquitur mysteria) sequebantur, Spiritum S. intellexerunt (*Thom. Lyr.* etc.) eisque moderni haud pauci nostram lectionem retinentes adstipulantur : afflatu Spiritus S. vel per Spiritum S. (*cfr* 12,3) loquitur occulta (*Cai. Iust. Lap.* etc.,

1. Rectius forte dicemus : « cum summis sacerdotibus (Iudaeorum) certa quadam ratione comparantur »; de *sacerdotali* enim munere, quo functi sint prophetae, nec *Doctr.* nec alius testis antiquus loquitur. Agit autem *Doctr.* illo in loco de primitiis, quae prophetis dari debeant; « ipsi enim sunt summi sacerdotes vestri », i. e. ratione primitiarum eum locum obtinent apud vos, quem apud antiquum populum tenebant summi sacerdotes, quibus primitiae competebant.

2. *Intelligendi* sensu verbum ἀκούειν et a profanis scriptoribus (cfr *Steph.* Thes. s. v.) et ab Alexandrinis (*Gen.* 11,7; 42,23 etc.) et in Novo Test. (*Marc.* 4,23; *Matth.* 13,13 etc.; haud multum dissimiles sunt alii loci, in quibus ἀκούειν est i. q. *exaudire Ioan.* 9,31 etc. aut *obedire Matth.* 17,5 etc.) adhibetur. Immeritissimo igitur hoc verbo nonnulli acath. (*Wies.* etc.) abutuntur, ut glossolalos blaesa voce, quae auribus percipi non possit, locutos esse demonstrent. Quomodo is, qui tali voce loquitur, cum aere sonante et cymbalo tinniente (13,1) comparari potuit?

Mai. etc. — *Grot.* etc.); cui explicationi *Rom.* 8, 26 videtur favere. Verum aliis ad *v.* 14. respicientibus altera praeplacet sententia, quae « per spiritum intelligit affectum animi, ad quem pertinet devotio » (*Est. Nat. Dr.* etc. — *Beng. Mey. God.* etc.); velut aptiorem nos quoque eam praeferimus, quia Apostolus, si de persona Spiritus S. esset locutus, aliquam praepositionem (διὰ Πνεύματος, ἐν Πνεύματι) adhibuisset.

Descripta glossolaliae ratione alterum comparationis membrum affert: qui *autem* prophetat (ita enim legendum esse, non tantum testes critici docent, sed etiam contextus, siquidem de praecedente sententia probanda aut explicanda non agitur), quum lingua omnibus auditoribus cognita utatur, hominibus loquitur eisque veram utilitatem suis sermonibus praebet. Glossolalus cum solo Deo colloquitur, propheta homines alloquitur, eosque *aedificat, exhortatur, consolatur.* Quibus tribus vocabulis integrum prophetiae argumentum comprehenditur; primum est generale et ad omnes fideles pertinet, qui propheticis sermonibus aedificari, i. e. in bono promoveri (*cfr ad* 8,1) debent. Duo alia ad certas fidelium classes coarctari videntur; exhortatione enim illi indigent, qui in via virtutis persequenda pigri segnesque sunt, consolatione illi, qui ob difficultates, quas experiuntur, vel ob tribulationes, quas patiuntur, animum despondentes de felici rei exitu desperare incipiunt. Futurorum revelatio occultorumque cordis manifestatio iisdem verbis designantur, quatenus media erant, quibus Spiritus S. ad aedificationem omnium aut ad aliquorum exhortationem vel consolationem interdum uti voluit.

Qua ex descriptione minor glossolaliae utilitas iam intelligitur: 4. *Qui loquitur lingua, semet ipsum aedificat; qui autem prophetat, ecclesiam* (*Dei*) *aedificat.* Quae in verba optime *Thom.* : « Illud, quod est utile soli facienti, est minus, quam illud, quod prodest etiam aliis: loqui autem linguis est utile soli ei qui loquitur, prophetare vero aliis prodest » et ipsi quoque prophetae, siquidem ipse, nisi pseudopropheta haberi velit, primus ea facere debet, quae aliis commendat (*cfr supra p.* 415). Glossolalus vero, quamvis sua ipsius verba non intelligat, se tamen aedificat, quia pio affectu, qui linguae locutionem comitatur, ad Deum elevatur eique arctius coniungitur (*cfr ad v.* 14), eadem ratione qua piae virgines divino cultui sacratae, si linguam latinam ignorantes latinum officium recitant, magnum fructum ex precibus suis haurire possunt.

Utile igitur est donum linguarum, sed utilior prophetia; hinc intelligitur Apostoli desiderium: 5. *Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior est, qui prophetat, quam qui loquitur linguis; nisi forte interpretetur, ut ecclesia aedificationem*

accipiat. « Quia apud Corinthios, inquit *Chrys.*, multi linguis loquebantur, Apostolus, ne de dono linguarum detrahere videretur, se *omnes* linguis loqui velle addidit »; at pro magno suo erga eos amore summa quae potest eis dona exoptat ideoque magis desiderat, ut omnes propheticum charisma accipiant. Propheta enim, quia pluribus prodest, glossolalo maior est, nisi glossolalus praeter linguarum donum simul etiam charisma interpretationis acceperit (12,10. 29). Nam si ea, quae inspirante divino Spiritu linguis ignotis precatus est, lingua vulgari explicat, ut in auditoribus eosdem pios affectus, quos animo eius Spiritus S. indiderat, excitet, non se solum, sed etiam ecclesiam, i. e. omnes qui coetui sacro intersunt, aedificat atque proin prophetae aequalis est. Interpretationis donum autem cum dono linguarum coniungi quidem potuit (*cfr v.* 13), verum plerumque cum eo coniunctum non fuisse videtur; id enim Apostoli modus loquendi satis indicat[1], praesertim quum alios solo interpretationis charismate ornatos in ecclesia corinthia adfuisse insinuet (*v.* 28).

Ut demum clarius intelligant, donum linguarum, nisi addatur interpretatio, fidelibus prorsus esse inutile, se ipse in exemplum affert : 6. *Nunc autem* (νῦν δέ, quum res sic se habeant, ut propheta glossolalo praestet et donum linguarum nudum fidelibus sit inutile), *fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?* Quantum fructum Paulus Corinthi praedicationibus suis produxisset, experientia sua cognoverant neophyti; at hunc fructum producere potuerat, quia lingua eis cognita usus erat. Quae in memoriam eis revocans interrogat, quidnam demum sit effecturus, si in proximo suo adventu inter eos solo linguarum dono, quod amplissimum possidebat (*v.* 18), sit usurus. « Sit, inquit, qui linguis loquitur, Paulus; neque enim sic quidquam emolumenti ad auditores perveniet » (*Chrys.*); ad fideles in via virtutis promovendos ipse quoque Apostolus aliis charismatis indiget.

Duae conditiones, quae eadem particula graeca (ἐάν) introducuntur, non ita sunt connectendae, ut secunda priori subiecta occasiones indicet, quibus Apostolus, licet linguis loquatur, Corinthiis utilis futurus sit : « si ad vos veniens loquar linguis, nisi simul interpreter, nihil vobis prodero » (*Thom. Lyr.* etc. *Ramb.* — *Mey.* etc.); quatuor enim expressiones (revelatio, scientia etc.) neque species sunt doni interpretationis, neque varii modi glossolaliae. Cum Graecis potius et

1. Latina interpretatio : « nisi *forte* interpretetur », non satis est accurata : exceptio enim absoluta ab Apostolo exprimitur : ἐκτὸς εἰ μὴ διερμηνεύῃ. Qua in formula (ἐκτὸς εἰ μὴ) aut particula ἐκτός aut negatio μή abundat, uti alibi (15,2; 1 *Tim.* 5,19).

plerisque interpretibus duas conditiones immediate cum sententia conditionata coniungere debemus, ita ut haec quasi sit duplicanda : « si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero? profecto quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione » etc.?

Quot iam et quae dona in secundo membro designentur, in controversia est. Quatuor enumerari multi censent antiqui (*Oec. Theoph. Pel. Thom. Lyr.* etc.) nonnullique recentiores (*Nat. Ramb.* etc. — *Beng. Schn.* etc.); in quibus definiendis non consentiunt quidem, sed vulgatior est explicatio, quam *Thom.* primo in loco proponit, ut *revelatio* sit illustratio mentis relate ad res divinas (sapientia), *scientia* vero illustratio mentis de rebus terrenis ad aedificationem pertinentibus (scientia), *prophetia* de rebus futuris (prophetia), *doctrina* de rebus moralibus (doctrina *Rom.* 12,7). At cui fundamento hae definitiones innitantur, equidem non video. *Theod.* tria tantum distinguit, illa nimirum, quae *v.* 3. velut prophetiae argumenta sunt indicata; sed quomodo haec sententia verbis congruat, non explicat. *A*[lcr] « haec omnia unum significare » asserit; « docere enim nemo poterit, nisi intelligatur »; ratio verissima quidem est sed ad assertum demonstrandum minime apta. Recentiores et moderni plerique (*Iust. Est. Lap.* etc., *M Ev.Mai.* etc. — *Mey. Kl Br. God.* etc.) duo dona recte distinguunt, prophetiam et scientiam, quae singula binis elementis, interno et externo, designantur. *Revelatio* (ἀποκάλυψις i. e. manifestatio rerum occultarum) ad edendam *prophetiam* requiritur, sicut *scientia* (γνῶσις i. e. cognitio rerum divinarum) ad tradendam *doctrinam*; doctrina enim (Rom. 12,7) idem est quod *sermo scientiae* (12,8). Itaque munera *prophetae* (exhortantis et consolantis) et *doctoris* (docentis et instruentis) glossolaliae opponuntur.

2. *Donum linguarum nude spectatum utile non esse similitudinibus illustratur* (14,7-12).

14,7. *Tamen quae sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint : quomodo scietur id, quod canitur aut quod citharizatur?* 8. *Etenim si incertam vocem det tuba : quis parabit se ad bellum?* 9. *Ita et vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis : quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes.* 10. *Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo : et nihil sine voce est.* 11. *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, barbarus : et qui loquitur, mihi barbarus.* 12. *Sic et vos, quoniam aemulatores estis spirituum, ad aedificationem ecclesiae quaerite, ut abundetis.*

7. Ὅμως τὰ ἄψυχα φωνὴν διδόντα, εἴτε αὐλὸς εἴτε κιθάρα, ἐὰν διαστολὴν φθόγγου μὴ δῷ, πῶς γνωσθήσεται τὸ αὐλούμενον ἢ τὸ κιθαριζόμενον; 8. καὶ γὰρ ἐὰν ἄδηλον φωνὴν σάλπιγξ δῷ, τίς παρασκευάσεται εἰς πόλεμον; 9. οὕτως καὶ ὑμεῖς διὰ τῆς γλώσσης ἐὰν μὴ εὔσημον λόγον δῶτε, πῶς γνωσθήσεται τὸ λαλούμενον; ἔσεσθε γὰρ εἰς ἀέρα λαλοῦντες. 10. τοσαῦτα, εἰ τύχοι, γένη φωνῶν εἰσὶν ἐν κόσμῳ, καὶ οὐδὲν ἄφωνον. 11. ἐὰν οὖν μὴ εἰδῶ τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς, ἔσομαι τῷ λαλοῦντι βάρβαρος, καὶ ὁ λαλῶν ἐν ἐμοὶ βάρβαρος. 12. οὕτως καὶ ὑμεῖς, ἐπεὶ ζηλωταί ἐστε πνευμάτων, πρὸς τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας ζητεῖτε ἵνα περισσεύητε[1].

1. *VV. LL.* — 7. φθόγγου (soni) B cum *It.* (*A*[lcr]) et *Arm.*; reliqui Graeci : τοῖς φθόγ-

Cum *S. Thoma* nonnulli interpretes superiorem sententiam (*v*. 6) ad hanc sectionem trahentes Apostolum tribus argumentis (suo ipsius exemplo et duabus similitudinibus) glossolaliae nude spectatae inutilitatem demonstrare volunt (*Lyr. Cai. Nat. MEv.* etc. — *God. Goeb.* etc.). At praecedens sententia velut transitus rectius consideratur, quo prior sectio ita terminatur, ut alterius thema simul indicetur. Duabus autem similitudinibus, quarum prior ab instrumentis musicis (7-9), altera ab ipso quotidiano linguarum usu (10-12) desumitur, donum linguarum, nisi cum interpretatione sit coniunctum, plane inutile esse docetur; binis prioribus versibus (7. 8 et 10. 11) similitudines ipsae proponuntur, tertio (9. et 12) conclusio additur.

Priorem hac ratione bene explanat *Thom.* : « Quum homo per instrumenta aliquid vult exprimere, sc. aliquos cantus, qui ordinantur vel ad fletum vel ad gaudium vel etiam ad lasciviam, non poterit diiudicari, ad quid canatur tibia vel cithara, si sonus sit confusus et indistinctus ». 7. *Tamen quae sine anima sunt vocem dantia, sive tibia sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur aut citharizatur?* Recte quidem, minus tamen clare, interpres latinus graecam sententiam reddidit; quod si attendimus, particulam ὅμως (*tamen*) hic, uti alibi interdum (cfr *Gal.* 3,15), ex apodosi per hyperbaton in primam sententiam esse transpositam, versum clarius vertemus : « ea, quae inanima sunt (i. e. instrumenta inanima) sive tibia sive cithara, quamvis vocem dent (si ab aliquo inflantur vel pulsantur), tamen, nisi sonis distinctionem dederint, quomodo id quod tibia canitur (τὸ αὐλούμενον) aut citharizatur, cognoscetur[1]? » Ut melodia quaedam percipiatur, non sufficit, ut tibia quomodocumque infletur aut cithara quomodocumque pulsetur, sed requiritur, ut soni singuli suam quisque altitudinem fortitudinemque habeant debitisque intervallis distinguantur; confusis sonis non efficitur melodia, quae dignosci possit utrum sit ad gaudium an ad tristitiam. Haec lex est universalis valetque de omnibus instrumentis sive

γοις (sonis), quibuscum *Vulg.* quoque magis consentit : *sonituum*. — 10. ἐν κόσμῳ (in mundo) est communior lectio et verior; sed D F G et aliqui minusc. addunt articulum : ἐν τῷ κόσμῳ, atque plerique *Vulg.* codices legunt : *in hoc mundo*. — 11. ὁ λαλῶν ἐν ἐμοί (loquens apud me, vel : loquens meo iudicio) est communior lectio graeca; sed cum D E F G, nonnullis minusc. et PP. versiones omnes praepositionem ἐν omittunt : *qui loquitur mihi*.

1. Alii particulam ὅμως ad expressionem φωνὴν διδόντα trahere malunt : « instrumenta inanima, quamvis inanima sint, tamen vocem dant » etc.; at oppositio haec contextui non congruit. Alii particulae sensum affirmativum attribuunt (*quin et* vel *certe*; *Est.* male : *nam et*); at locus, quem occupat, particulae affirmativae nimiam vim daret. Alii legere malunt ὁμῶς (*similiter*), sed haec particula in Novo Test. nusquam reperitur.

inflantur, sicut tibia, sive pulsantur, sicut cithara; id quod altero exemplo illustratur et confirmatur : 8. *Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* Varia sunt tubarum signa militibus cognita; alio ad pugnam, alio ad requiem evocantur; quibus ut regantur, ea clare et distincte audiant necesse est, id quod fieri nequit si soni confusi tuba eduntur. Iam haec Apostolus adaptat argumento suo : 9. *Ita et vos per linguam* (i. e. per donum linguarum) *nisi manifestum sermonem* (εὔσημον λόγον sermonem bene significantem, i. e. intelligibilem) *dederitis : quomodo scietur id, quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes*. Quicumque alios lingua sibi prorsus ignota loquentes audit, sonos quidem percipit, at confusos dumtaxat, quos coniungere non potest, ut verba ipsi intelligibilia constituant; neque magis, quam soni instrumentorum musicorum, nisi iuxta artem distinguantur, melodiam efficiunt, soni confusi linguae ignotae sermonem intelligibilem efficere videntur; atque ita fit, ut, sicut soni musici confusi aërem dumtaxat percutiunt nec quidquam producunt, etiam precationes glossolalorum, quia ab aliis non intelliguntur, frustra pronuntientur.

Qua similitudine nonnulli abutuntur, ut glossolalos indistinctis et inexplanatis sonis usos esse demonstrent (*Eichh.* etc.); sed immerito; nam soni isti non nisi illis erant indistincti et inexplanati, quibus lingua, qua utebatur glossolalus, erat incognita. Id luce clarius apparet ex altera similitudine, qua Apostolus praecedentem sententiam quasi illustrat atque simul inutilitatem glossolaliae, nisi cum interpretatione coniuncta sit, confirmat : 10. *Tam multa, ut puta* (i. e. exempli gratia, εἰ τύχοι), *genera linguarum sunt in* (*hoc*) *mundo et nihil sine voce est : 11. si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, et qui loquitur, mihi barbarus.* Versio haec nec clara est, nec satis accurata. Vocabulum φωνῆς, quod et *sonum* et *vocem* et *sermonem* (i. e. linguam) significat, in principio sententiae recte translatum est : « tam multa *genera linguarum* (γένη φωνῶν) sunt »; hanc enim appellationem elegit Apostolus, quia γένη γλωσσῶν ei est terminus technicus ad donum linguarum designandum. Sed eadem significatio in reliqua sententia retineri debuit. Quapropter ἄφωνος non erat reddendum *sine voce*, sed *sine lingua*, i. e. illa re carens, quae ad linguae naturam requiritur. Lingua scilicet sonis, qui certas et definitas res significant, ita constituitur, ut haec eorum significatio nota sit oporteat; neque enim soni quicumque lingua labiisque pronuntiati sufficiunt, ut lingua (i. e. sermo) constituatur, sed sonorum significatio cognita i. e. intelligibilitas requiritur; unde ἄφωνος hoc in loco apte reddi potest *non intelligibilis*. Eadem ratione in *v.* 11. (τὴν δύνα-

μιν τῆς φωνῆς) sensus *linguae* (sermonis) melius retinetur, quamvis Vulgatae translatio (« virtutem *vocis* »), si vox pro vocabulo vel verbo sumitur (cfr *Act*. 13,37. τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν, « voces i. e. verba prophetarum ») utcumque tolerari possit. Itaque haec erit sententiae versio et explicatio accuratior : « Tam multa exempli gratia[1] genera linguarum in mundo sunt, nec ullum (ex istis generibus per se) est non intelligibile. Si igitur virtutem alicuius linguae nesciam (i. e. linguam illam non intelligam), ei qui eam loquitur (τῷ λαλοῦντι, et qui eam proinde callet) ero barbarus, et (vice versa) is, qui eam loquitur (ὁ λαλῶν), mihi erit barbarus ». Vocabulum βάρβαρος autem per onomatopoeiam formatum est ad exteros irridendos, qui, quia eorum lingua ignorabatur, blaesorum in modum balbutire sonosque inconcinnos et incomptos edere videbantur. Intime igitur haec sententia cum *v*. 9. cohaeret ex iisque, quae in quotidiana vita fiunt, glossolalos, nisi sermones suos interpretentur, revera in aëra loqui nec ullum fructum producere ostendit.

Iam vero omnia charismata ad utilitatem ecclesiae (12,7) dantur; hinc ex demonstrata glossolaliae nude spectatae inutilitate sua sponte fluit monitum : 12. *sic et vos, quoniam aemulatores estis spirituum, ad aedificationem ecclesiae quaerite, ut abundetis*. Nexum non satis intelligentes antiquitus iam aliqui tria priora verba (οὕτως καὶ ὑμεῖς *sic et vos*) cum priore sententiae coniunxerunt hunc in modum : « si nesciero linguam aliquam, ero ei, qui eam loquitur, barbarus, et ille mihi erit barbarus : sic et vos linguis loquentes vobis invicem eritis barbari » (*Theoph. Gl interl. Thom.* qui erronee legit : « sicut vos », *Lyr*. etc.); recentiores autem et moderni aliqui nonnulla saltem ad nexum restituendum supplere voluerunt (sic et vos *eritis vobis invicem barbari; quod ne contingat,* quoniam aemulatores estis spirituum, quaerite etc. *Est. M Ev. Dr. — Rück* etc.). Quae ellipsis prorsus arbitrarie statuitur; prior vero explicatio tolerari posset, si sequenti sententiae particula conclusiva esset addita (« quoniam *igitur* aemulatores estis » etc.), asyndeton vero hic admitti nequit. Multo rectius cum *Oecum*. plerique moderni particulae οὕτως vim conclusivam attribuunt : « Itaque (quia sc. ille, qui coram aliis lingua ignota utitur,

1. Plerique moderni verba εἰ τύχοι ab Apostolo addita esse censent, ne numerum linguarum exaggerare videretur; formula enim haud raro idem est quod τυχόν (*fortasse*) atque numeris addita incertitudinem quandam exprimit (δέκα εἰ τύχοι i. q. « fortasse decem » vel « circiter decem »). Vertunt igitur : « tam multa fortasse sunt linguarum genera » etc.; at cur haec limitatio addatur, quum τοιαῦτα prorsus sit indefinitum nec quidquam de multitudine numeri asserat, non apparet. Vulgatae igitur versionem, quae contextui quoque magis congruit, retinemus (*ut puta* i. q. *exempli gratia;* cfr 15,37).

pro barbaro habetur) et vos (sicut ego), quoniam charismata concupiscitis, illa assequi contendite, quibus utilitatem et aedificationem ecclesiae magis promoveatis ».

Nomine *spirituum* (πνευμάτων) dona spiritualia (τὰ πνευματικά 12,1 ; 14,1) designari clarum est; quae omnia quidem unus idemque operatur Spiritus, sed quia singulis dividens prout vult (12,10) diversis donis sese in diversis fidelibus manifestat, alius quidem se spiritum sapientiae, alius se spiritum scientiae etc. accepisse gloriari potuit; prorsus ridicule unus alterve rationalista (*Hilgenf.*) de multitudine quadam bonorum spirituum cogitavit, sicut multi mali spiritus interdum hominem aliquem invaserint. « Per ironiam Apostolum neophytos appellasse aemulatores spirituum » putavit *Theodor.*, sed ironiae non erat locus, ubi illos exhortatur, ut eadem ratione qua ipse (sic *et* vos, sicut ego) in studio tam sancto non inanem plausum sectentur, sed omnes suos conatus ad ecclesiae utilitatem referant (cfr *Iust.*); abundantiam enim charismatum eis exoptat, dummodo iis ad eum finem utantur, ad quem a Spiritu S. conceduntur.

3. *Glossolalia interprete deficiente in coetibus religiosis inepte adhibetur* (14,13-20).

14,13. *Et ideo, qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.* 14. *Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* 15. *Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente.* 16. *Ceterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae: quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit:* 17. *nam tu quidem bene gratias agis: sed alter non aedificatur.* 18. *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* 19. *Sed in ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam: quam decem millia verborum in lingua.*

13. διὸ ὁ λαλῶν γλώσσῃ προσευχέσθω, ἵνα διερμηνεύῃ. 14. ἐὰν προσεύχωμαι γλώσσῃ, τὸ πνεῦμά μου προσεύχεται, ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπός ἐστιν. 15. τί οὖν ἐστίν; προσεύξομαι τῷ πνεύματι, προσεύξομαι δὲ καὶ τῷ νοΐ· ψαλῶ τῷ πνεύματι, ψαλῶ καὶ τῷ νοΐ. 16. ἐπεὶ ἐὰν εὐλογῇς ἐν πνεύματι, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου πῶς ἐρεῖ τὸ ἀμὴν ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ; ἐπει τί λέγεις οὐκ οἶδεν. 17. σὺ μὲν γὰρ καλῶς εὐχαριστεῖς, ἀλλὰ ὁ ἕτερος οὐκ οἰκοδομεῖται. 18. εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσῃ λαλῶ. 19. ἀλλὰ ἐν ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους τῷ νοΐ μου λαλῆσαι, ἵνα καὶ ἄλλους κατηχήσω, ἢ μυρίους λόγους ἐν γλώσσῃ [1].

1. *VV. LL.* — 13. διὸ (quare) B ℵ A D E F G P, sed *textus recept.* διόπερ (quare sane) cum reliquis omnibus. Latinum *et ideo* nimis arcte hanc sententiam cum priore ligat. — 14. ἐάν (si) sine coniunctione B F G, aliqui minusc., *Sah. Arm.*; rectius : ἐὰν γάρ (*nam si*) ℵ A D E K L P, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Memph.* etc. — 15. προσεύξομαι... προσεύξομαι (*orabo... orabo*) B K L, plerique minusc. et PP., *It. Vulg.*; sed προσεύξωμαι... προσεύξωμαι (orem... orem) A D E F G P cum paucis minusc. — προσεύξομαι δὲ καί (orabo *autem* et) B ℵ A D E L, plerique minusc., *Memph. Syr.*; minus recte δέ omittunt F G K P, pauci minusc., *It. Vulg. Sah. Arm.* — Eadem differentia est in altero membro : ψαλῶ δὲ καί. — 18. τῷ Θεῷ sine μου (*Deo*) B ℵ A D E F G P, aliqui minusc., *Vulg.* (*Fuld. Amiat.* et *Tol.*), *Syr. Copt. Aeth.*; sed *textus rec.* : τῷ Θεῷ μου (*Deo meo*) cum K L, plerisque minusc., *Vulg.* (Clem.). — Ante πάντων additur ὅτι (*quod*) a F G, *It. Vulg. Syr. Copt.* : sensus idem manet, dummodo cum B ℵ D E P F G, nonnul-

Quoniam donum linguarum, nisi interpretatio accedat, aliis prorsus est inutile, consequens est, ut glossolalus etiam donum interpretationis sibi quaerere debeat (*v.* 13.). Quam conclusionem practicam ut confirmet, Apostolus precationem linguis factam, quia non totum hominem iuvet, ipsi glossolalo plenam utilitatem non afferre (14. 15) atque in coetibus publicis, quia non intelligatur, plane irrationabiliter adhiberi docet (16. 17). Suum quoque ipsius iterum (*cfr v.* 6) proponit exemplum, quippe qui in publicis coetibus, quia alios instruere velit, a glossolaliae usu abstineat (18. 19.)

Quo sensu Paulus Corinthios donis spiritualibus abundare vellet, iam innuerat eos *ad aedificationem ecclesiae* quaerere iubens, ut illis abundent. Quae ut accuratius explanet, generale monitum quaestioni propositae adaptat : 13. *Et ideo, qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.* « Hic ostendit Apostolus, in eorum esse potestate, ut donum illud accipiant : nam *oret*, inquit, i. e. quae in eius potestate sunt posita, faciat; si diligenter enim et magno cum ardore petieris, accipies. Pete ergo, ut non solum habeas donum linguarum, sed etiam interpretationis charisma; quo fit, ut omnibus sis utilis » (*Chrys.*). De precatione Apostolum loqui, qua donum interpretationis glossolalus a Deo expetat, communis est et vera antiquorum omnium, quum Graecorum tum Latinorum explicatio, quam etiam moderni plerique cath. (*MEv. Bisp. LR. Dr.* etc.) et haud pauci acath. (*Kl Br. Ev. Goeb.* etc.) merito retinuerunt.

Pauci tamen moderni cath. (*Mai. Ramb.*) et multi acath. (*Billr. de W. Ew. Mey. God. Schn.* etc.) ad sequentem *v.* 14, qui particula causali cum nostro coniungitur, prospicientes, monent verbum προσεύχεσθαι (*orare*) in nostro versu sensu eodem, quo in sequente, sumendum esse, in sequente autem sententia προσεύχεσθαι *usum* doni linguarum ipsius designare; itaque explicant : « ideo, qui lingua loquitur, linguis oret eum solum in finem, ut immediate postea precationem suam interpretetur ». Quae explicatio in se parum apta tantum abest, ut contextu postuletur, ut ei parum congruat. Praeprimis enim erronee supponit, omnes glossolalos interpretari potuisse et debuisse; at donum interpretationis cum glossolalia non semper fuisse coniunctum, ex toto Pauli tractatu apparet; nec omnes glossolalos *debuisse* ipsos inter-

lis minusc. et omnibus verss. verbum finitum λαλῶ reponatur, neglecto *textu rec.*, qui cum K L et plerisque minusc. habet partic. λαλῶν. — ὑμῶν πάντων μᾶλλον (*magis* vobis omnibus) est communis lectio graeca, cui consentiunt verss. praeter *It.* et *Vulg.*, quae cum uno solo minusc. vocabulum μᾶλλον omittunt; omnino legendum est : *quod omnibus vobis magis lingua loquar*, quam lectionem etiam *S. Hier.* (ad Hedib. ep. 120,9) supponit.

pretari, docet *v.* 27. Porro ex eo, quod προσεύχεσθαι γλώσσῃ (*v.* 14) sit idem quod *linguis loqui*, profecto non sequitur, nudum verbum προσεύχεσθαι (*v.* 13) eodem sensu esse adhibitum. Demum particula causalis γάρ docet, in sequente sententia (*v.* 14) contineri rationem praecedentis (*v.* 13); iam vero minor utilitas, quam glossolalus *ipse* ex sua precatione trahit, non potest esse ratio, cur linguis eum in finem loqui iubeatur, ut interpretetur.

Donum igitur interpretationis petere iubetur glossolalus, idque proxime, quia ipse, si precationem suam intelligat, maiorem ex ea hauriat utilitatem : 14. *Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* 15. *Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente.* « Hunc locum inter ceteros huius capitis difficiliorem esse », haud immerito asseruit *Salm.*, si ad plurimas, quae propositae sunt, eius explicationes attendimus; quid enim in his sententiis nomina *spiritus* (τὸ πνεῦμα) et *mentis* (ὁ νοῦς) significent, res controversa et plena dissensionis inter antiquos et modernos interpretes est. Equidem eorum sententiam omnino praeferendam existimo, qui spiritum a mente ita distinguunt, ut prior sit « pars affectiva hominis, prout ad spiritualia, ad Deum summe spiritualem, affecta est impulsu Spiritus S.; altera vero pars sit intellectiva, prout contemplatur, meditatur et penetrat » (*Cai.* cfr *Lyr. Dion. Sa, Est. Nat. Pic. L R. Dr.* etc.). Neque immerito exemplum afferunt hominis, qui latinae linguae expers a Spiritu S. ad latinum Psalmum (ex. gr. Miserere) dicendum movetur; eius enim *spiritus* quidem orat, siquidem pars eius affectiva devotione ad Deum accenditur et ab eo spiritualem gratiam remissionis peccatorum petit; sed *mens* eius, i. e. intellectus, sensum verborum non meditatur nec penetrat; ideoque mens, quatenus ei incumbit officium penetrandi significationem eorum, quae in oratione dicuntur, sine fructu proprio manet, licet homo affectu intimius cum Deo uniatur atque ita aedificetur (*cfr v.* 4). Alterum exemplum praebet quotidiana meditantium experientia; haud raro enim fit, ut praevia meditatione accensus animus per aliquod temporis spatium cessante intellectus activitate in Deo quasi requiescat eoque fruatur; quo tempore spiritus, i. e. voluntas s. affectus, procul dubio orat de beneficiis acceptis gratias agens aut nova beneficia expetens, mens tamen, i. e. intellectus, in directa divinarum rerum cognitione non proficit; atque ita accidere potest, ut homo, quamvis magna consolatione in meditatione fruitus sit atque etiam haud levem fructum ex ea desumserit, tamen immediate postea gravi tentatione vincatur, quia mens eius nec occasiones proximas praevidit nec subsidia ad tentationes effugiendas aut vincendas conquisivit.

Quapropter, ut integer homo oratione sua privata iuvetur, oret oportet *spiritu* et *mente*, i. e. non tantum affectu intimius cum Deo coniungatur, sed etiam intellectu ea, quae orat, meditetur ac penetret. Quae de precatione, eadem de gratiarum actione et de adoratione valent; psallat igitur quoque oportet et spiritu et mente.

Ab hac interpretatione haud longe absunt alii moderni interpretes, pauci cath. (*Bisp.*), multi acath. (*Beng. Mey. Kl Br. God. Goeb.* etc.), qui nescio quam psychologiam secuti nomine *mentis* quidem intellectum, nomine *spiritus* autem « intimam substantiam et essentiam animi » (innerste Substanz und Wesenheit der Seele » *Bisp.*) aut « penetrale mentis » (*Beng. Mey.*) designari dicunt, ceterum eodem modo, quo nos, sententiam explicant. Alii nomine spiritus « imaginativam virtutem intelligunt, quae oret, in quantum voces seu similitudines rerum corporalium tantum sint in imaginatione, quin intelligantur ab intellectu » (*Thom*[3]. cfr *S. Aug.* de Trin. XIV. 16); sed num inferior animae facultas usquam vocatur πνεῦμα? Alii spiritum volunt esse « rationem ea, quae oro, mihi dictantem » (*Thom*[2].); sed si ratio dictat, mens sine fructu non est. Longius a vero recedunt, qui spiritum dicunt esse halitum, i. e. vocem, quae loquitur, ut sensus sit: « ore quidem meo oro, sed sine attentione et devotione » (*Prim. Herv. Gagn. Erasm. Mar.* etc.). Alii demum spiritum intelligunt « charisma, quod datum est mihi et movet linguam » (*Chrys.* etc.) aut ipsum « Spiritum S. qui nobis datus nos ad orandum inclinat et movet » (*Thom*[1]. *Mai.* etc. — *Billr. Rück. Heinr.* etc.); sed num charisma mihi datum aut Spiritus S. mihi datus eodem modo, quo de mente *mea* loquor, dici potest: Spiritus *meus?*

Altera explicationis differentia spectat vocabulum ἄκαρπος (*sine fructu*). Plerique antiquiores illud de fructu ipsius orantis interpretantur; sensu igitur passivo, sicut nos, illud sumunt. At *Theod.* iam sensu activo illud sumsit monens « fructum, de quo agatur, esse auditorum utilitatem »; simili ratione quoque *S. Basil.* (Reg. brev. tract. 278): « quando ignota sunt adstantibus, inquit, precum verba, sine fructu est mens precantis, quum nemini utilitatem afferat: quando autem adstantes precationem, quae audientibus utilis esse possit, intelligunt, tunc orans eum fructum habet, ut meliores fiant auditores ». Quae sententia, licet haud paucis placuerit (*Iust. Lap. Tir. Gord. M Ec. Mai. Ramb.* etc. — *Heinr.* etc.), nobis non probatur, quia non intelligitur, cur ad hunc sensum exprimendum, quem iam saepius indicaverat, Apostolus tam miram phrasin elegerit; cur enim *mentis* specialem mentionem fecit? Clarius enim dixisset: « spiritu mens orat quidem, sed alios non aedificat » (cfr *v.* 2. 4. 6 etc.).

Quodsi glossolalus precationis suae plenam utilitatem ipse iam non percipit, multo minor est fructus, quem adstantibus sua oratione affert; aliqua quidem ratione ipsi quoque orantis devotione, quae et ex eius voce et ex toto eius habitu exteriore cognoscitur, iuvari possunt, at verba eius non intelligentes eius orationem nec approbare nec suam facere possunt: 16. *Ceterum, si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae: quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit.* 17. *Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non aedificatur.* Locutionem *spiritu benedicere* (εὐλογεῖν πνεύματι) idem hoc in loco significare, quod linguis ignotis benedictionem vel

gratiarum actionem proferre, contextus docet; neque minus clarum est, verba *benedicendi* (εὐλογεῖν) et *gratias agendi* (εὐχαριστεῖν, εὐχαριστία) velut synonyma haberi (*cfr ad* 11,24). Porro *idiota* (ἰδιώτης) a Graecis et a plerisque recentioribus modernisque intelligitur homo privatus nullo munere publico fungens; in oppositione igitur ad glossolalum, qui eo tempore, quo in ecclesia dono suo utitur, publicam personam agit, nomine hoc omnes, qui coetui intersunt, designantur. Minus recte antiquiores Latini cum *A*[tro] et *Gl ord.* nomine idiotae virum imperitum vel rudem intellexerunt : « idiota proprie dicitur, qui scit tantum linguam, in qua natus est » (*Thom.*). Circumlocutio autem (*qui supplet locum idiotae,* ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου) nec cum Graecis de laicis in oppositione ad clerum, nec cum aliis de illo, qui designatus fuerit, ut sacerdoti respondeat (cfr *Est.* etc.), interpretanda videtur, sed eam elegit Apostolus, quia relatio, quae episcopum inter et plebem semper adest, illo dumtaxat tempore inter coetum fidelium interque glossolalum intercedit, quo hic a Spiritu S. ad publice precandum adiuvatur. Itaque auditores, quum glossolali verba non intelligant, rationabiliter ei nec respondere nec dicto *Amen* (ita fiat) eius benedictionem gratiarumque actionem sibi appropriare possunt. Morem enim, ut episcopis vel presbyteris aut etiam prophetis et glossolalis preces praeeuntibus integra fidelium congregatio *Amen* acclamantes sese cum illis hanc orationem Deo offerre profiterentur, primi Christiani, uti multos alios ritus, ex synagoga transumserant (cfr *Deut.* 27,15 sqq.; 1 *Par.* 16,36; *Ps.* 105,48 etc.); idem quoque post apostolicam aetatem est retentus (cfr *S. Iustin. M.* Apol. I. 65. etc.) atque ad nostra usque tempora perdurat.

Animadvertatur oportet, Paulum de precibus, quibus SS. Eucharistia consecrari solebat, aliisve ordinariis liturgiae precibus, quae fidelibus, etsi forte non omnia et singula verba audiebant aut intelligebant, plane cognitae erant, non agere, sed de extraordinariis precationibus, quarum ipsum argumentum, nisi explicabatur, omnibus prorsus erat ignotum; porro extraordinarias quoque illas precationes ab Apostolo non absolute vituperari, sed omnino permitti, si quis adsit qui eas interpretetur. Immeritissimo igitur antiquiores et moderni acath. his Pauli verbis nixi Ecclesiam ob liturgicum latinae linguae, quae a plebe non intelligatur, usum vituperant. Praeprimis enim argumentum precum liturgicarum populus christianus, etsi verba non intelligat, plane intelligit, et quum in tota liturgia nihil contineri sciat, quod non maxime sanctitatem ac pietatem spiret mentesque in Deum erigat, omnes quoque precationes dicto Amen approbare sibique appropriare potest ac debet. Secundo extraordinariae precationes linguis ignotis prolatae a Paulo vituperantur, si interpres, qui eas auditoribus ex-

plicet, deest; atqui interpres populo christiano numquam deest, qui ei liturgicas preces explicet; quin immo « ne oves Christi esurirent neve parvuli panem peterent et non esset, qui frangeret eis, mandavit sancta synodus (tridentina) pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut *frequenter* inter missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis, quae in missa leguntur, aliquid exponerent, atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declararent, diebus praesertim dominicis et festis » (*Conc. Trid.* Sess. 22. Doctr. de sacrif. miss. cp. 8); eadem episcopis quoque omnibus praecipit, « ut non solum, quum sacramenta per se ipsos populo erunt administranda, prius illorum vim et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis parochis pie prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit et commode fieri poterit, servari studeant iuxta formam a sancta synodo in catechesi singulis sacramentis praescribendam, quam episcopi in vulgarem linguam fideliter verti atque a parochis omnibus populo exponi curabunt » (Sess. 24. de reform. 7). Quomodo igitur verba paulina de latinis precibus et formulis liturgicis explicari possint, nemo prudens intelliget. Profecto preces omnes liturgicae, quae in sacrificii augustissimi celebratione, sacramentorum administratione etc. adhibentur, cunctas in linguas sunt translatae, innumeris editionibus propagatae, quam plurimis commentariis explicatae et illustratae; quomodo ergo cum precatione aliqua comparantur, quam glossolalus extraordinario Spiritus S. instinctu pronuntiavit sed ne ipse quidem intellexit, nedum explicare aut interpretari potuerit? Bene acatholicorum obiectionem iam praeoccupavit *Thom.* : « Quare non dantur benedictiones in vulgari, ut intelligantur a populo et conforment se magis eis? Dicendum est, quod forte fuit in Ecclesia primitiva, sed *postquam fideles instructi sunt et sciunt, quae audiunt in communi officio*, fiunt benedictiones in latino ». Nonne demum in ipsa apostolica liturgia vocabula nonnulla aramaica (Amen, Maran atha, Abba etc.) adhibebantur, quae neophytis explicari debebant, uti nunc preces latinae populo explicari debent? Sed haec satis multa vel plura potius, quam necesse fuit, de hac stulta obiectione (cfr *Iust. Est. Lap. Nat. Pic. M Ev.* etc.).

Quam inutile fidelibus donum linguarum esse censeat, nisi accesserit interpretatio, ultimo in loco suo ipsius exemplo probat : 18. *Gratias ago Deo (meo), quod omnium vestrum lingua loquar;* 19. *sed in ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua.* Latina lectio, quum corinthii neophyti omnes graecam linguam haberent vernaculam, difficultatem quandam creat, quam variis modis antiquiores removere conabantur; alii enim in ecclesia corinthia etiam Iudaeos, qui lingua syra et hebraea utebantur, adfuisse monuerunt (*A*ler etc.), vel graecae linguae fuisse varias dialectos (*Haym. Mar.* etc.), vel Corinthum, utpote magnum in emporium, omnium nationum homines confluxisse (*Lap.* etc.);

alii Paulum omnes ubique terrarum neophytos alloqui aut de omnibus illis linguis loqui statuerunt, quae a glossolalis corinthiis adhibitae sint (*Herv. Lomb.* etc.). Quae et alia similia effugia superflua sunt, si genuina lectio graeca retinetur, quam etiam praetulit, sed nimis arcte explicavit *S. Hier.* : « Apostolus Paulus, inquit, gratias agit Deo, quod cunctis Apostolis magis linguis loquatur » (ad Hedib. ep. 120,9); neque enim Apostolis, sed cunctis neophytis corinthiis Paulus sese comparat. Namque tantum abest, ut linguarum charisma, etiamsi illius minorem utilitatem multis argumentis demonstravit, vilipendat aut despiciat, ut Deo gratias agat, qui summo in gradu illud ipsi dederit. Omnes enim fideles se hoc dono superare asserit, quin etiam pro arbitrio ab eo adhibendo sese abstinet soli fidelium utilitati intentus, quam unice quaerat sed precationibus ex linguarum dono prolatis, i. e. non intellectis, promovere nequeat. Hinc *in ecclesia*, i. e. in publica fidelium congregatione, *quinque*, i. e. pauca, *verba* τῷ νοΐ (vel διὰ τοῦ νοός) i. e. per intellectum suum eum in finem, ut simul alios doceat, dicere mavult, quam *decem millia verborum in lingua*, quibus ipse quidem aedificatur, sed neophyti in via virtutis non promoventur. *Per intellectum suum* vel intellectu suo loquitur, qui verba sua intelligit auditorumque necessitatibus adaptare potest.

Etsi *Pelag.* scite iam monuerat, iis, qui quae *essent quinque verba* inquirerent, quaerendum quoque esse, quae essent *decem millia verborum*, multi tamen antiquiores varia de quinque illis verbis coniectarunt. *S. Hier.* ea ad quinque Moysis libros (ad Paulin. ep. 53,8), *Theophyl.* ad medicinas quinque refert, quibus quinque sensus nostri sanentur; iuxta *Thom.* doctor quinque res docere debet : credenda, agenda, vitanda, speranda, timenda; omnisque oratio, ut perfectum praebeat sensum, quinque partibus constare debet : subiecto, praedicato, copula verbali, determinatione subiecti, determinatione praedicati. Quibus merito praetermissis adscribere malumus practicam conclusionem, quam ex his Pauli verbis colligit *Caiet.* : « Unde discere debemus, eligibilius esse, ut in ecclesia dicantur divina, i. e. horae canonicae et missae, intelligibiliter sine melodia musica, quam sic ut non intelligi possint, qualiter sunt tam particulae, quae sonis committuntur organorum, quam quas cantus reddit imperceptibiles vel multitudine clamoris occupantis, vel qualitate cantus notas magis quam verba concinentis » vel infinita repetitione et permixtione vocabulorum aut syllabarum, quae per se sensum non exprimunt.

4. *Glossolalia infidelibus quoque, quibus est signum, minus est utilis, quam prophetia* (14,20-25).

14,20. ***Fratres, nolite pueri effici sensibus sed malitia parvuli estote; sensibus***

20. Ἀδελφοί, μὴ παιδία γίνεσθε ταῖς φρεσίν, ἀλλὰ τῇ κακίᾳ νηπιάζετε, ταῖς δὲ φρεσὶν

autem perfecti estote. 21. *In lege scriptum est : Quoniam in aliis linguis et labiis aliis loquar populo huic : et nec sic exaudient me, dicit Dominus.* 22. *Itaque linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus : prophetiae autem non infidelibus, sed fidelibus.* 23. *Si ergo conveniat universa ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur, intrent autem idiotae aut infideles : nonne dicent, quod insanitis?* 24. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus :* 25. *occulta cordis eius manifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians, quod vere Deus in vobis sit.*

τέλειοι γίνεσθε. 21. ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται, ὅτι ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέρων λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ, καὶ οὐδ' οὕτως εἰσακούσονταί μου, λέγει Κύριος. 22. ὥστε αἱ γλῶσσαι εἰς σημεῖόν εἰσιν οὐ τοῖς πιστεύουσιν ἀλλὰ τοῖς ἀπίστοις, ἡ δὲ προφητεία οὐ τοῖς ἀπίστοις ἀλλὰ τοῖς πιστεύουσιν. 23. ἐὰν οὖν ἔλθῃ ἡ ἐκκλησία ὅλη ἐπὶ τὸ αὐτὸ καὶ πάντες λαλῶσιν γλώσσαις, εἰσέλθωσιν δὲ ἰδιῶται, οὐκ ἐροῦσιν, ὅτι μαίνεσθε; 24. ἐὰν δὲ πάντες προφητεύωσιν, εἰσέλθῃ δέ τις ἄπιστος ἢ ἰδιώτης, ἐλέγχεται ὑπὸ πάντων, ἀνακρίνεται ὑπὸ πάντων, 25. τὰ κρύπτα τῆς καρδίας αὐτοῦ φανερὰ γίνεται, καὶ οὕτως πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον προσκυνήσει τῷ Θεῷ ἀπαγγέλλων, ὅτι ὄντως ὁ Θεὸς ἐν ὑμῖν ἐστίν[1].

A fidelibus, quibus linguarum charisma, si cum interpretationis dono coniunctum non est, multo minorem, quam prophetia, utilitatem praestat, Apostolus ad infideles monito quodam transit, quod prioris pericopae est clausula et alterius exordium : 20. *Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote.* Pueri de rerum omnium pretio non ex earum utilitate sed ex externa earum specie earumque iucunditate diiudicare solent. Similem agendi modum Corinthii tenuerunt, qui glossolaliam ob maiorem quam excitabat admirationem praediligebant ad fratrum utilitatem non attenti. Itaque magna cum caritate quidem (velut *fratres* enim eos alloquitur) sed non sine acerba quadam ironia neophytis de sapientia sua superbientibus et gloriantibus inculcat, ne *pueri* fiant *sensibus* (τοῖς φρεσίν). Φρήν vel potius φρένες proxime *praecordia* significat velut mentis sedem, sed ab antiquissimis iam profanis scriptoribus ad mentem ipsam designandam adhibetur, ut φρήν fere idem sit quod νοῦς, pluralis tamen (φρένες) sanae mentis affectum, ut ita dicam, seu prudentiam exprimat. Prudentia igitur pueros longe superare virosque perfectos eos esse iubet, sed eodem tempore maneant oportet, uti parenthetice inserit, non tantum pueri (παιδία), sed etiam *parvuli malitia* (τῇ κακίᾳ νηπιάζετε); ad Domini praeceptum (*Matth.*

1. *VV. LL.* — 21. χείλεσιν ἑτέρων (labiis aliorum) B ℵ A; melius cum aliis fere omnibus testibus : χείλεσιν ἑτέροις (*labiis aliis*). — 23. ἐὰν οὖν (*si ergo*) est communis et certa lectio; soli F G cum *It.* omittunt particulam οὖν. — ἔλθῃ (veniat) B G soli; rectius reliqui : συνέλθῃ (*conveniat*). — ἰδιῶται (*idiotae*) sine addito solus B; adde cum reliquis : ἢ ἄπιστοι (*aut infideles*). — 25. τὰ κρύπτα τῆς καρδίας (*occulta cordis*) asyndete priori membro adiungitur a B ℵ A D F G, nonnullis minusc. et omnibus verss.; sed *textus rec.* superflue praemittit : καὶ οὕτως (et sic) cum K L et plerisque minusc.

10,16) videtur alludere, qui serpentium prudentiam et columbarum simplicitatem suis commendavit.

Qua admonitione praemissa ostendere aggreditur, infidelibus quoque, quamvis eis linguae in signum sint datae (21. 22), prophetiam longe utiliorem esse, quippe qua sola ad verum Deum agnoscendum adducantur (23-25).

Atqui linguas infidelibus in signum esse datas, ex typico sensu textus alicuius prophetici colligit, qui simul quae sit huius signi natura docet. 21. *In lege scriptum est : Quoniam* (ὅτι) *in aliis linguis et labiis aliis loquar populo huic : et nec sic exaudient me, dicit Dominus.* Nomen *legis* plerumque quinque libros mosaicos, utpote totius veteris oeconomiae fundamentum, designat, latiore tamen sensu haud infrequenter omnes quoque veteres Scripturas comprehendit (cfr *Ioan.* 10,34; 12,34; 15,25 etc.); quem loquendi usum secutus Paulus verba, quae *Is.* 28,11 sqq. leguntur, in *lege* scripta esse dicit.

Liberrimo modo ea allegat ab alexandrina versione, quam plerumque sequitur, longissime recedens, quia genuinum sensum nec clare nec accurate reddiderat; hebraicam igitur sententiam suis verbis exprimit ea praetermittens, quae ad finem eius non pertinebant. Illo in loco[1] Deus per Isaiam incolas regni Iuda carpit, qui prophetam divina praecepta inculcantem divinaque iudicia minitantem irridebant balbutiente ebriorum voce vaticinia eius per ludibrium imitantes : « manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi » (vel accuratius : « praeceptum ad praeceptum, praeceptum ad praeceptum, norma ad normam, modicum ibi, modicum ibi » (צַו לָצָו צַו לָצָו קַו לָקָו וג׳). Quam irrisionem Deus impunem esse non sinet : « *nam per balbutientes labiis et per linguam alienam loquetur ad populum hunc*, cui dixit : ibi est requies, date requiem fessis, ibi est refectio, et audire noluerunt. Et erit eis verbum Domini : manda remanda..., ut vadant et cadant retrorsum et conterantur et illaqueentur et capiantur ». Quae a propheta ex divina inspiratione dicta sunt, ea Deo loquenti directe attribui possunt; quare mutatio tertiae personae in primam et additio verborum : *dicit Dominus*, sensum non alterant. *Balbutientes linguis* (לַעֲגֵי שָׂפָה) porro sunt *barbare loquentes*, i. e. alienis linguis, quae non intelliguntur, utentes; hinc prioris membri sensus apud prophetam et apud Apostolum idem est. Difficultas vero quaedam in eo est, quod ultima verba ab Apostolo allegata in prophetae vaticinio non esse expressa videantur. Immerito enim ab antiquis et modernis interpretibus verba prophetae : *et audire noluerunt*, cum verbis Apostoli : *et nec sic exaudient me* comparantur et componuntur; propheta enim illis verbis inoboedientiam Iudaeorum velut *causam* indicat, propter quam Deus per barbaros ad populum sit locuturus; Paulus vero suis verbis *effectum* indicat, quem

1. De toto hoc vaticinio cfr *Knabenbauer* Comment. in Is. I. p. 504 sqq.

locutio barbara in populo sit productura, vel potius non productura : sensum igitur prorsus mutasset, si illa prophetae verba allegasset. At attendas velim, prophetam quum versu insequente (et erit eis verbum Domini..., ut vadant et cadant etc.) tum toto reliquo vaticinio clare indicare, locutionem illam barbaram fructum *conversionis* populi non esse producturam; uti alibi igitur (*cfr ad* 1,31) Paulus paucis suis verbis hunc prophetae sensum expressit; neque tamen negamus, eum prioribus prophetae verbis (*et noluerunt audire*) adductum esse, ut simili expressione uteretur.

Deus ergo per prophetam minatur, sese in populum iudaicum, qui fide abiecta prophetas balbutiente lingua irridebat, gentes barbaris linguis utentes esse immissurum, atque simul fore praedicit, ut per barbaros illos populus ad conversionem non adducatur. Iam vero Assyrii (eorum enim irruptionem annuntiat Isaias), quorum lingua, quamvis hebraeae vicina esset, a Iudaeis non intelligebatur quorumque in exercitu aliae multae nationes barbarae erant, Apostolo typus sunt eorum, qui in Novo Test. charismate linguarum erant instructi; adducto enim vaticinio statim concludit : 22. *Itaque linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.* Quo cum iure typicam hanc rationem statuat et ex prophetae verbis hanc conclusionem derivet, ex iis, quae disseruimus, satis apparet. Etenim Assyrii lingua ignota loquentes a Deo sunt missi, quando populus intelligibili prophetarum sermone irriso et reiecto infidelem se esse factum demonstraverat, et signum fuerunt omnipotentis Dei, qui ut verba sua spernantur et irrideantur non permittit; Assyriorum vero missione manifestata quidem, sed non sublata est Iudaeorum infidelitas, qua indignos sese reddiderant, quibuscum Deus intelligibili prophetarum voce amplius loqueretur. Atqui si prima linguarum apparitio perpenditur, clarum est, eas quoque non fideli, sed infideli populo velut signum divinae potentiae esse datas easque populum ad conversionem non adduxisse, sed in infidelitate reliquisse. Namque Iudaeis, qui Messiam suum plus tribus annis Evangelium intelligibili sermone annuntiantem splendidisque miraculis confirmantem respuerant mortique tradiderant, paucis hebdomadis postea in die pentecostes Apostoli linguis loquentes sunt missi; tantum vero abest, ut hoc divinae omnipotentiae signo Iudaei infideles ad Messiam suum sese converterint, ut Apostolos variis linguis magnalia Dei celebrantes musto plenos esse proclamaverint (*Act.* 2,13. 15). Proxime igitur et directe linguae non ad fidelium fidem confirmandam, sed ad manifestandam et etiam certo quodam modo puniendam infidelium infidelitatem sunt datae. Sicut Dominus olim ipse, quum planam eius praedicationem Iudaei accipere renuissent, clare et aperte eis amplius loqui noluit sed per parabolas docere coepit (*cfr Matth.*

13,10 sqq.), Deus quoque glossolalos infidelibus in signum misit, quo eos indignos esse ostenderet, quibuscum clare et aperte loqueretur. Sed aliud est *in signum* esse, aliud *ad utilitatem* esse : itaque Paulus linguas fidelibus in signum datas esse negans, nequaquam eas fidelibus inutiles esse docet; quomodo enim sibi ipse contradiceret (*cfr v.* 4 etc.)? Neque ex eius verbis colligere licet, linguas infidelibus esse signum mere obiurgatorium nec ullam eis utilitatem attulisse. Directe quidem et immediate glossolali ad infidelium conversionem non magis iuvant, quam olim Assyrii ad Iudaeorum conversionem iuverunt (*cfr v.* 23); sicut vero remote et indirecte Assyriorum irruptio conversionem Iudaeorum praeparavit, ita linguae ad *praeparandam* infidelium conversionem aliquid interdum conferre possunt : revera in prima pentecoste multos Iudaeos hoc signo obstupefactos et quasi exterritos confusosque Petro miraculi rationem explicanti aures praebuisse eiusque deinde exhortatione ad poenitentiam agendam adductos esse videmus. Arctius ergo *S. Chrys.* sensum signi explicat, si id « unum linguarum opus et munus » fuisse dicit, ut obstupefacerent et conturbarent infideles.

Linguae igitur in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus; *prophetiae autem* (lege : *prophetia autem,* ἡ δὲ προφητεία) *non infidelibus sed fidelibus.* Alterum hoc membrum Apostolus ex Isaiae verbis, qui de prophetia non loquitur, velut conclusionem non derivat, sed velut sententiam per se claram omnibusque notam priori membro elucidationis gratia addit; ex quo ceu praedicatum supplendum est : εἰς σημεῖόν ἐστιν : « prophetia fidelibus *in signum est* »; hoc enim supplementum contextus grammaticus evidenter postulat, et Apostolus, si nudum verbum *est* aut aliud praedicatum (usui est etc.), id quod nonnulli censent (*Est.* etc. — *Mey.* etc.), suppleri voluisset, illud exprimere debuisset. Ac profecto sicut linguae sunt signum infidelibus, quo Deus eorum infidelitatem patefacit et condemnat, ita prophetia fidelibus est signum, quo Deus eorum fidem manifestat et approbat. Prophetae enim, si pro ordinario suo munere fidelibus ad aedificationem et exhortationem et consolationem loquuntur (*v.* 3), fidem iam supponunt et promovent; sin vero aliquoties a Spiritu incitantur, ut infideles alloquantur, sermonibus suis eos ad fidem adducunt (*v.* 25), dum linguis loquentes eos in infidelitate relinquant.

Iam quo sensu dixerit, linguas infidelibus, prophetiam fidelibus in signum esse, Apostolus duobus exemplis accuratius eo fine explanat, ut prophetiam infidelibus quoque utiliorem, quam glossolaliam, esse ostendat, quia linguae eos ad fidem non adducant (*v.* 23), prophetia vero ex infidelibus fideles faciat (24. 25). Ita enim pergit :

23. *Si ergo conveniat universa ecclesia in unum et omnes linguis loquuntur, intrent autem idiotae aut infideles : nonne dicent, quod insanitis?* Utrum Apostolus omnes simul eodem tempore, an omnes unum post alterum linguis loqui supponat, dissentiunt interpretes; quoniam glossolali non fidelium coetum sed solum Deum alloquebantur, nihil impedit, quominus eos eodem tempore locutos esse admittamus; procul enim dubio in festo pentecostes Apostoli omnes eodem tempore magnalia Dei variis linguis celebrabant (*cfr Act.* 2,7 sqq.), atque in ecclesia corinthia quoque glossolalos simul locutos esse, Apostoli praeceptum, quo id in posterum fieri vetat (*v.* 27), satis clare docet (cfr *A^ler* etc., *Lap.* etc., *Mai.* etc. — *Olsh.* etc.). Dissentiunt quoque interpretes, quinam nomine idiotarum designentur. Atqui clarum est (licet nonnulli contradicant : *Heinr. God.* etc.), nomen hoc loco non eodem sensu, quo *v.* 16., usurpari : ibi enim *ille qui idiotae locum tenet* soli glossolalo publicam personam agenti opponitur, sed hic idiotae ab universo fidelium coetu in unum congregato distinguuntur, ita ut membra illius ecclesiae, in cuius congregationem intrant, esse nequeant; quoniam vero etiam ab infidelibus distinguuntur, admittamus necesse est, eos aut esse fideles ex aliis ecclesiis, in quibus charisma linguarum ignotum erat, Corinthum advectos, qui igitur istius rei ignari erant (*Bisp.* etc. — *Mey.* etc.), aut eos esse neophytos vel catechumenos, qui eousque glossolalos nondum audierant (*Theod. Pel.* etc. *Est.*, etc. — *Olsh.* etc.). Iuxta Paulum ergo tantum abest, ut glossolalia infideles ad fidem adducat, ut eorum irrisionem provocet; sicut Apostoli linguis loquentes ab infidelibus Iudaeis dicebantur musto pleni, ita fideles linguis loquentes ab infidelibus *insanire* (μαίνεσθαι i. e. arreptitii esse *Gl. interl.*) dicuntur.

Prorsus diversa est prophetiae ratio : 24. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus,* 25. *occulta cordis eius manifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* Quoniam prophetae coetum fidelium alloquebantur, eos simul eodem tempore locutos esse, admitti non facile potest; attamen Apostolus praecepto, quod prophetis dat (29. 30), etiam hunc abusum Corinthi exstitisse, videtur insinuare. Nihilominus eorum sermones, quia ab omnibus intelligebantur, fructu suo non plane carebant. Spiritu enim divino illustrati prophetae vividis coloribus vitia hominum eorumque sequelas ita depingebant, ut peccator culpam suam fateri cogeretur (*convincitur*); praetextus vanos, quibus homines coram mundo et coram se ipsis culpam suam diminuere atque obtegere conantur, detegebant, ut peccator veram suam imaginem iam clare videret (*diiudi-*

catur); peccati deinde fontes, superbiam, concupiscentiam oculorum et carnis patefaciebant, ut *occulta cordis manifesta fierent;* quibus sermonibus perculsus infidelis Deum ipsum in prophetis loqui agnoscebat et ad poenitentiam adductus (*cadens in faciem*) collum suum iugo fidei submittebat (*Deum adorabit*). Itaque quum charisma linguarum ad infidelium conversionem directe non iuvet, summae utilitatis ipsis quoque infidelibus est prophetia, quippe qua directe et immediate ad fidem adducantur; glossolali enim ab infidelibus plerisque pro arreptitiis, qui a malo spiritu regantur, prophetae vero pro veri Dei interpretibus habentur. Alii verba *in vobis* explicare malunt : quod Deus vere *inter vos* sit, in vestro coetu colatur; sed explicationem nostram praeferimus, ut accuratior habeatur oppositio ad glossolalorum descriptionem, qui μαίνεσθαι (a daemone agitari) creduntur.

Licet in multis minoribus rebus satis magnus sit interpretum dissensus, integrae pericopae tamen explicatio, quam dedimus, communis dici potest; ab ea vero plane dissentit *Cai.*, cuius expositionem *Est.* « multo magis textui quadrare » censet. Ita autem *Cai.* : « Ex allata Isaiae sententia deducit Paulus differentiam inter prophetiam et linguas penes eos, quibus haec in signum data sunt a Deo. Et intendit ad literam, quod donum linguarum datum est a Deo in signum hebraeo populo tempore infidelitatis eorum ad confutandam eorum incredulitatem, prophetia vero data est eidem populo tempore fidelitatis eorum. Si distinxeris statum hebraei populi in statum, quo veram habuit fidem, et statum, quo de statu fidelium transivit ad statum infidelium, perspicies, quod innumeri prophetae dati sunt populo illi, dum erat in statu verae fidei : quum autem occiso Christo increduli in consortium infidelium transirent, advenit Spiritus S. in dono variarum linguarum. Itaque differentia linguarum et prophetiae, quam heic ponit Paulus, penes statum iudaici populi intelligitur. Et dixit hoc, ut Corinthii discernerent ex diverso statu populi hebraici, quo data est eis prophetia et quo datum est eis donum linguarum, quantum praeeminet prophetia linguis. Describit enim prophetiam fructuosam populo illi, utpote fideli, donum autem linguarum infructuosum eidem populo, utpote nec sic credenti vero Messiae, immo ex tunc transferens eos in genus infidelium. Hoc enim deducit Paulus dicendo, quod in signum sunt incredulis, procul dubio Iudaeis Messiae non credentibus ». Libenter quidem concedimus, Paulum primam linguarum apparitionem prae oculis habuisse, at ea ratione, qua *Cai.* vult, ex illa non argumentatur. Praeprimis enim Cai. ad alterum membrum dicti prophetici (et *nec sic* exaudient me) non attendit, quamvis non minoris, quam praecedens, sit momenti, praesertim quum indicet, ipsam quoque prophetiam Iudaeis « non fructuosam » fuisse. Porro erronee supponit, usque ad Christi adventum Iudaeis semper missos esse prophetas, quamvis plus quadringentis annis antea, i. e. inde ab Esdrae aetate, prophetia inter Iudaeos cessaverit; iam vero ultimis quatuor illis saeculis Iudaei maiore cum fidelitate, quam umquam antea. Legi suae adhaeserunt. Erronee quoque supponit, in altero membro *v.* 23 (*prophetiae autem non infidelibus, sed fidelibus*) de praeterito tempore agi, ut velut praedicatum supplendum sit : in signum *fuerunt;* ex praecedente enim membro tempus praesens supplendum est : in signum *sunt;* de Iudaeis, qui ante Christum vixerunt, igitur et de antiquae oeconomiae prophetis Apostolus non agit. Atque clarius, si fieri potest, idem ex exemplis elucet, quibus Paulus assertum suum ipse illustrat (23. 24);

neque enim ex antiquo populo, sed ex Christianorum coetibus ea desumit. Sed pauca haec de Cai. sententia, quae paucis placuit, sufficiunt.

IV. — *Praecepta quaedam de publico charismatum usu* (14, 26-40).

14,26. *Quid ergo est, fratres? quum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad aedificationem fiant.* 27. *Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres, et per partes : et unus interpretetur.* 28. *Si autem non fuerit interpres, taceat in ecclesia, sibi autem loquatur et Deo.* 29. *Prophetae autem duo aut tres dicant, et ceteri diiudicent.* 30. *Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat.* 31. *Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant et omnes exhortentur;* 32. *et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt.* 33. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis, sicut et in omnibus ecclesiis sanctorum doceo.* 34. *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit.* 35. *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe enim est mulieri loqui in ecclesia.* 36. *An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?* 37. *Si quis videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscat quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* 38. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* 39. *Itaque fratres, aemulamini prophetare : et loqui linguis nolite prohibere.* 40. *Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant.*

26. Τί οὖν ἐστίν, ἀδελφοί; ὅταν συνέρχησθε ἕκαστος ψαλμὸν ἔχει, διδαχὴν ἔχει, ἀποκάλυψιν ἔχει, γλῶσσαν ἔχει, ἑρμηνείαν ἔχει. πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γινέσθω. 27. εἴτε γλώσσῃ τις λαλεῖ, κατὰ δύο ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς, καὶ ἀνὰ μέρος, καὶ εἷς διερμηνευέτω. 28. ἐὰν δὲ μὴ ᾖ ἑρμηνευτής, σιγάτω ἐν ἐκκλησίᾳ, ἑαυτῷ δὲ λαλείτω καὶ τῷ Θεῷ. 29. προφῆται δὲ δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν, καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν· 30. ἐὰν δὲ ἄλλῳ ἀποκαλυφθῇ καθημένῳ, ὁ πρῶτος σιγάτω. 31. δύνασθε γὰρ καθ' ἕνα πάντες προφητεύειν, ἵνα πάντες μανθάνωσιν καὶ πάντες παρακαλῶνται. 32. καὶ πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται· 33. οὐ γάρ ἐστιν ἀκαταστασίας ὁ Θεὸς ἀλλὰ εἰρήνης. Ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τῶν ἁγίων [διδάσκω], 34. αἱ γυναῖκες ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν. οὐ γὰρ ἐπιτρέπεται αὐταῖς λαλεῖν, ἀλλὰ ὑποτασσέσθωσαν, καθὼς καὶ ὁ νόμος λέγει. 35. εἰ δέ τι μαθεῖν θέλουσιν, ἐν οἴκῳ τοὺς ἰδίους ἄνδρας ἐπερωτάτωσαν· αἰσχρὸν γὰρ γυναικὶ λαλεῖν ἐν ἐκκλησίᾳ. 36. ἢ ἀφ' ὑμῶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθεν, ἢ εἰς ὑμᾶς μόνους κατήντησεν; 37. Εἴ τις δοκεῖ προφήτης εἶναι ἢ πνευματικός, γινωσκέτω, ἃ γράφω ὑμῖν ὅτι Κυρίου ἐστὶν ἐντολή. 38. εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω. 39. ὥστε, ἀδελφοί, ζηλοῦτε τὸ προφητεύειν, καὶ τὸ λαλεῖν μὴ κωλύετε ἐν γλώσσαις· 40. πάντα δὲ εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω[1].

1. *VV. LL.* — 26. ἕκαστος (unusquisque) sine pronomine addito B ℵ A, pauci minusc., *Copt.*; sed pron. ὑμῶν (*unusquisque vestrum*) addunt D E F G K L, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Arm. Goth.* — 32. πνεύματα (*spiritus* [plur.]) B ℵ A K L, plerique minusc., *Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld. Am.* etc.), *Syr. Arm.*; sed singularem (πνεῦμα) D E F G, pauci minusc., *It.* (*S. Hil. Novat. Ater* etc.; at *Tert.* c. Marc. IV. 4 habet plur.), *Vulg.* (*Sixt.* cum iunior. codd.). — 33. ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τῶν ἁγίων [διδάσκω] (*sicut in omnibus ecclesiis sanctorum doceo*); utrum verbum διδάσκω cum F G, paucis minusc., *Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld. Demid. Tol. Harl.* etc.), *Syr. Arm.* sit addendum, an cum melioribus et pluribus codd. gr., *Vulg.* (*Am.*) etc. sit omittendum, non satis constat; neque constat, utrum hoc membrum cum praecedente an cum sequente sententia sit connectendum (*cfr* Comment.). — 34. αἱ γυναῖκες ἐν ταῖς ἐκκλησίαις (*mulieres in ecclesiis*) B ℵ A, pauci minusc., *Vulg. Copt.*; sed D E F G K L, plerique minusc., *It.* (*S. Am-*

Apostolus, sicut tractatus suos de idolothytis et de agapis terminaverat praeceptis, quae observari voluit (10,14-11,1; 11,33 sq.), nunc quoque a theoretica de charismatis doctrina ad praxin transiens Corinthios instruit, quomodo donis acceptis uti debeant, ut ille, quem Spiritus S. intendit, fructus, i. e. utilitas ecclesiae, obtineatur. Praemisso itaque praecepto generali (*v.* 26) accuratiora praescribit de duobus istis donis, quae inter se comparaverat, de glossolalia (27. 28) et de prophetia (29-33); prohibet deinde, quominus mulieres in publicis coetibus loquantur (34-36), atque praecepta sua velut divina ab omnibus agnosci iubens (37. 38) ea summatim repetit (39. 40).

Toto ultimo capite de linguarum et prophetiae tantum donis egerat, at in praeceptis suis ad ea quoque attendit, quae de charismatis in genere docuerat. Hinc interrogat : 26. *Quid ergo est, fratres?* quaenam conclusiones practicae ex doctrina tradita deducantur oportet? Praeprimis sequitur, nullum donum esse spernendum, at omnia ita adhibenda, ut finis a Spiritu S. intentus obtineatur : *Quum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem habet : omnia ad aedificationem fiant.* Per se patet, eum non esse verborum sensum, ut singuli omnibus istis donis ornati sint, nec etiam ut omnes fideles nullo excepto unum ex istis donis possideant, sed pronomen ἕκαστος (*unusquisque*) ad solos pneumaticos restringendum videtur, et continua repetitio praedicati (ἔχει *habet*) distributionem sufficienter indicat : sensus igitur est : inter pneumaticos unus quidem (ὁ μέν) habet psalmum, alter (ὁ δέ doctrinam etc. (*cfr* 12,7 sqq.). Charismatis vero antea iam enumeratis novum hoc in loco additur : *psalmum habet;* simili enim modo, quo antiqui psalmistae et in Novo Testamento B. Virgo et Zacharias (*Luc.* 1,46 sqq. 67 sqq.), etiam inter primos Christianos aliqui a Spiritu S. incitabantur, ut canticis laudes Dei celebrarent lingua vulgari; errant,

br. Aler), *Syr.* inserunt pronomen ὑμῶν (mulieres *vestrae* in coetibus, aut : mulieres in *vestris* coetibus). — ἐπιτρέπεται (*permittitur*) B ℵ A D E F G, nonnulli minusc., *It. Vulg. Copt. Arm.*; sed *textus rec.* : ἐπιτέτραπται (permissum est) cum K, plerisque minusc., Syr. — ὑποτασσέσθωσαν (subditae sint) B ℵ A, pauci minusc. *Copt. Aeth.*, ex correctione, ut videtur, pro ὑποτάσσεσθαι (*subditas esse*) D E F G K L, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Arm.* — 35. Singularis γυναικί cum B ℵ A, paucis minusc., *Vulg. Copt. Arm. Aeth.* recte praefertur plurali γυναιξίν, quam *textus rec.* habet ex D E F G K L, plerisque minusc. et *Syr.* — 37. ὅτι Κυρίου ἐστὶν ἐντολή (quia Domini est praeceptum) B ℵ A, *It.* (*S. Aug.* etc.), *Copt. Aeth.*; sed pluralem εἰσὶν ἐντολαί (*sunt praecepta*) *textus rec.* cum E K L, plerisque minusc., *Vulg. Syr. Bashm. Arm.*; solum ἐστίν sine nomine praedicati legunt D F G cum *S. Hil.* et *Alro.* — 38. ἀγνοείτω (ignoret) B E K L, omnes fere minusc., *Syr. Arm. Aeth.*; sed ἀγνοεῖται (ignoratur) ℵ A D F G, *It. Vulg.* (*ignorabitur*) *Copt.*

enim qui de hymno linguis dicto (*v.* 15) hic agi putant (*Est.*), siquidem donum linguarum postea nominatur. *Doctrina* (διδαχή) ab iis proferebatur, qui donum scientiae habebant, *apocalypsis* erat charisma prophetarum (*cfr ad v.* 6). Textus graecus receptus linguam praemittit apocalypsi, sed ordinem Vulgatae tuentur omnes meliores codd. graeci, ita ut *lingua* et *interpretatio*, uti semper, coniungantur. Iam vero omnia haec dona in coetibus publicis adhiberi possunt, « at omnia ad unum tendant oportet, nempe ad proximi utilitatem; nihil fiat temere et inconsiderate. Si enim non accedis fratrem aedificaturus, cur accedis? Non magnae, inquit, mihi curae est charismatum differentia; unum est mihi curae, et unum est, in quo meum pono studium, nempe ut *omnia ad aedificationem fiant.* Ita etiam qui parvum habet donum, eum qui magnum habet superabit ac praetervehetur, si hoc adsit. Propterea enim sunt dona, ut unusquisque aedificetur » (*Chrys.*).

Ex hoc loco aliqui acath. colligunt, in primitiva Ecclesia facultatem publice docendi certo muneri non fuisse alligatam nec ordinarium adfuisse magisterium (*Mey. Heinr.* etc.); sed saepius iam monuimus, in toto hoc tractatu de ordinariis Ecclesiae muneribus non agi, sed de extraordinariis donis, quae Spiritus S. prout voluit inter primos Christianos distribuit, ut eos in fide confirmaret. Libenter igitur fatemur, ex hoc loco ordinarium in Ecclesia magisterium non demonstrari; at alia non desunt nec in paulinis epistolis nec in aliis Novi Test. libris testimonia, quibus evidentissime demonstratur.

Porro *Lap.* in nostro loco « ritum et ordinem sacrorum in Christianorum conventibus a Paulo et Apostolis institutum » tradi censet, eundemque esse vult, quem *S. Iust. M.* (Apol. I. 67) et *Tert.* (Apol. 39) describunt; inter neotericos quoque unus alterve (*God.*) integrum ordinem coetuum ecclesiasticorum a Paulo indicari arbitratur. Qui quam longe a vero aberrent, demonstratione vix indiget, siquidem nec de librorum sacrorum lectione nec de episcopi exhortatione, nec de Eucharistiae celebratione, nec de agapis Paulus hic loquitur; arbitrarie autem haec omnia a *Lap.* apostolicae enumerationi inseruntur, a *God.* praetermittuntur. Pro more suo Apostolus nonnulla tantum charismata enumerat ad certum ordinem non attendens.

Sequitur praeceptum de glossolalorum numero et de modo, quo loqui debeant : 27. *Sive lingua quis loquitur, secundum duos aut ut multum tres, et per partes, et unus interpretetur.* Graeca constructione (κατὰ δύο ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς) retenta latinus interpres sententiam reddidit obscuriorem; praecipit autem Apostolus, ut in singulis coetibus, si glossolali adsint, non plures quam *bini aut ad summum*

terni linguis loquantur, iique non omnes eodem tempore simul, sed ἀνὰ μέρος i. e. *singuli partem*, ut unus alterum excipiens confusionem evitet. Velut conditionem vero absolute necessariam addit, ut unus illa omnia, quae linguis dicantur, interpretetur : 28. *Si autem non fuerit interpres*, i. e. si nec glossolalus ipse nec alius ex fidelibus, qui coetui intersint, interpretationis donum possideant, glossolalus *taceat in ecclesia*, quia eius precatio, quum non intelligatur, aliis non est ad aedificationem, *sibi autem loquatur et Deo;* nam licet deficiente interprete fratres non aedificet, semetipsum tamen aedificat (*v.* 4), et licet ipse quoque ex oratione sua plenum perfectumque fructum non hauriat (*cfr ad v.* 14. sq.), cum Deo tamen, quem alloquitur (*v.* 2), piis affectibus in corde eius a Spiritu S. excitatis intimius coniungitur.

Non minus ex hoc praecepto quam ex sequente de prophetis colligitur, pneumaticos sua charismata ad instar habituum possedisse, quibus saltem nonnulli certo quodam modo ad arbitrium utebantur aut non utebantur (*cfr ad v.* 18). Quibusnam enim charismatis singuli fideles essent ornati, reliqui sciebant, ita ut glossolalus in coetum ingressus viso aut non viso interprete statim cognosceret, utrum linguis loqui sibi liceret necne. Porro eos, qui interpretationis aut discretionis spirituum dona habebant, iis uti potuisse, quotiescumque glossolalus aut propheta publice locutus erat, Apostolus in suis praeceptis omnino supponit (27. 29). Prophetas quidem ad donum suum habituale excercendum speciali instinctu Spiritus S. actualique eius influxu indiguisse, ex *v.* 30. apparet et ex rei natura elucet, siquidem ex Spiritus S. inspiratione ad aedificationem loquebantur. Glossolali vero, utrum singulis vicibus simili semper instinctu indiguerint, an linguis locuti sint vel loqui potuerint, quotiescumque oraverunt, ex Apostoli verbis eadem cum certitudine definiri nequit. Certum autem est, instinctu illo nec prophetarum nec glossolalorum libertatem esse laesam; tacere enim potuerunt, etiamsi a Spiritu S. sese ad loquendum instigari senserunt (*cfr v.* 19. 28. 30. 32).

Glossolalia publica ab Apostolo non nisi conditionaliter, prophetia absolute permittitur; neque id est mirum, postquam tot argumentis maiorem eius utilitatem demonstravit. Ad eam nunc transiens constructionem (*v.* 27) inchoatam aliquantulum mutat; praecedenti enim praecepto (εἴτε γλώσσῃ τις λαλεῖ κτλ) concinnius dixisset : εἴτε προφητεύει τις κτλ (sive quis prophetat etc.); qua praefatiuncula praetermissa statim praecipit : 29. *Prophetae autem duo aut tres dicant* (in singulis coetibus) *et ceteri diiudicent.* Haud immerito cum *Chrys.* tantum non omnes interpretes ex omissione verborum *ad summum* concludunt, certis in occasionibus etiam plures prophetas dicere po-

tuisse; quin etiam recte concluditur, Apostolum desiderasse, ut tres potius quam duo singulis vicibus fideles exhortarentur; quanti enim propheticam exhortationem fecerit, totus eius tractatus abunde docet. Atqui fieri potuit, ut propheta, qui Spiritus S. instinctu loqui coeperat et sub eius influxu locutus erat, inspiratis sententiis nonnullas humanas atque etiam erroneas intersereret; hinc altera praecepti pars : *et ceteri diiudicent.* Eodem modo, quo interpretatio requirebatur, ut donum linguarum fructum suum produceret, discretio spirituum erat necessaria, ut pericula, quae cum prophetia erant connexa, praecaverentur; discretio spirituum ergo complementum quoddam est prophetiae, sicut interpretatio complet charisma linguarum (12,10). Attamen ex eo, quod Apostolus non eadem ratione, qua glossolalum deficiente interprete loqui vetat, prophetam, si non adsit qui diiudicet, tacere iubet, haud inepte colligimus, plerumque saltem discretionis charisma, quamquam interdum solum dabatur, cum prophetia fuisse connexum. *Ceteros* enim, qui diiudicare iubentur, esse alios prophetas, omnes fere fatentur interpretes; ac vix intelligitur, quomodo pauci quidam acath. (*Melancht. Holst.* etc.) omnibus fidelibus munus diiudicandi attribuerint; ad quid enim discretionis spirituum charisma, si omnes fideles poterant spiritus diiudicare? Quod si ad 1. *Thess.* 5,20 sq. appellant, ubi omnes fideles prophetias probare iubeantur, non attendunt, non integrae ecclesiae sed eius superioribus epistolam illam proxime esse destinatam; quapropter *ceteri,* si hoc in loco prophetae esse negantur, ordinarii ecclesiae corinthiae superiores (episcopi, presbyteri) intelligantur oportet.

Neque magis, quam glossolalos, prophetas plures simul loqui voluit Apostolus : 30. *Quodsi alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat.* Is igitur fuit mos, ut propheta, quamprimum ad fratres exhortandos vel consolandos a Spiritu S. instigabatur, surgeret et stans pro concione diceret; illo autem loquente Spiritus S. interdum alterum arripuit, quare ne confusio exoriatur, prior alter surgenti locum cedere iubetur. Verumtamen ne prophetam a Spiritu S. ad loquendum permotum tacere iubens quodam modo ipsi Spiritui S. praecipere videatur, Apostolus rationem legis explicat : 31. *Potestis enim omnes per singulos* (καθ' ἕνα *singuli* i. e. unus post alterum) *prophetare, ut omnes discant et omnes exhortentur* (παρακαλῶνται exhortationem accipiant). Verbum δύνασθε (*potestis*) non sine emphasi primo in loco ponitur, eique statim iuxta meliorem lectionem additur appositio καθ' ἕνα (*singuli*), ut prophetas, quominus Spiritui S. obediant, praecepto hoc non impediri appareat. Possunt enim unus post alterum omnes prophetare, idque omnino voluntati Spiritus S. congruit, qui

ideo varios prophetas ad loquendum instigat, ut omnes fideles instructionem et exhortationem sibi convenientem accipiant. Neque enim omnium prophetarum sermones omnibus fidelibus eadem ratione erant adaptati; itaque iuxta Spiritus S. voluntatem, quam alterius prophetae inspiratione manifestabat, prior tacere alterique locum cedere tenebatur, ut omnium fidelium necessitatibus satisfieret. Evidens est, Apostolum prioribus verbis (*potestis omnes prophetare*) solos prophetas alloqui : sed immerito *Est.* cum nonnullis etiam in altero membro (*ut omnes discant et omnes exhortentur*) solos prophetas intelligit, quia vocabulum *omnes* in tota phrasi easdem personas complectere debeat; nam Paulus, si in altero membro easdem, quas in priore, personas intellexisset, eadem quoque constructione retenta procul dubio dixisset : « ut omnes dis*catis* et omnes exhor*temini* ». Neque rectius cum *Gl interlin.* antiquiores Latini saltem ultimum *omnes* (*ut omnes exhortentur*) de prophetis exhortantibus explicarunt (*Herv. Lomb. Dion.* etc.); nam verbum deponens *exhortari* hoc in loco, uti alibi interdum (2 *Cor.* 1,4 etc.), passive sumitur.

Neque obiiciant prophetae, se sermonem inchoatum abrumpere non posse, quia a Spiritu S. loqui cogantur; nam 32. *spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt.* Nomine *spirituum prophetarum* aliqui moderni (*Mai.* etc. — *Goeb.* etc.) animos prophetarum prophetico spiritu repletos intelligunt; Graecis (*Chrys. Theod.* etc.) praeeuntibus alii (*Cai. Est.* etc. — *Flatt.* etc.) « dona propria prophetarum, quae a Spiritu S. accipiantur » designari putant; cum *Gl ordin.* antiquiores Latini (*Thom.* etc.) « Spiritum, qui dat prophetias » intelligere malunt, « pluralem enim poni propter multas revelationes prophetis instinctas »; ad quam explicationem fere accedens actualem Spiritus S. manifestationem, quae in variis prophetis varia est, designari putaverim. Etenim sicut linguarum charisma absque voluntate glossolali, qui etiam eo momento, quo a Spiritu S. movetur, loqui aut tacere potest, non exercetur, etiam propheta a Spiritu S. in plena sua libertate relinquitur; neque enim ea ratione, qua interdum daemon membris daemoniaci, Spiritus S. lingua prophetae ceu instrumento inanimi utitur; sed sub actuali Spiritus S. motione propheta revelationem acceptam ad arbitrium aut proloquitur aut tacet. Haec est communior maxime Latinorum (cfr *S. Hier.* Prol. in Is. etc.) et modernorum interpretatio, ut iuxta Apostolum « in ipsius prophetae potestate sit, quando taceat, quando loquatur »; eaedem igitur personae et genitivo *prophetarum* et dativo *prophetis* designantur; bis autem idem substantivum repetit Apostolus, ut maiore cum vi potestatem exprimat, quam singuli prophetae in se ipsos exercere possunt. Cum Grae-

cis tamen (*Chrys. Theod.* etc.) alii censent, « unius prophetae donum dono alterius » aut unum prophetam aliis subiectum asseri, ita ut propheta, qui loquitur, alteri surgenti obedire locumque cedere teneatur, aut etiam ita ut unius prophetae verba iudicio aliorum subiaceant. At prior explicatio sola contextui congruit, siquidem Apostolus praecepti sui (*prior taceat*) ratione explicata illud impleri posse ostendit; sola quoque verbis ipsis congruit, quia ad alterum sensum exprimendum dicere debuit : πνεύματα προφητῶν ἀλλήλοις ὑποτάσσεται (spiritus prophetarum inter se subiecti sunt).

Ad confirmandam demum suam sententiam, quod prior, si velit, tacere possit, ad fontem ipsum propheticae inspirationis appellat : 33. *non enim est dissensionis Deus sed pacis*. Deus donis suis dissensionem provocare aut promovere nec potest nec vult, sed pacem; atqui dissensionem promoveret, si prophetae loqui cogerentur, ita ut alter alteri locum cedere non posset omnesque demum simul eodem tempore pro concione dicerent, alii ad exhortationem, alii ad consolationem, nemo ad aedificationem. Porro Deus vocatur *Deus pacis* utpote pacis auctor (*Rom*. 15,33; 16,20; *Phil*. 4,9 etc.) simili modo, quo alibi Deus patientiae, solatii, spei, caritatis etc. appellatur (*Rom*. 15,5. 13; 2 *Cor*. 13,11 etc).

Alterum sententiae membrum : *sicut in omnibus ecclesiis sanctorum doceo*, vel forte rectius omisso verbo : *sicut in omnibus ecclesiis sanctorum*, utrum cum praecedentibus an cum sequentibus sit connectendum, in controversia est. Antiqui plerique, sive supplent sive omittunt verbum, sententiam immediate praecedenti addunt, ut sensus sit : « in omnibus ecclesiis doceo, Deum non esse dissensionis sed pacis », aut : « (in vestra ecclesia) non est Deus dissensionis sed pacis, sicut (et) in omnibus ecclesiis sanctorum » (cfr *Chrys. Theod.* etc., *A*[ter], *Pel*. etc.). Sed neutra explicatio placet; mirum enim esset, si cum emphasi quadam Paulus se sententiam illam per se evidentem ubique docere assereret; ad alterum vero sensum obtinendum nonnulla suppleri debent, quae Paulus non expressit. Quare si quis verba haec praecedentibus adnectere velit, ea cum praeceptis traditis (27-30) coniungat ultimoque membro (*prior taceat*) immediate addat necesse est, ut vers. 31-33[a] parenthesin quandam constituant (*Lomb. Thom.* etc.); quae constructio satis est violenta. Cum melioribus ergo codd. graecis verbum (διδάσκω) omittentes et in *v*. 34[a] pronomen ὑμῶν inserentes sententiam hanc obtinemus : ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τῶν ἁγίων αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν, *sicut in omnibus ecclesiis sanctorum mulieres in vestris ecclesiis taceant*, aut minus apte : *sicut in omnibus ecclesiis sanctorum mulieres vestrae in*

ecclesiis taceant. Retento verbo (*doceo*) eandem constructionem *Glordin.* iam praetulit, eamque cum *Cai. Est.* tantum non omnes moderni iure praeferunt. Pronomen tamen ὑμῶν contra communiorem opinionem cum ἐν ταῖς ἐκκλησίαις connectimus, ne in eadem phrasi vocabulum ecclesiarum duobus sensibus diversis sumi debeat; plerique enim explicant : « sicut in omnibus *ecclesiis particularibus* (etiam) vestrae mulieres in *coetibus sacris* taceant »; rectius enim explicari videtur : « sicut in omnibus *coetibus sanctorum* mulieres *vestris* in *coetibus* taceant »; pronomen ὑμῶν enim Apostolus praemisit, ut oppositionem clarius exprimeret.

Eadem igitur ratione, qua aliarum ecclesiarum consuetudine abusum mulierum corinthiarum, quae aperto capite orabant aut prophetabant, tolerari non posse ostendit (11,16), Paulus ad earundem ecclesiarum consuetudinem appellat, ut mulieres publice loqui vetet. Quomodo vero prior illa increpatio (11,3-16) cum nostro praecepto (*v.* 34 sqq.) concordet, haud paucis interpretibus difficile esse explicatu videtur; ibi enim mulieribus, dummodo velentur, ut orent i. e. linguis loquantur et prophetent, permitti monent, hic autem severe prohiberi, quominus in coetibus sacris publice dicant. At difficultas disparet, si attenditur, priore in loco omnes illos orare aut prophetare dici, qui coetibus sacris, in quibus glossolali linguis loquuntur aut prophetae fideles exhortantur, intersunt dictoque Amen verba precantium aut exhortantium approbant suaque faciunt (*v.* 16); tam lato enim sensu expressiones ibi adhibitas (*omnis vir orans aut prophetans, omnis mulier orans aut prophetans*) explicent necesse est, qui contra totius loci contextum statuere nolunt, solos glossolalos et prophetas eo tempore, quo loquebantur, iuxta Apostoli sententiam caput aperire debuisse, reliquis autem viris velato capite coetibus interesse licuisse. Iam vero nostro in loco Apostolum de iis solis loqui, qui publice verba faciunt, evidens est, ita ut praeceptum de velo gerendo omnes omnino mulieres respiciat, quae ad sacros coetus accedebant, praeceptum de silentio servando eas solas attingat, quae sive velatae sive non velatae ius publice linguis loquendi aut prophetandi sibi arrogabant.

Minus recte nonnulli Apostolum de diversis coetibus loqui censent, ita ut mulieribus velatis in solarum mulierum congregationibus aut in conventibus privatis linguis loqui et prophetare licuerit, sed in generalibus omnium fidelium congregationibus donis suis uti non licuerit (*Thom.* etc. — *Mey.* etc.); haec enim distinctio, quae ne verbulo quidem innuitur, arbitraria est; neque ullo historico documento demonstratur, mulieres privata sua collegia habuisse (*Thom.*) aut fideles praeter publicos etiam privatos coetus sacros celebrasse (*Mey.*). Multo minus admitti potest, Apostolum vo-

latis mulieribus cantum permisisse, sermonem autem prohibuisse (*Lap.* etc.); nusquam enim *orare et prophetare* (11,5) idem est quod *cantare*. Minus absona, quam secunda, est tertia sententia, quae mulieribus ordinariam quidem publice loquendi facultatem negari, extraordinariam vero ita concedi tenet. ut aliquoties saltem, si a Spiritu S. vehementius impellebantur, velatae publice dicere potuerint; at haec quoque distinctio, quam pauci (*God.* etc.) hodie retinent, cum absoluta et generali loquendi prohibitione (14,34) aegerrime conciliatur. — Alii cum morem Apostolo fuisse monent, ut varios in eadem re abusus impugnare volens unum post alterum aggrediatur, ac secundum quasi dissimulet, antequam priorem profligaverit : Corinthios enim prius vituperat, quod coram ethnicis iudicibus causas agant (6,1 sqq.), deinde eorum litigandi libidinem impugnat (6,7 sq.); de epulis quoque sacrificalibus prius ita agit, ac si ob solum fratrum scandalum sint vitandae (8,10 sqq.), postea absolute eas damnat (10,16 sq.). Eadem igitur ratione cum prius mulieres dumtaxat vituperasse censent, quod capite aperto in ecclesiis publice dicant, quamvis ei propositum fuerit, absolute vetare, ne ullo modo, sive velatae sive non velatae, publice loquantur (cfr *Cai. Est.* etc.). Attamen mirum esset, si Apostolus prius conditionem indicasset, qua impleta mulieribus dicere liceret, atque postea omnem dicendi permissionem negasset; exempla allata prorsus esse diversa patet.

Nudo praecepto 34. : *mulieres in ecclesiis taceant*, non contentus Paulus illud explanat severiusque inculcat : *non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit*. Non sine ironia inferiorem locum, quem Deus ipse eis in earum matre iam assignavit (*Gen.* 3, 16), mulieribus in memoriam revocat : *permittitur* eis subditas esse; quam ironiam non intelligentes aliqui librarii infinitivum ὑποτάσσεσθαι in imper. ὑποτασσέσθωσαν mutarunt; at huic loco ironia egregie convenit, quum mulierum arrogantiam reprimat, quae ordinem a Deo stabilitum violare conabantur. Nam « docere dicit praelationem et praesidentiam » (*Thom.*), eas igitur docere non decet, quas Deus voluit viris esse subiectas (*Eph.* 5,22; *Col.* 3,18 etc.). Quare alibi quoque Apostolus praecipit : mulier in silentio discat *cum omni subiectione; docere autem mulieri non permitto neque dominari in virum* (1 *Tim.* 2,11 sq.); dominaretur autem in viros, si publice docere permitteretur. Absolutissimum vero et universalissimum est Apostoli praeceptum, ut nullo omnino modo mulieribus in ecclesiis loqui liceat : 35. *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe est enim mulieri loqui in ecclesia*. « Et cur, inquit *Chrys.*, mulieres ad tantam redigit subiectionem? Propterea quod mulier res est imbecilla et mobilis et levis; ideo eis maritos praeficit doctores, utrosque iuvans; nam mulieres reddit modestas, maritos vero gnavos et sollicitos, ut audita exactissime uxoribus tradant ». De uxoribus solis proxime sermonem fieri, manifestum est (τοὺς ἰδίους ἄνδρας ἐπερωτάτωσαν, *suos proprios* viros interrogent), at non minus manifestum est, virgines viduasque eadem lege comprehendi, siquidem ratio addita (*turpe*

est etc.) totum sexum respicit, quum turpitudo haec ex inferiore loco exoriatur, quem iuxta ordinem a Deo stabilitum (*cfr* 11,2 sqq.) mulieres uti in familia, ita in religiosa et civili societate occupant.

Demum ut omnem eis auferat excusationem, Apostolus interrogat: 36. *An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?* Suae enim ecclesiae vel gentis consuetudinem praetendere Corinthiae poterant, ut turpitudinis exprobrationem a se averterent; at immerito ad eam appellant. Utique ecclesia corinthia, si mater esset et caput omnium ecclesiarum, consuetudines suas iure merito non tantum retinere, sed aliis quoque velut leges imponere posset; recte quoque, si unica esset ecclesia christiana in toto orbe, se solam scire contenderet, quid Christianas deceat dedeceatve. Sed nec prima est nec sola; ab aliis ergo discere tenetur aliarumque exempla sequi. Itaque Apostolus praeceptum hoc eadem ratione terminat, qua illud inchoavit aliarum ecclesiarum antiquiorum mores ritusque iunioribus imitandos et sequendos proponens. Nobis autem, uti recte iam monuit *S. Aug.*, eodem tempore ostendit, in quaestionibus, quae de doctrina et consuetudinibus in Ecclesia suscitantur, ad antiquitatem respiciendum esse, quid Apostoli, quid primi fideles, quid eorum ordine successores docuerint tradiderintque (*cfr ad* 11,16). Profecto a principio protestantico, quod non tantum singulis ecclesiis sed singulis fidelibus ius potestatemque attribuit ea faciendi et credendi, quae ipsi in codicibus suis sacris invenisse sibi videntur, Paulus longissime abfuit.

Ne vero Corinthii putent, de re minoris momenti agi neque praeceptis traditis magnam auctoritatem competere, Apostolus summam i. e. divinam esse eorum auctoritatem asserit: 37. *Si quis videtur propheta esse* (εἴ τις δοκεῖ προφήτης εἶναι, si quis se prophetam esse recte aut erronee putat) *aut spiritualis* (alio simili charismate, quod doctrinam spectat, ornatus) *cognoscat quae scribo vobis quia Domini sunt mandata* (i. e. cognoscat ea, quae scribo vobis, esse Christi mandata). Persuasissimum habuit Apostolus, se non a semetipso haec scripsisse sed tamquam Domini interpretem esse locutum (cfr *Rom.* 12,3), ut sua verba velut Christi verba recipiantur oporteat. Si consuetam lectionem, quae melioribus et pluribus testimoniis criticis nititur (ὅτι Κυρίου εἰσὶν ἐντολαί vel ἐστὶν ἐντολή), ut par est, retinemus, verba de solis praeceptis (26-36) intelligantur oportet; iuxta aliam lectionem (ὅτι Κυρίου εἰσίν, *quia Domini sunt*), quae a nonnullis criticis (*Tisch.* etc.) praefertur, ea ad totum tractatum de charismatis (12,1-14,36) extendere licet. 38. *Si quis autem ignorat,* i. e. haec esse Domini mandata nec cognoscit nec agnoscit, *ignorabitur,* i. e. tamquam verus propheta a Deo non agnoscetur. Aptum quoque sensum praebet altera

lectio, quae sua probabilitate non caret, quin etiam a plerisque criticis praefertur: ἀγνοείτω *ignoret*, i. e. habeat sibi; cum eo disputare opus non est, quia verus propheta non est.

Ultimis duobus versibus totam suam doctrinam de prophetia et de dono linguarum ita comprehendit, ut prior summam doctrinam theoreticam, alter praecepta in memoriam revocet: 39. *Itaque, fratres, aemulamini prophetare*, prophetia enim, quum ecclesiam aedificet, melioribus et maioribus charismatis est adnumeranda (*cfr* 12,31; 14, 1 etc.), *et loqui linguis nolite prohibere*, quia linguae quoque, quamvis inter meliora charismata locum non obtineant, sua utilitate, praesertim si cum interpretationis dono sunt coniunctae, non carent. 40. *Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant.* Ad honestatem refert *Thom.* praecepta, quibus mulieres tacere iubentur, ad ordinem, ea, quibus viri eodem tempore loqui vetantur; inter modernos unus alterve ultimum versum velut epilogum considerat eorum, quae Apostolus inde a 11,2 de coetibus sacris tractavit, atque ad honestatem quidem ea pertinere arbitratur, quae de mulierum habitu et de agapis praecepta sunt, ad ordinem vero reliqua omnia, quae de usu charismatum agunt. A qua sententia haud longe *Chrys.* quoque videtur abfuisse, qui in ultima haec verba adnotat: « Nihil tantopere aedificat, quam honestas, pax, ordo rectus, caritas; neque id in spiritualibus tantum, sed in omnibus animadverteris. Nam si in choreis, in navigiis, in curribus, in castris ordinem confuderis et maioribus eiectis in eorum locum minora induxeris, omnia corrumpes et omnia sursum deorsum versantur. Neque nos ergo ordinem corrumpamus, neve caput infra statuamus, neve pedes supra; hoc autem fit, quando rectam rationem deiicimus, concupiscentiam autem, iram, voluptatem rationi anteponimus; unde magna exoritur fluctuatio, ingens perturbatio, intoleranda tempestas » etc.

§ 6. *De futura iustorum resurrectione* (15,1-58).

Ultimum quod in hac epistola tractatur argumentum est futura mortuorum (iustorum) resurrectio. Quod dogma, uti olim iam a Sadducaeis respuebatur (*Matth.* 22,23 sqq. etc.), multo maiorem difficultatem ethnicis philosophis creabat, qui teste *Tert.* (de praescr. 7) in carnis resurrectione neganda unanimes erant; quare etiam Athenis Paulum eam annuntiantem velut seminiverbium irriserunt (*Act.* 17,18. 32). Porro inter primos quoque Christianos non deerant, quibus vera corporum mortuorum restitutio et resurrectio creditu tam difficilis visa est, ut resurrectionis dogma in allegoriam convertentes

sese per novitatem vitae spiritualis iam resurrexisse resurrectionemque iam factam esse dicerent (2 *Tim.* 2,17 sq.). Admodum mirum igitur non est, quod etiam Corinthi nonnulli (τινὲς *v.* 12) neophyti falsis doctrinis philosophicis imbuti resurrectionem mortuorum non fore (*v.* 12) mortuosque plane non resurrecturos esse (*v.* 29) proclamaverint[1]. Domini ipsius quidem resurrectionem respuisse non videntur; eam enim Apostolus velut fundamentum argumentationis suae praecipuum ponit; atque licet eam, ut negari plane non possit, multis rationibus adstruat et confirmet, nullibi tamen hac de re dubitationem quandam inter neophytos esse exortam insinuat. Utrum etiam animorum immortalitatem adversarii eius admiserint necne, non satis constat; sed quum « non tantum inter Iudaeos sed etiam inter omnes fere philosophos duae quaestiones, altera de immortalitate animorum, altera de corporum resurrectione, adeo copulatae iugataeque essent, ut pro una eademque haberentur » (*cfr Mald.* ad Matth. 22,32), rectius, ni fallor, admittitur, aliquos neophytos de ea saltem dubitasse; re enim vera unum alterumve Pauli argumentum ita est comparatum, ut directe solam animi immortalitatem probet, ac mediate tantum resurrectioni probandae inserviat (*cfr ad v.* 30 sqq.).

Itaque de hoc errore, qui in ecclesia serpere coeperat, aut Corinthiorum epistola aut per eorum legatos certior factus Paulus quaestionem integram de iustorum resurrectione uberius et diligentius ex ordine tractare voluit. Ante omnia ergo resurrectione negata totum Evangelium destrui ostendit (15,1-34), atque ulterius progressus modum eius, quantum id fieri potest, explicans eam possibilem esse docet (15,35-58). Duae ergo sunt huius tractatus partes.

I. — *Certitudo futurae resurrectionis iustorum* (15, 1-34).

Priore in parte Apostolus nonnullorum assertionem, resurrectionem mortuorum non esse futuram, tribus argumentis refutat, quorum primum et praecipuum ex intimo nexu, quo Domini resurrectio cum nostra futura resuscitatione gloriosa colligatur, desumtum completo quodam syllogismo proponit : Christus resurrexit a mortuis (1-20), atqui Christi resurrectio resurrectionem eorum, qui sunt Christi, postulat (21-28), ergo iusti quoque resurgant necesse est. Quam conclusionem pro more non enuntiatam ut confirmet corroboretque, duo-

1. Pro more moderni multi interpretes inquirunt, qua ex factione adversarii resurrectionis sint exorti; iterumque pro suis quisque praeiudiciis eos aut inter Paulinos (*Heinr.*). aut inter Apollonianos (*Mey.* etc.) aut inter Petrinos vel Christinos (*Neand. Olsh.* etc.) quaerunt aut etiam de Sadducaeis vel Epicuraeis conversis cogitant. Quae merito omittimus.

bus aliis argumentis nec Christianorum nec Apostolorum agendi rationem explicari posse ostendit, si iustorum resurrectio negetur (29-34). Quamvis tribus his argumentis solam resuscitationem gloriosam proxime et directe probare velit ac toto tractatu de ea sola diserte agat, nonnullas tamen argumentationi inserit sententias, quibus universalis quoque resurrectio, quam alia Scripturarum testimonia (*Ioan.* 5,18 sqq. etc.) docent, legitime demonstratur (*cfr ad v.* 26).

1. *Christus a mortuis resurrexit* (15,1-20).

Quoniam primarium argumentum integrum resurrectioni Domini innititur, eius veritatem praeprimis extra omnem dubitationem positurus B. Paulus varias Domini resuscitati apparitiones testimoniis testium a Deo ordinatorum confirmatas refert (1-11) et absurda consectaria negatae resurrectionis dominicae paucis sed gravibus verbis explanat (12-20). Licet Domini resurrectio nondum fuerit Corinthi negata, uberrime tamen eam stabilit, ut solidiore fundamento nixus adversarios resurrectionis iustorum efficacius refutet.

1.) *Dominum a mortuis resurrexisse multis testimoniis indubiis constat* (15,1-11).

15,1. ***Notum autem vobis facio, fratres, evangelium, quod praedicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis,* 2. *per quod et salvamini : qua ratione praedicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.* 3. *Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi : quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas :* 4. *et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum scripturas :* 5. *et quia visus est Cephae, et post hoc undecim :* 6. *deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul : ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt :* 7. *deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus :* 8. *novissime autem omnium tamquam abortivo, visus est et mihi.* 9. *Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei.* 10. *Gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei me-***

15,1. Γνωρίζω δὲ ὑμῖν, ἀδελφοί, τὸ εὐαγγέλιον ὃ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, ὃ καὶ παρελάβετε, ἐν ᾧ καὶ ἑστήκατε, 2. δι' οὗ καὶ σώζεσθε, τινί λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, εἰ κατέχετε, ἐκτὸς εἰ μὴ εἰκῇ ἐπιστεύσατε. 3. παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ἐν πρώτοις ὃ καὶ παρέλαβον, ὅτι Χριστὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν κατὰ τὰς γραφάς, 4. καὶ ὅτι ἐτάφη, καὶ ὅτι ἐγήγερται τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ κατὰ τὰς γραφάς, 5. καὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ, εἶτα τοῖς δώδεκα. 6. ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ, ἐξ ὧν οἱ πλείονες μένουσιν ἕως ἄρτι, τινὲς δὲ ἐκοιμήθησαν. 7. ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ, εἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν. 8. ἔσχατον δὲ πάντων ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι ὤφθη κἀμοί. 9. ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ ἐλάχιστος τῶν ἀποστόλων, ὃς οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς καλεῖσθαι ἀπόστολος, διότι ἐδίωξα τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ· 10. χάριτι δὲ Θεοῦ εἰμὶ ὅ εἰμι, καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ οὐ κενὴ ἐγενήθη, ἀλλὰ περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα, οὐκ ἐγὼ δέ, ἀλλὰ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ σὺν ἐμοί. 11. εἴτε οὖν

cum 11. *Sive enim ego, sive illi: sic praedicamus, et sic credidistis.*	ἐγώ, εἴτε ἐκεῖνοι, οὕτως κηρύσσομεν καὶ οὕτως ἐπιστεύσατε [1].

Ne Corinthii prorsus novam et inauditam doctrinam sibi proponi arbitrentur, S. Paulus a pristina sua praedicatione exorsus (1. 2.) eius capita praecipua, inter quae etiam fuit Christi resurrectio testimonio primorum Apostolorum affirmata, repetit (3-5). Eandem vero resurrectionem, ut eam legitime non addubitari ostendat, aliis allatis Domini resuscitati apparitionibus confirmat (6. 7.) ultimo in loco sibi quoque, quamvis indigno, Dominum apparuisse asserens (8-10). Ita factum est, ut eadem esset omnium Apostolorum praedicatio et omnium fidelium fides de Christi resurrectione (*v.* 11.).

Itaque pristinam suam praedicationem, qua doctrinam de mortuorum resurrectione iam annuntiavit, Apostolus iterum promulgat, ut eam ab adversariis vindicet, clarius accuratiusque exponat, novis explicationibus augeat et amplificet : 1. *Notum autem vobis facio* (γνωρίζω ὑμῖν) *fratres, Evangelium, quod praedicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis,* 2. *per quod et salvamini, qua ratione praedicaverim vobis si tenetis, nisi frustra credidistis.* In paenultimo membro hyperbaton admittimus, ut coniungendum sit : *si tenetis qua ratione praedicaverim vobis* etc. (*cfr* infra). A multis antiquis et recentibus interpretibus verbum γνωρίζω (*notum facio*) ita explicatur, ut idem fere significet, quod ὑπομιμνήσκω (in memoriam revoco), nam « qui notum facit id, quod notum antea iam fuerat sed in oblivionem venerat, rursus id in memoriam reducit » (*Chrys.*, cfr *Theod. Oec.* etc., *Thom. Lyr.* etc., *Cai. Est. Iustin. Pic.* etc., *MEv. Bisp. Dr. Ramb.* — *Luth.* etc.). Quibus non assentimur; etenim nec usquam hoc sensu verbum γνωρίζειν adhibetur, neque Apostolus Corinthios suum

1. *VV. LL.* — 5. εἶτα τοῖς δώδεκα (deinde duodecim) B ℵ A K L P, plerique minusc., *Syr. Copt. Arm. Aeth.* quibuscum consentit *S. Aug.* (Quaest. in Gen. 117,4; de cons. Ev. III. 71); non satis recte : τοῖς ἕνδεκα (*undecim*) D F G, paucissimi minusc., *It. Vulg. Goth.* aliqui codd. *Syr.* (*cfr* Comment.). — 10. ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμέ (gratia eius mihi collata) est communis et vera Graecorum lectio; minus bene tamen D F G articulum ante εἰς ἐμέ omittunt cum *It.* et *Vulg.* : *gratia eius in me.* — ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ σὺν ἐμοί (*gratia Dei mecum*) B ℵ D F G, *It. Vulg.*; quae lectio communiori : ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί (gratia Dei, quae mecum est) a modernis criticis (*Lachm. Tisch. W H*) praefertur, quia articulum, ut constructio priori membro (ἡ χάρις ἡ εἰς ἐμέ) conformetur et plenior inter duo ultima membra habeatur oppositio, a sciolo librario insertus creditur. Cum plerisque tamen codd. et PP. graecis consentiunt *Sah. Arm. Aeth.* atque *S. Hier.* quoque, qui legit : gratia Dei quae mecum est (ad Princip. ep. 64,9; c. Pelag. II. 9) aut : gratia Dei, quae in me est » (c. Iovin. II. 23); *cfr Comm.* — 11. εἴτε οὖν ἐγώ (sive *igitur* ego) est communis lectio, quam etiam *Alex* exhibet; pro qua minus bene : εἴτε δὲ ἐγώ (D F G), aut : *sive enim ego* (*It. Vulg.*) legitur.

Evangelium oblivioni dedisse supponit (*in quo et statis*), nec pristinae praedicationis mera repetitio hoc tractatu continetur. Nam dogma resurrectionis, etsi pridem Corinthiis praedicatum iam erat, novo tamen, ampliore et profundiore, modo exponitur novisque argumentis fulcitur; verbum γνωρίζειν ergo consuetam suam annuntiandi et promulgandi significationem hic quoque retinet; de rebus enim novis et gravibus tantum Apostolus istam formulam usurpare solet (*cfr* 12,3; 2 *Cor*. 8,1; *Gal*. 1,11).

Evangelium igitur, quo nomine in hoc loco doctrinam de resurrectione, quippe quae omnis boni sit annuntiatio quaedam, praecipue (sed non unice) intelligendam esse *Cyr*. haud incongrue censet, Paulus se promulgaturum promittit; at simul monet, illud, quamvis novo modo proponatur, diversum non esse ab illo, quod olim eis iam tradidit; quatuor enim sententiis, quae arcte inter se connexae gradationem quandam constituunt, summam illius pridem a se praedicatam et ab eis acceptam esse docet. Apostoli praedicationem (*quod praedicavi vobis*) Corinthiorum secuta est fides (*quod et accepistis*), in qua usque ad illud tempus constantes perstiterunt (*in quo et statis*), quamque vivam retinentes salvari coeperant (*per quod et salvamini*). Apte in hoc ultimo membro praesens tempus (*salvamini*) ponitur, quia salus, quamquam altera in vita perficitur, hac in terra inchoatur et Christiani in via sunt salutis (*cfr ad* 1,18); eam vero certissime, quum fides fructu suo carere nequeat, consequentur, dummodo usque in finem acceptam fidem puram integramque sint retenturi. Quem intimum et necessarium fidei salutisque nexum Apostolus duobus ultimis membris exprimit : *qua ratione praedicaverim vobis si tenetis, nisi frustra* (εἰκῆ) *credidistis*. Prius enim perseverantiam in integra fide accepta velut salutis consequendae conditionem ponit : salvantur, si Evangelium a se praedicatum ea plane ratione, qua illud praedicavit, tenent nihil ab eo detrahentes nec quidquam in eo adulterantes. Sed ut maiore cum vi necessariam hanc fidei integritatem Corinthiis inculcaret, hyperbato usus sententiam dependentem primo in loco posuit. Alterum membrum certitudinem salutis, si integram fidem sint retenturi, asserit; hac enim impleta conditione salus non obtineri non potest, nisi (ἐκτὸς εἰ μή, *cfr ad* 14,5) forte fides vana et inutilis dicatur, ita ut frustra eam sint amplexi nec ullam ex ea fructum sperare possint.

Eandem significationem (*frustra* i. e. sine fructu) vocabulum εἰκῆ etiam alibi interdum habet (*Gal*. 3,4; 4,11); immerito autem nonnulli moderni (*Mai*. etc.) alteram significationem (*temere* i. e. sine sufficiente ratione, cfr *Rom*. 13, 4; *Col*. 2,8) prae-

ferunt; quid enim sententia : *nisi sine sufficiente ratione fidem accepistis*, hoc in contextu sibi velit, equidem non perspicio. Longius a vero recedunt, qui ultimum membrum a solo verbo *salvamini* dependere censent : « salvamini per fidem, si non frustra credidistis, i. e. si fidei adduntur bona opera, quia fides sine operibus mortua est » (*Thom.* etc.), aut « salvamini, nisi solo nomine Christiani estis » (*Iustin. Itamb.* etc.); ab integra enim sententia praecedente hoc membrum dependet, neque particula εἰκῇ istas significationes usquam admittit.

Ad constructionem paenultimi membri quod attinet, hyperbaton a plerisque antiquis Latinis (*Cl ord. Herv. Thom.* etc., *Cai. Est. Iustin.* etc.), ab omnibus recentibus catholicis (*M Ev. Mai. Bisp.* etc.) et haud paucis acatholicis (*Mey. Kl Br. Holst. Cod.* etc.) admittitur; sed dissentit *Chrys.*, qui nescio quam constructionem praeferens ex his verbis erronee desumit, Corinthi non de resurrectione ipsa, sed de eius modo tantum dubitatum esse; dissentit quoque *Ater*, qui consuetae lectionis, ut videtur, difficultate permotus aliam elegit prorsus diversam, quae alio testimonio critico non confirmatur (Notum vobis facio, fratres, *quia* Evangelium, quod praedicavi vobis... *quod et* sermone annuntiavi vobis, *debetis tenere*, nisi forte sine causa credidistis); dissentiunt demum satis multi moderni acath., qui verba : *qua ratione* (*vel* quo sermone τινὶ λόγῳ) *praedicaverim vobis*, intime cum versus initio (*notum facio Evangelium*) ita connectunt, ut illius aut explicationem aut complementum constituant (*Billr. Heinr. Goeb.* etc.; cfr etiam *Est*[1].); at quid sequentia verba (*si tenetis* etc.) sibi velint et quomodo cum tota sententia cohaereant, apte explicare nequeunt.

Iamvero quoniam Corinthii, si salvari velint, integrum Evangelium eis annuntiatum ea prorsus ratione, qua promulgatum est, tenere debent, Apostolus praecipua illius capita, quibus ad argumentationem suam indiget, Christi mortem et resurrectionem testimoniis confirmatam, eis iterum proponit : 3. *Tradidi enim vobis in primis* (i. e. vel inter primaria et praecipua doctrinae capita, vel melius : inter primas, quas proposui, doctrinas; a Domini morte enim et resurrectione Apostoli praedicationem suam inter Iudaeos et inter ethnicos inchoare solebant; cfr *Act.* 2,22 sqq.; 10,40 sqq.; 13,29 sqq.; 17,18. 31), *quod et accepi* (παρέλαβον sc. immediate a Domino hominis ministerio non interveniente: *cfr ad* 11,23), *quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas*, 4. *et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas*, 5. *et quia visus est Cephae et post hoc undecim* (lege : *duodecim*). Duo imprimis, utpote ad argumentationem suam necessaria, mortem Christi eiusque resurrectionem, a se tradita Apostolus asserit; mortem commemorat, quia nisi mortuus esset, Christus resurgere non potuisset; resurrectionem quia ex Domini resuscitatione ad nostram concludere vult. Porro utriusque asserti duplicem probationem a se traditam addit : Dominus mortuus est *iuxta Scripturas et sepultus est*, resurrexit *iuxta Scripturas et visus est Cephae* etc. Scripturae propheticae Veteris Test., quae non impleri non possunt, mortem et resurrectionem Messiae praedixerant; quare fieri non potuit, ut Chri-

stus non moreretur et non resurgeret; Christum autem vere mortuum esse docet eius sepultura, eumque a mortuis vere resurrexisse, docent resuscitati apparitiones. Quae adiungit, Christum *pro peccatis nostris* mortuum esse et *tertia die* resurrexisse, ea per se ad argumentationem necessaria non sunt, ad illam tamen aliquid conferunt, quia mortis Christi necessitatem et resurrectionis certitudinem confirmant. Ceterum ad delenda nostra peccata (ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν) Messiam moriturum esse, *Isaias* clare praedixerat[1]; eum resurrecturum esse post breve mortis tempus *David* iam tam diserte annuntiaverat (*Ps.* 15,8 sqq.), ut Petrus (*Act.* 2,25 sqq.) et Paulus (*Act.* 13,35 sqq.) eius testimonio ad Christi resurrectionem demonstrandam usi sint; quod vero *tertia die* sit resurrecturus, id literali quidem alicuius vaticinii sensu non continetur, sed ipso Domino teste sensu typico historiae Ionae prophetae insinuatur (*Matth.* 12,39. 40).

Deinde sicut ex Domini sepultura, de qua omnino constabat, vera Christi mors demonstratur, ita ex apparitionibus resuscitati vera eius resurrectio colligitur. Duas tantum apparitiones Corinthiis a se traditas Paulus commemorat, sed eas elegerat, quae ad fidem neophytorum confirmandam quam maxime erant idoneae. Omissis enim mulierum aliorumque discipulorum testimoniis, Petrum (Cepham) dumtaxat aliosque Apostolos velut testes citaverat; quando enim Christum « Deus suscitavit tertia die, eum manifestum fieri voluit non omni populo, sed *testibus praeordinatis* a Deo, Apostolis, qui manducaverunt et biberunt cum illo, postquam resurrexit a mortuis » (*Act.* 10,40. 41). Inter quos testes praeordinatos Petrus, princeps Apostolorum, primum locum occupavit; eius igitur testimonium iure merito ante reliqua allatum est, nam etiam Dominus ipso resurrectionis die Petro soli apparuerat, antequam aliis Apostolis videndum se praebuit (*Luc.* 24,34); « qui enim primus Christum est confessus, iure etiam dignus est habitus, qui primus videret resuscitatum » (*Chrys.*). Petro tamen velut testis eodem iam die accessit Apostolorum collegium (οἱ δώδεκα, *duodecim*, Vulg. *undecim*), quando vespere istius diei Apostolis cum Petro congregatis Iesus apparens ad omnem eorum dubitationem auferendam manus et latus suum ostendit et coram eis etiamtunc dubitantibus partem piscis assi et favum mellis manducavit (*Ioan.* 20,19 sqq.; *Luc.* 24,36 sqq.). Easdem igitur apparitiones, quas Lucas, Pauli discipulus, Apostolis factas solas narravit, solas quoque Paulus in sua catechesi orali tradidisse Corinthiis videtur.

1. *Is.* 53,4 sqq., quem in locum cfr *Knabenbauer* Comm. in Is. II. p. 300 sqq. eiusdemque praeclaram dissertationem « de servo Dei » l. c. p. 325 sqq.

Definitus numerus, quo in secundo membro Paulus utitur (τοῖς δώδεκα *duodecim*, vel iuxta Vulg. *undecim*), nonnullis interpretibus olim creavit difficultatem haud levem, quum non attenderent, ut recte monet *Cai.*, « duodecim hoc in loco non esse nomen numeri, sed nomen ordinis apostolici », qui in numero duodenario erat a Christo institutus, quare post Iudae traditionem eius in locum suffectus est S. Matthias (*Act.* 1,15 sqq.). A vero igitur aberravit *Chrys.* (cfr *Theoph. Oec.* etc.), qui, ut duodenarium numerum expleret, apparitionem quandam, qua Dominus post ascensionem suam S. Matthiae forte sese spectandum exhibuisset, a Paulo cum apparitione undecim Apostolis facta coniunctam esse putavit. A vero *S. Aug.* quoque aberravit, quando Paulum non de Apostolis sed de aliis quibusdam duodecim discipulis loqui suspicatus est (de cons. Evang. III. 51); at ipse postea errorem correxit : « cum articulo enim, inquit, hoc graeci codices habent, ut non possint intelligi quicumque duodecim, sed illi in eo numero insignes » (Quaest. in Gen. 117,4). Atque etiam librarii nonnulli erraverunt, qui lectione mutata pro τοῖς δώδεκα scripserunt : τοῖς ἕνδεκα ad difficultatem evitandam; neque enim undecim Apostoli aderant, quando prima vice Iesus resuscitatus collegio Apostolorum apparuit, sed absente Thoma decem tantum. Quodsi vero aliqui a Paulo duas apparitiones a *Ioan.* 20,19 sqq. et 20,24 sqq. relatas in unam coniungi (*Est. Mai.* etc.) censent, aut ab eo illam solam commemorari, quae *Ioan.* 20,24 sqq. refertur (*M Ev.* etc.), id erroneum esse arbitramur. Quoniam enim Paulus statim (*v.* 7) cum emphasi quadam Dominum Apostolis *omnibus* visum esse asserit, concludamus oportet, hoc in loco (*v.* 5) de apparitione maiori dumtaxat Apostolorum numero facta sermonem esse, ut illa sola, de qua *Ioan.* 20,19 sqq. agit, recte intelligatur; quapropter lectio τοῖς ἕνδεκα, si melioribus fulciretur testimoniis criticis et praeferenda esset, eodem modo, quo lectio τοῖς δώδεκα, deberet explicari; revera ita explicatur a plerisque apud *Luc.* 24,33.

Iuxta communem fere sententiam Apostolus in sequentibus constructione mutata illas referre probationes resurrectionis dominicae pergit, quas Corinthi iam olim tradiderat; sed rectius eum novas nunc addere dicimus. Etenim quum Lucas, quem in suo Evangelio catechesin Pauli scripsisse vix non certum est[1], etiam duas tantum, uti iam diximus, apparitiones Domini Petro et collegio Apostolorum factas narret, Paulum non plures in ordinaria sua catechesi attulisse censemus. Itaque ut doctrinae suae de vera Christi resurrectione fidem augeat, nova testimonia prioribus adiungit : 6. *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt.* De hac apparitione Evangelistae silent (cfr *Thom.* etc.); parum recte enim nonnulli illam intelligere volunt, quae *Matth.* 28,16 sqq. narratur (*Cai. Est. Mai. M Ev.* etc. —

1. Cfr *meam* Introd. in Nov. Test. p. 128 sqq (*Compend. Introd.* p. 479 sq.)

Wolf. etc.); nam illo in loco de solis undecim Apostolis, quibus solis missio in universam terram collata est, sermo est. Multo minus de illa apparitione cogitare licet, quando Dominus in coelum ascendit; ascensioni enim tanta multitudo non adfuit (cfr *Luc.* 24,50 sqq. et *Act.* 1,6-14) et Paulus in tota hac apparitionum enumeratione, uti ex *v.* 8 (*novissime*) satis apparet, chronologicum ordinem omnino tenet; eae autem, quae *v.* 7. sequuntur, procul dubio ante ascensionem ponantur oportet. Quod demum eorum opinio, qui particulam ἐπάνω pro adverbio locali sumentes Christum iam in coelis glorificatum « superne et supra caput quingentis visum esse » putarunt (cfr *Chrys. Theoph.*), erronea sit, id demonstratione non indiget. Moderni rationalistae quidam (*Baur. Zell.*) numero quingentorum abusi sunt, ut historicam Actuum Apost. impugnarent auctoritatem, iuxta quos discipulorum numerus ad centum viginti dumtaxat ascendit (*Act.* 1,15); verum difficultatis solutionem iam praeoccupaverat *Thom.* : nam « licet illi, inquit, qui erant Ierosolymis (tempore ascensionis dominicae) essent centum viginti, tamen in Galilaea erant multi discipuli et forte omnes (ad pascha celebrandum) congregati sunt simul, quando apparuit ». Ceterum utrum quingentis his Iesus uno alterove die post resurrectionem, antequam Galilaei, qui ad festum convenerant, discesserunt, Ierosolymis apparuerit, an postea in Galilaea, ignoramus. Paulus vero eam hoc in loco affert, quia testium multitudine erat insignis atque ad fidem neophytorum confirmandam aptissima; tanta enim hominum multitudo, qui simul (ἐφάπαξ) eodem momento Christum resuscitatum viderunt, fallaci visione decepta dici non potuit. Quia multi (οἱ πλείονες, maior numerus) eorum etiamtunc erant superstites, eorum testimonium exquiri et examinari non admodum erat difficile; et apposite monet *Chrys.*, Apostolum non dixisse, aliquos ex eis mortuos esse, sed *obdormivisse*, ut hac quoque dictione resurrectionem futuram insinuaret.

Ab hac apparitione, cuius testis integra, quae tunc fuit, Ecclesia fuerat, ad eos revertitur Paulus, qui iuxta Domini voluntatem testes resurrectionis (*Act.* 1,22) erant constituti : 7. *deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus*. Iacobum hunc non esse Zebedaei, sed Alphaei filium, qui quia ex consanguineis Domini erat, etiam frater Domini (*Gal.* 1,19), et quia homonymo suo erat iunior, ὁ μικρός (Minor) appellabatur (*Marc.* 15,40), certum est[1]. Satis diu enim ante Corinthiorum conversionem Iacobus Zebedaei ab Herode Agrippa erat occisus (*Act.* 12,2), et Paulus, si eum intelligi voluisset, epitheto addito

1. De Iacobo, fratre Domini, eiusque apostolica dignitate, *cfr ad* 9.5. 6.

eum ab homonymo filio Alphaei et fratre Domini tunc superstite distinxisset. Quando autem Dominus Iacobo visus sit, ignoratur, quoniam reliqui sacri scriptores de hac apparitione silent.

Quod enim aliquibus placet, Paulum loqui de duobus discipulis in Emmaus euntibus, quorum unus Cleophas appellabatur (*Luc.* 24,18), alter Cleophae (Alphaei) filius, Iacobus Minor, fuerit (cfr *Est. Mai.*), id omni veri similitudine caret. Iacobi enim pater non Cleophas (Κλεόπας i. q. Κλεόπατρος) sed Clopas (*Ioan.* 19,25 Κλωπᾶ, חַלְפַּי, apud *Syn.* Ἀλφαῖος) appellabatur, quae nomina omnino sunt diversa. Porro apparitio haec, quum Paulus ordinem chronologicum servet, iam *v.* 5. commemoranda fuisset; siquidem ipso resurrectionis die Iesus discipulis euntibus in Emmaus sese ostendit, antequam collegio Apostolorum apparuit. Ob eandem quoque rationem, ordinem sc. chronologicum a Paulo observatum, eorum opinio, qui apparitionem quandam a S. Hieronymo ex Evangelio secundum Hebraeos relatam huc trahunt, respuenda esset, nisi ipsa iam narratiuncula aliquid ficti et commenticii haberet[1]. Porro eadem ratione, qua supra (*v.* 5) Petro, principi Apostolorum, collegium Apostolorum adiungitur, hic Iacobo, qui ex columnis erat Ecclesiae (*Gal.* 2,9) atque inter Iudaeochristianos summa pollebat auctoritate, idem collegium apostolicum additur. Quodsi ergo acatholici multi censent, Iacobum Apostolis opponi et ex eorum numero excludi (*Mey. Schn.* etc.), etiam Petrum (*v.* 5) a Paulo pro genuino Apostolo agnosci negent. Neque ulla est ratio, cur cum *Chrys.* aliisque haud paucis interpretibus cathol. (*Cai. Est.* etc., *M. Ev. Bisp. Dr.*) et acath. (*Kl Br. Heinr.* etc.) nomen Apostolorum hoc in loco sensu latiore usurpatum censeamus, ut septuaginta discipulos aliosve operarios apostolicos includat. Apostolis *omnibus* enim Dominum apparuisse asserens Paulus alios discipulos collegio Apostolorum non adiungit, sed in priore apparitione (*v.* 5) non omnes, quibus nomen Apostoli stricto sensu competit, adfuisse docet. Itaque prae oculis habuit aut illam apparitionem, quae *Ioan.* 20,26 sqq. narratur, aut illam, de qua agit *Matth.* 28,16-20, aut illam, quae cum ascensione coniuncta erat (*Luc.* 24,44 sqq.), aut similem, quam Evangelistae silentio praetermiserunt.

Ultimo in loco suo ipsius testimonio resurrectionem Domini confirmat; nam Iesum resuscitatum et glorificatum ipse quoque oculis suis viderat : 8. *Novissime autem omnium* (ἔσχατον δὲ πάντων sc. ἀπο-

1. *S. Hier.* de vir. illustr. 2. « Evangelium quoque, quod appellatur secundum Hebraeos et a me nuper in graecum latinumque sermonem translatum est, quo et Origenes saepe utitur, post resurrectionem Salvatoris refert : Dominus autem, quum dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Iacobum et apparuit ei. Iuraverat enim Iacobus, se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a dormientibus. Rursusque post paullum : Afferte, ait Dominus, mensam et panem. Statimque additur : Tulit panem et benedixit ac fregit et dedit Iacobo Iusto et dixit ei : Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis a dormientibus ».

στόλων, post reliquos omnes Apostolos, de quibus immediate antea locutus erat) *tamquam abortivo visus est et mihi*. Quin visionem intelligat, qua in via damascena ad fidem conversus est (*Act.* 9,1 sqq.), dubium non est, quidquid contra hanc sententiam *Cai.* cum paucis aliis obiicit. Etenim Ananias diserte ait, Iesum Paulo *visum esse* in via (Ἰησοῦς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τῇ ὁδῷ *Act.* 9,17); Barnabas Apostolis narravit, quomodo Paulus in via *vidisset* Dominum et Dominus locutus esset cum eo (πῶς ἐν τῇ ὁδῷ εἶδεν τὸν Κύριον *Act.* 9,27); Dominus ipse Paulo dixit, se ideo ei *visum esse*, ut eum ministrum constitueret et testem eorum quae *vidisset* (εἰς τοῦτο γὰρ ὤφθην σοι κτλ *Act.* 26,16); magna igitur luce circumfulgente caecus factus est Paulus, postquam Dominum iam spectavit cum eoque collocutus est. Iam vero animadvertamus oportet, Paulum Domini apparitiones, quibus sese Apostolis ante ascensionem videndum praebuit, suamque visionem eodem prorsus in ordine ponere, ut omnes eiusdem generis fuisse concludere debeamus. Non imaginaria ergo visione quadam, sicut Dominus glorificatus aliis sanctis interdum apparuisse legitur, Dominus ab eo visus est; corpus Christi a mortuis resuscitatum suis oculis vidit Paulus (*cfr ad* 9,1) : secus enim, uti recte argumentatur *S. Thom.*, testimonio suo Christi resurrectionem confirmare non potuit (Summa theol. III. qu. 57. a. 6 ad 3.). Utrum vero Christus glorificatus, ut sese Paulo videndum exhiberet, relicto coelo proxime ad eum accesserit, id quod *S. Thom.* (l. c.) innuit, an per bilocationem in coelo simul et in terra corpus eius adfuerit, id quod cum aliis praefert *Lap.*, an demum in coelo residens visus sit Paulo, id quod vult *Iust.*, aliis relinquimus discutiendum; nobis adnotasse sufficit, Christi glorificati corpus verum et proprium a Paulo visum esse, ut testis resurrectionis fieret; de visionis modo nihil tradit Scriptura.

Cuius beneficii recordatione in Paulo simul memoria resuscitatur pristinae vitae, unde magna cum humilitate, quam indignus tanta fuerit gratia, profitetur : tamquam foetui *abortivo* (τῷ ἐκτρώματι) enim sibi visum esse Dominum asserit. De genuina huius appellationis hoc in loco significatione controversia est. Solo graeco iam vocabulo sententia paucorum (*Baron. Lorin.*) refutatur, qui quum a Romanis senatores supernumerarios imperatorisque ex gratia admissos abortivos vocari viderent (cfr *Sueton.* Octav. 35), Paulum utpote tertium decimum, supernumerarium ac proin abortivum esse conieccerunt. Neque graeco nec latino vocabulo explicatio congruit, quam ab *A*^tro haud pauci transumserunt, Paulum sese abortivum dicere, « quia extra tempus natus sit in Christo apostolatumque acceperit

Christo iam in coelum recepto cum carne » (*Thom*[1]. *Lyr*[1]. *Lap*[2]. etc., *Bamb*. — *Schn*. etc.). Neque eorum nobis probatur sententia, qui ad violentum modum, quo abortivus foetus eiicitur, attendentes Paulum quoque violento modo Christo natum esse dicunt (*Herv*. *Thom*[2]. *Lyr*[2]. *Cai*. *Lap*[3]. etc., *Bisp*[1]. *Grot*. — *Hofm*. etc.). Aptior est nonnullorum interpretatio, abortivum foetum sine connaturali ac debita praeparatione in vitam ingredi ac Paulum quoque subito in Apostolorum numerum esse receptum, quamvis ad hoc munus eadem ratione, qua reliqui Apostoli, non fuerit praeparatus (*Salm*. etc.). Rectius tamen, opinor, contextuique conformius plerique moderni cum *Theod*. monent, abortivum foetum esse imperfectum nec dignum, qui in hominum numero recenseatur; simili ratione etiam Paulum sese imperfectum proclamare, qui inter Apostolos connumerari non meruerit (*Thom*[3]. *Lyr*[3]. *Dion*. etc.; *Est*. *Iust*. *Pic*. etc., *Mai*. *Bisp*[2]. *L R*. *M Ev*. etc. — *Beng*. *Mey*. etc.)

Quam explicationem Paulus ipse insinuat pergens : 9. *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*. « At, o Apostole, inquit *Thom*., propter humilitatem nullus debet dicere falsum; quum ergo tu sis magnus, quomodo te vocas minimum? » Quid vero cum eodem *Thom*. huic interrogationi respondeatur oporteat, manifestum est. Vitae enim suae in Iudaeismo peractae continuo memor Paulus ipso nomine Apostoli indignum se esse reperit seseque minimum inter Apostolos proclamat; nam « blasphemus fuit et persecutor et contumeliosus » (1 *Tim*. 1,13) et « supra modum Ecclesiam Dei persecutus est et devastavit » (*Gal*. 1,13 cfr *Act*. 9,1 sqq.).

Quae continua pristinae vitae memoria non impedit, quominus illud quoque, quod per infinitam Dei gratiam nunc est, agnoscat eaque, quae sine veritatis dispendio de se negare non potest, ad Dei gloriam aperte proclamet : 10. *Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia eius in me* (lege : *gratia eius mihi collata*, ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμέ) *vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum* (lege : *quae mecum est*.) Gratiam Dei sibi collatam Apostolus hoc loco non illam intelligit, qua ad fidem conversus internam iustitiam ipse adeptus est, sed gratiam, « quae data est ei a Deo, ut esset minister Iesu in gentibus » (*Rom*. 15,15), qua Deus « revelavit Filium suum in eo, ut evangelizaret illum in gentibus » (*Gal*. 1,16), qua igitur ad munus apostolicum electus vocatusque est et idoneus redditus, qui « in gentibus evangelizaret investigabiles divitias Christi » (*Eph*. 3,8 sqq.); id enim et praecedentia docent et sequentia, in quibus de solo apostolico munere agitur (cfr *Est*. etc.).

Tamquam Ecclesiae persecutor ad hoc munus gerendum prorsus ineptus et indignus videbatur; itaque solo gratuito Dei beneficio est id, quod est, scilicet Apostolus gentium; atque haec gratia, qua ad munus apostolicum inter gentes obeundum vocatus et informatus est, *vacua* (κενή) i. e. inanis fructibusque carens non fuit. Id labores eius evincunt, quum « verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverit Evangelium Christi » (*Rom.* 15,18 sq.) et quam plurima et gravissima per multos annos, ut gentibus Evangelium annuntiaret, sit perpessus « in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter » (2 *Cor.* 11,23 sqq.). Tot tantaque reliqui Apostoli, ut *inter gentes* Evangelium propagarent, nec laborarant nec perpessi erant, ita ut veritati sit consonum, quod Paulus se aliis omnibus Apostolis abundantius laborasse asserit, sive cum antiquis plerisque de aliis Apostolis singulis, sive cum nonnullis modernis de omnibus Apostolis simul sumtis haec verba intelligere malueris. Sed prima usus persona (*laboravi*), quum tertia potius exspectaretur (gratia vacua non fuit, sed labora*vit*) iustos modestiae et humilitatis limites transgressus esse sibi videbatur, quatenus sibi ipsi praecipuas partes laborum attribuit; quapropter ultimo sententiae membro sese quasi corrigens primas partes et potiores adscribit gratiae, quae cum eo fuerit : *non ego autem, sed gratia Dei, quae mecum est*. Quibus verbis non omnia tamen gratiae ita attribuit, ut se cum ea collaborasse neget; iuxta notissimum enim Hebraeorum loquendi modum phrasis explicetur oportet, « quo solent, quum unum alteri praeferunt, non illud magis, hoc minus affirmare, sed illud affirmare omnino, hoc omnino negare » (*Maldon.* in Matth. 9,13); verborum igitur sensus est : « neque tamen *tam* ego, *quam* gratia, quae mecum est » (*cfr ad* 1,17).

Consueta lectio latina; *non ego autem, sed gratia Dei mecum*, minus apta videtur esse, quia duo phraseos membra inter se satis aperte pugnant; in priore enim membro homini primae partes negantur (*non ego*), quae ei in altero attribuuntur, quum gratia velut socia tantum consideretur (*gratia mecum* sc. laboravit). Quodsi *S. Aug.* (de gr. et lib. arb. 5) adnotat : « Ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuo quum dixisset : *gratia eius in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi*, Apostolus subiunxit atque ait : *non ego autem, sed gratia Dei mecum*, i. e. non solus, sed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo », verissima quidem est eius doctrina, sed eius verba pro genuina textus apostolici expositione haberi nequeunt; scriptum enim esse supponunt : « non ego, sed cum gratia », ut homini nudo

spectato homo gratia adiutus opponatur. Animadverte quoque, Apostolum de beneficio divino, quo ad munus apostolicum gerendum instructus est, loqui seseque aliis Apostolis non caritatis vel meritorum, sed laborum apostolicorum ratione anteponere, de interna ergo gratia gratum faciente proxime et diserte non agere; neque tamen negamus, per sensum consequentem ea, quae vult S. Aug., aliaque ad gratiam internam spectantia ex illis derivari posse.

Ultimi duo versus (9. 10) digressionem quandam constituunt, qua Apostolus, cur sese foetum abortivum vocaverit ac nihilominus sese testibus adnumeraverit, paucis explicat; iam ad thema suum reversurus unanimitatem testimoniorum apostolicorum asserit, quibus neophytorum fides innititur : 11. *Sive enim* (lege : *igitur,* οὖν) *ego* (Apostolorum ultimus), *sive illi* (primi Apostoli), *sic praedicamus* (sicut supra *v.* 3 sqq. expositum est) *et sic credidistis,* sicut a nobis Apostolis eadem ubique praedicantibus audistis. Minus apte alii alterum membrum explicant : « et sic nobis resurrectionem praedicantibus vos ad fidem pervenistis ».

2.) *Negatae dominicae resurrectionis consectaria absurda veritatem eius demonstrant* (15,12-20).

15,12. *Si autem Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis : Quoniam resurrectio mortuorum non est?* 13. *Si autem resurrectio mortuorum non est : neque Christus resurrexit.* 14. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra;* 15. *invenimur autem et falsi testes Dei : quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.* 16. *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* 17. *Quodsi Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris.* 18. *Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt.* 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* 20. *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium.*

12. Εἰ δὲ Χριστὸς κηρύσσεται, ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται, πῶς λέγουσιν ἐν ὑμῖν τινὲς ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν; 13. εἰ δὲ ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν, οὐδὲ Χριστὸς ἐγήγερται. 14. εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν, κενὴ καὶ ἡ πίστις ἡμῶν. 15. εὑρισκόμεθα δὲ καὶ ψευδομάρτυρες τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἐμαρτυρήσαμεν κατὰ τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἤγειρεν τὸν Χριστόν, ὃν οὐκ ἤγειρεν, εἴ περ ἄρα νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται. 16. εἰ γὰρ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, οὐδὲ Χριστὸς ἐγήγερται· 17. εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, ματαία ἡ πίστις ὑμῶν ἐστιν, ἔτι ἐστὲ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν, 18. ἄρα καὶ οἱ κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ ἀπώλοντο. 19. εἰ ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἐν Χριστῷ ἠλπικότες ἐσμὲν μόνον, ἐλεεινότεροι πάντων ἀνθρώπων ἐσμέν. 20. νυνὶ δὲ Χριστὸς ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων [1].

1. *VV. LL.* — 14. κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα (*inanis est ergo praedicatio*) est lectio recepta; quam praeter B L et longe plerosque minusc. tuentur *It. Vulg. Syr. Copt. Arm. Aeth.*; non satis recte *Tisch.* : κενὸν ἄρα καὶ τὸ κήρυγμα (inanis est ergo *etiam* praedicatio

Argumentationem suam, qua ex resurrectione Christi ad iustorum resuscitationem concludere vult (*cfr. v.* 21 sqq), quasi praeoccupans (12. 13) Paulus praedicationem Apostolorum et neophytorum fidem negata Christi resurrectione inanem reddi asserit (*v.* 14) idque uberius exponens (15. 16 et 17-19) Dominum vere resurrexisse, quum nihil istius resurrectionis negatione sit absurdius, concludit (*v.* 20).

Cum Apostolorum igitur praedicatione, qui unanimes (*cfr v.* 11) resurrectionem Domini annuntiant, nova nonnullorum doctrina, quae futuram resurrectionem negat, stare nequaquam potest : 12. *Si autem* (id quod ex dictis constat) *Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis* (in vestra ecclesia), *quoniam resurrectio mortuorum non est?* Tam arcte iuxta Apostolum Christi resurrectio et futura iustorum resurrectio cohaerent et connectuntur, ut una sine altera non possit negari; qui fidelium resurrectionem negat, is Christi quoque resurrectionem negare debet : 13. *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.*

« Sed videtur, inquit *Thom.*, quod haec argumentatio non valeat, quum sit locus a maiori affirmando : quia licet Christus resurrexit specialiter ex virtute divinitatis suae, non sequitur quod alii homines resurgant ». Ad quam difficultatem removendam aliqui de sola resurrectionis possibilitate hoc in loco agi atque Paulum resuscitatione Christi demonstrata Corinthiis, qui resurrectionem ob eius impossibilitatem negabant, omne argumentum abstulisse putant (*Theod.* etc. — *Mey. Heinr. Kl Br.*). Attamen verba apostolica de possibilitate resurrectionis non recte explicantur, quum eius certitudinem et veritatem clare exprimant; infra utique (*v.* 36 sqq.), ubi de resurrectionis modo agitur, eius possibilitas attingitur. Haud melior est similis solutio aliorum, quos *Thom.* commemorat; iuxta illos enim « locus non

cum ℵ A D E F G K P, nonnullis minusc. et *Goth.* — κενὴ καὶ ἡ πίστις (*inanis est et fides*) B ℵ A D F G P, nonnulli minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.), *Copt. Arm. Aeth.*; minus apta est lectio *recepta* : κενὴ δὲ καὶ ἡ πίστις (inanis *autem* et fides), quam cum E K L plerique minusc. et PP gr. et *Syr.* (codd.) tuentur. — ἡ πίστις ἡμῶν (fides nostra) B D, paucissimi minusc. cum *Sah. Goth.* et nonnullis PP. gr. et lat.; praeferenda est communis lectio : ἡ πίστις ὑμῶν (*fides vestra*) ℵ A F G K L P, plerique minusc. et PP. *It. Vulg. Syr. Memph. Arm. Aeth.* — 15. εἴπερ ἄρα νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται) *si* igitur *mortui non resurgunt*); membrum hoc male omittunt D L, *It.* (*Tert.* de resur. carn. 48, *Aler* etc.), *Vulg.* cod. *harl. Syr.* (codd.), *Copt. Goth.* — ἔτι ἐστέ (adhuc estis) sine ulla coniunctione est communis et certa lectio; superflue praemittitur coniunctio καί ab ℵ A, *Copt. Goth. Aeth.*, aut ὅτι (quoniam) a paucis minusc. et *Tert.*, aut inseritur γάρ (*enim*) ab *Atro* et *Vulg.* — 19. Adverbium μόνον in fine sententiae ponitur a B ℵ A D E F G, nonnullis minusc., *Goth.*; post ἐν Χριστῷ ante ἠλπικότες a *textu rec.* cum K L P et plerisque minusc.; post ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ab *It. Vulg. Syr. Copt. Arm.* atque ad hoc membrum etiam a Patribus trahitur.

est a maiore sed a simili; mori enim et resurgere competit Christo secundum humanam naturam : quare dicunt, quod est simile argumentum, sicut si dicerem : anima Socratis est immortalis, ergo omnes hominum animae sunt immortales ». Quae solutio sufficeret quidem, si corpori resurrectionem non minus quam animo immortalitatem essentialem esse, iam antea constaret; at hoc non est demonstratum; quae vero per accidens uni homini sunt propria, ea non iam toti humano generi competunt. Longius quaerunt solutionem, qui Christi resurrectione proxime eius messianitatem et divinitatem, messianitate autem eius et divinitate veritatem doctrinarum ab eo traditarum ac proin etiam universalis resurrectionis ab eo annuntiatae demonstrari volunt (*Mai*); eiusmodi enim longam argumentationem, si intelligi voluit, paucis istis verbis Apostolus non potuit comprehendere. Itaque nobis quoque cum *Thom.* « melius videtur dicendum, quod sit locus a causa, quia resurrectio Christi est causa resurrectionis nostrae ». Neque tamen est eius causa meritoria (*Gl ord.* etc.), ac si Christus resurrectione sua nostram resuscitationem meruisset; nam « in statu resurrectionis non erat viator sed comprehensor » (*Thom.*) ac proin merere non amplius potuit; omnia vero nobis meruit passione sua. Sed resurrectio Christi recte dicitur nostrae resurrectionis causa exemplaris, atque fundamentum apostolicae argumentationis etiam in hoc loco, ut saepissime, est corporis mystici Christi, i. e. Ecclesiae, unitas, quae postulat, ut membra capiti conformentur eiusque vitam et gloriam participent. Rectissime enim *Chrys.* : « Si corpus nostrum est membrum Christi, Christus autem resurrexit, etiam nostrum corpus caput sequetur ». Ac profecto « inconveniens foret ipsique capiti indecorum, sub capite vivo reliquum corpus manere mortuum totumque corpus ex capite vivo et membris mortuis constare; ex quo iam nec corporis appellationem mereretur (ens compositum), cuius membra cum capite vitalem connexionem non haberent nec amplius habitura essent » (*Est.*). Solorum quidem iustorum resurgentium exemplar est Christus resurgens, utpote primitiae dormientium (*v.* 20 *cfr ad* 11,30); apostolicum ergo argumentum de sola iustorum resurrectione valet; neque tamen ideo argumentationem ipsam imperfectam aut mancam dicere licet. Namque ad errorem Corinthiorum refutandum opus non erat universalem omnium hominum resurrectionem demonstrare, sed plane sufficiebat demonstratio resurrectionis illius, quam velut praemium Apostoli in suis praedicationibus annuntiaverunt, i. e. resurrectionis gloriosae.

Postquam hac ratione intimum nexum insinuavit, qui inter Domini resurrectionem nostramque futuram resuscitationem intercedit, Pau-

lus, ut totius argumentationis suae fundamentum confirmet, absurda ostendit, quae admittenda essent, si Christum resurrexisse negaretur. 14. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra.* Praedicationem et fidem non eam solam, quae est de Christi resurrectione sed integram Evangelii annuntiationem ex parte Apostolorum integramque eius acceptionem ex parte fidelium intelligit (*cfr v.* 11 : *sic praedicamus et sic credidistis*) : utraque, si Christus non resurrexit, fundamento suo caret ideoque inanis (κενή) i. e. vana est. Iudaeis enim signum, quo divinam eius missionem cognoscerent, postulantibus Dominus sese resurrecturum praedicens resurrectionem suam velut sigillum quoddam et argumentum irrefutabile messianitatis et divinitatis suae indicaverat (*Ioan.* 2,18 sqq.; *Matth.* 12,38 sqq. etc.); quare negata Christi resurrectione totum Evangelium vacillat et ruit, quum Christus, si non resurrexit, pro pseudopropheta sit habendus, atque praedicatio fidesque firmitate carent et ex vano sunt; resuscitans autem Iesum a mortuis Deus omnibus fidem praebuit (*Act.* 17,31; cfr *Rom.* 1,4) securamque reddidit praedicationem.

Quae duo absurda Apostolus accuratius exponit a praedicatione exorsus : 15. *Invenimur autem* (nos Apostoli) *et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si* (εἴπερ ἄρα si igitur, uti asserunt adversarii) *mortui non resurgunt;* 16. *nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Non tantum inanis et vana, utpote fundamento carens, sed et falsa esset apostolica praedicatio veritateque careret, ita ut Apostoli essent *falsi testes contra Deum* (ψευδομάρτυρες τοῦ Θεοῦ, genitivus τοῦ Θεοῦ est obiectivus, uti explicatio addita docet), quippe qui testimonium contra Deum[1] dicerent, quum ei aliquid attribuerent, quod ei non competit, resuscitationem scilicet Christi, quae iuxta adversariorum hypothesin admitti non posset; nam, uti antea (*v.* 13) iisdem fere verbis iam dictum erat, qui futuram mortuorum resurrectionem negat, is Christi resurrectionem neget necesse est. Iam vero « pessimum est, inquit *Thom.* aliquid attribuere Deo, quod non fecit, et illum laudare in eo, quod non est. Unde dicit *Aug.* : Non minore sed maiore fortassis scelere laudatur in Deo falsitas, quam vituperatur veritas. Cuius ratio est, quia intellectus noster numquam potest tantum laudare Deum, quin deficiat a perfectione eius; et ideo si intel-

1. Κατά τινος μαρτυρεῖν significat : *contra aliquem* testimonium dicere (*Matth.* 26,59. 62; 27,13; *Marc* 14,55 etc.), nec ullibi sensum admittit : *de aliquo* testari, quem hoc in loco *Erasm.* cum paucis modernis acath. praefert.

lectus noster non totaliter omnem veritatem de Deo potest intelligere, hoc pertinet ad excellentiam Dei. Sed si Deo aliquid attribuitur, quod non habet vel non facit, videtur quod intellectus noster est maior Deo et intelligit aliquid maius eo, quod ei false attribuat; et hoc est contra illud : Deus maior est corde nostro (1 *Ioan.* 3,20) ». Itaque caveant sibi, ne falsi testes contra Deum inveniantur, qui gloriam Dei promovere sibi videntur, si nullis aut levissimis rationibus nixi nescio quae miracula et vaticinia conficta iactant; « numquid Deus indiget mendacio vestro, ut pro eo loquamini dolos » (*Iob* 13,7 *Vulg.*)?

Ad alterum deinde quod sequeretur absurdum transiens : 17. *Quodsi Christus non resurrexit, vana est et fides vestra,* Paulus expressionem aliquantulum mutat; fidem enim, quam antea dixerat κενήν, i. e. inanem et vanam, nunc dicit ματαίαν, i. e. cassam et inutilem. Triplici autem ratione explicat, quomodo fides fructu careret, si Christus non resurrexisset : *adhuc* (*enim*) *estis in peccatis vestris.* Nam si Christus non resurrexit, non est verus Messias, qui secundum Scripturas resurgere debuit; si non est verus Messias, non est ille, qui secundum Scripturas morte sua pro peccatis nostris satisfacere debuit; remissio igitur peccatorum nondum est (*Chrys.* etc.). Alio modo cum aliis *Thom.* : « Falsitas non habet virtutem purgandi, sed constat quod fides purgat peccata. Si ergo fides nostra est inanis, id quod locum haberet, si Christus non resurrexisset, nos autem eius resurrectionem crederemus, peccata nostra nobis non sunt dimissa ». Tertio modo cum aliis *Est.* : « Si Christus non resurrexit, nondum estis iustificati, quum in fide resurrectionis Christi vobis sita sit iustitia : resurrexit enim propter iustificationem nostram (*Rom.* 4,25) ». Alii alio modo, sed prima (*Chrys.*) explicatio reliquis omnibus merito praefertur.

Alterum damnum sua sponte ex primo profluit : 18. *Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt.* Arctius verba haec de solis martyribus, qui *pro* Christo mortem subierunt, intelligunt aliqui (*Theod. Theoph. A^ter^, Pel.* etc. — *Grot.* etc.); omnes enim fideles qui in fide Christi mortui sunt, designantur, quoniam iuxta hypothesin hi omnes, quum in Christo se salutem habere putarent, erraverunt; et peccatis suis onusti in alteram vitam transeuntes praeda poenae aeternae facti perierunt. Erroneam esse eorum explicationem, qui verbo pereundi omnimodum interitum animae, « quae in aeternum sine corpore manere nequeat », significatum vident (*Lap. Men.* etc. — *Heydenr.* etc.), demonstratione non indiget.

Ad salutem igitur fides, si Christus non resurrexit, nec vivis prodest, nec defunctis profuit; hinc tertio sequitur, fidem hominibus nocivam potius quam utilem esse : 19. *Si in hac vita tantum in Christo*

sperantes sumus (ἠλπικότες ἐσμέν confisi sumus, vel spem nostram ita posuimus, ut etiam nunc eam retineamus), *miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Seclusa iam spe aeternae salutis, quae, quum in adversariorum hypothesi peccata fide non remittantur, obtineri non potest, nihil restat, nisi ut saltem hac in vita fides nos beatos felicesque reddat; at tantum abest, ut id praestet, ut miseriam et infelicitatem nostram augeat. Quin etiam omnibus hominibus miserabiliores erimus, quum ob hanc fidem tot rebus, quibus alii fruuntur, renuntiare, tot alias res difficiles et molestas in nos suscipere, innumeras persecutiones tolerare ipsamque interdum mortem subire cogamur.

Verum absurdas cunctas consequentias, quae ex negata Christi resurrectione derivantur, Apostolus uno verbo reiicit cum iubilo exclamans : 20. *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium*, ac proin nec inanis est praedicatio apostolica nec inutilis fides neophytorum : tamquam veri testes Dei Apostoli annuntiarunt Christi resurrectionem, ac fides in Christum resuscitatum neophytos purgavit ab eorum peccatis, dormientes in Christo perduxit ad aeternam salutem, molestiis, laboribus, tribulationibus huius vitae omnem ademit amaritudinem difficultatemque, neque omnibus hominibus miserabiliores, sed feliciores etiam in hac iam vita sunt Christiani. Ultimis verbis, quibus Christum resuscitatum dicit *primitias dormientium* Apostolus Minori suae argumentationis praeludit; quare illa statim explicabimus.

Ad nexum, quo *vv.* 17. 18. 19. inter se colligantur, non satis attendentes multi interpretes antiqui (*Chrys.* etc., *Thom.* etc., *Cai. Est. Lap.* etc.) et nonnulli moderni (*M Ev. Dr. Ramb.*) in *v.* 19. difficultatem inveniunt : « Quid dicis, o Paule, inquit *Chrys.*; quomodo in hac vita tantum sperantes sumus, si corpora non resurgunt, quum maneat anima et sit immortalis? » At haec obiectio locum hic non habet, quia Apostolus (17. 18) *omnem* in altera vita beatitudinem resurrectione Christi negata excludi ostendit. Etenim si Christus non resurrexit, non habetur peccatorum remissio illique ipsi, qui in fide Christi moriuntur, pereunt. Ad summum igitur (haec est Pauli ulterior argumentatio) in hac mortali vita fides nobis, si Christus non resurrexit, utilis esse potest; sed ne in hac quidem vita ullam nobis praestat utilitatem (cfr *Iustin.* etc.).

Porro responsa, quibus nonnulli obiectionem illam solvere conantur, parum sunt apta. Iuniorum Graecorum errori, qui animas sanctorum ante resurrectionem ad visionem beatificam perventuras esse negant, vicinissima videtur *Chrys.* solutio : « Etsi maneat anima et millies sit immortalis, sicut est revera, *absque carne* non accipiet bona illa ineffabilia, sicut nec punietur... Si enim non resurgit corpus, incoronata manet anima et

extra illam beatitudinem, quae est in coelis »[1]. Parum aptum quoque est responsum *Cai.*: « Paulus non loquitur absolute, sed relative ad *homines*. Significanter enim dicit : sperantes sumus, miserabiliores sumus, procul dubio *nos homines*. Et significantius explicat : omnibus *hominibus*, ut de ipsis *hominibus* verba intelligamus, non de *animabus* hominum : ego enim non sum anima mea. Constat autem relative ad homines ipsos loquendo idem esse : non resurgere *homines*, et non esse aliam vitam *hominum* nisi hanc » (cfr etiam *Thom*[2].). Lusu igitur verborum, ne dicam sophismate, usus esset Paulus, ut rem aggravaret. Nam Paulus et Corinthii, opinor, subtilem illam distinctionem, iuxta quam pronomine personali integer homo corpore et animo constans designatur, aeque parum ac nos in quotidiana vita adhibuerunt; sicut omnes Christum ad inferos descendisse in symbolo profitemur, quamvis eius anima sola descenderit, ita nemo nostrum dicere veretur : ego iam ante universalem resurrectionem in coelis beatus ero. De reliquo *cfr* 14,4 et 14, ac *infra ad* v. 30 sqq.

2. *Christus resurrexit primitiae dormientium* (15,21-28).

15,21. *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* 22. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* 23. *Unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus : deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu eius crediderunt.* 24. *Deinde finis : quum tradiderit regnum Deo et Patri, quum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem.* 25. *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* 26. *Novissima autem inimica destruetur mors : omnia enim subiecit sub pedibus eius. Quum autem dicat :* 27. *Omnia subiecta sunt ei, sine dubio praeter eum, qui subiecit ei omnia.* 28. *Quum autem subiecta fuerint illi omnia : tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

21. Ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπου θάνατος, καὶ δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν. 22. ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, οὕτως καὶ ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται. 23. ἕκαστος δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι· ἀπαρχὴ Χριστός, ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ. 24. εἶτα τὸ τέλος, ὅταν παραδιδοῖ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ καὶ Πατρί, ὅταν καταργήσῃ πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν. 25. δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν, ἄχρις οὗ θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. 26. ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος. πάντα γὰρ ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. 27. ὅταν δὲ εἴπῃ· Πάντα ὑποτέτακται, δῆλον ὅτι ἐκτὸς τοῦ ὑποτάξαντος αὐτῷ τὰ πάντα. 28. ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα, τότε αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα, ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς πάντα ἐν πᾶσιν[2].

1. A iuniorum tamen Graecorum errore, quem obvio sensu exprimere videntur, S. Doctoris verba liberantur, si de solo praesente ordine, quem Deus stabilivit, explicantur. De facto enim in praesente ordine beatitudo aeterna et resurrectio gloriosa coniunctae sunt; beatitudinem animae vero non inchoari nisi post corporis resurrectionem, id quod Graeci haeretici tenent, *Chrys.* illis verbis certe noluit asserere, quum alibi beatorum animas statim post mortem cum Christo fore doceat (cfr in 2 *Cor.* hom. 10,1 sqq.; in *Phil.* hom. 4,1 etc.).

2. *VV. LL.* — 21. ἐπειδὴ γάρ (quoniam *enim*) est lectio communis et vera, quam etiam tuentur aliqui *codd. lat.*, *S. Ir.* interpr. c. haer. V. 13,5, *S. Hil.* de Trin. XI. 22 etc. — Vocabulo θάνατος, quod nudum habent B ℵ A D K cum aliquibus minusc. et multis PP. graec., articulum praemittit *textus rec.* cum E F G L P et plerisque mi-

Velut rem, quae allatis argumentis extra omnem dubitationem erat posita, Paulus asseruit : 20. *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis,* simulque addidit, eum resurrexisse *primitias dormientium,* quibus verbis thema sequentis sectionis indicans « nos in resurrectione Christi pignus nostrae resurrectionis possidere » docuit (*Theod.*). Etenim primitiae sunt primae fruges, quae ut Deo consecrentur ex agro desumuntur ad aliasque eiusdem agri fruges ita referuntur, ut primitiae non essent, nisi alii eiusdem agri essent fructus, qui in illarum oblatione simul Deo offerrentur. Terram itaque integram Paulus velut agrum considerat, in quo corpora mortuorum quasi semina sunt deposita, ut divitem messem producant; ager vero fructus suos dare iam coepit; quandoquidem ex eo ad aeternam gloriosamque vitam resurrexit Christus, ad cuius similitudinem alii *dormientes,* i. e. iusti qui in eius fide mortui sunt, resurgant necesse est, ut ipse eorum primitiae recte appellari possit.

Porro « resurrectio Christi se habet ad resurrectionem aliorum, sicut primitiae fructuum ad sequentes fructus, quos superant tempore et dignitate » (*Thom.*). Dignitate Christum resuscitatum omnes iustos, qui resurrecturi sunt, superare, evidens est; de tempore autem dubitari potest, quia saltem illi, de quibus *Matth.* 27,51 sq. loquitur, non ad mortalem iterum vitam (sicut Lazarus etc.) sed ad gloriosam aeternamque vitam iam ante Domini resurrectionem esse resuscitati viden-

nusc. — 22. ὥσπερ γάρ (sicut *enim*) iterum est communis ac vera lectio, quam etiam sequuntur *A^ter*, *S. Aug.* etc. — 23. οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ (qui sunt Christi in adventu eius) quoque est communis et vera lectio, quam etiam tuentur aliqui *codd. Vulg.* (*Amiat. Tolet.*) uti *A^ter*, *Prim. S. Hier. S. Aug. Ruff.* etc. Attamen F G legunt : οἱ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ ἐλπίσαντες (qui in adventu eius sperarunt) ; *S. Hilar.* (de Trin. XI. 22) : deinde hi qui sunt Christi, qui in adventu eius; Latini plerique : *deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu* (vel : adventum) *eius crediderunt.* Prima lectio utpote melioribus testimoniis nixa praeferenda est. — 24. ὅταν παραδιδοῖ (quum tradit) B F G, aut παραδιδῷ, quae est consueta coniunct. forma, ℵ A D E P, pauci minusc., PP. haud pauci, *Copt.*; sed *textus rec.* ὅταν παραδῷ (*quum tradiderit*) cum K L, plerisque minusc., nonnullis PP., *It. Vulg.* Moderni critici (*Lachm. Tisch. W H*) unam ex prioribus lectionibus recte, ut videtur, praeferunt (*cfr* Comment.). — 25. δεῖ γάρ (oportet *enim*) est communior lectio codd. graec. et verss., quam inter Latinos tuentur *Tert.* (c. Marc. V. 9), *S. Hilar.* (de Trin. XI. 22), *S. Aug.* (de Trin. I. 8 etc.), *A^ter*, *Sedul.* etc. Non recte, ut videtur, *Vulg.* : *oportet autem.* — 27. πάντα ὑποτέτακται (omnia subiecta sunt) sine additamento est communis lectio codd. graec. et verss. (cfr etiam *S. Hilar.* l. c.); attamen addunt αὐτῷ (*omnia subiecta sunt ei*) F G, *It. Vulg.* — 28. τότε αὐτὸς ὁ υἱός (tunc ipse filius) B D E F G, pauci minusc., antiquiores *codd. Vulg.* (*Fuld. Amiat. Harl. Tolet.* etc.), *Syr.* (codd.) et multi PP. gr.; sed τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱός (*tunc et ipse filius*) ℵ A K L P, omnes fere minusc., *It. Vulg.* (Clem.), *Syr.* (codd.), *Copt. Arm. Aeth.* — πάντα ἐν πᾶσιν (*omnia in omnibus*) B A D cum paucis minusc.; alii fere omnes codd. et PP. graeci praemittunt articulum : τὰ πάντα ἐν πᾶσιν.

tur; at recte plerique interpretes censent, Matthaeum illo in loco, uti saepe, ad temporis ordinem non attendisse ac resuscitationem illam, quamquam resurrectione Christi posteriorem, cum aliis signis, quae tempore mortis Christi facta sunt, coniunxisse (*Orig. Hier. Beda. Thom. Mald.* etc.); alii tamen mortuos illos ad aeternam vitam resurrexisse negare malunt (*Euthym. Theoph.* etc.). Quidquid de hac quaestiuncula est, certum est, Christum esse primitias dormientium, « primum ex resurrectione mortuorum » (*Act.* 26,23), « primogenitum mortuorum » (*Col.* 1,18), eumque in sua resurrectione futuram omnium eorum, qui eius sunt, resurrectionem iam sanxisse, sicut in agri primitiis omnes eius fruges Deo consecrantur : « homo factus naturam sanam reddidit eam totam suscitans a mortuis in se ipso » (*Cyr.* in Ioan. 2,11 sq.). Per se vero patet, Christum resuscitatum non esse primitias nisi iustorum resurrecturorum; inter peccatores mortuos enim et Christum ea similitudinis ratio deest, quae ut eorum primitiae dicatur requiritur; quam ob causam in sequentibus quoque Paulus non de universali omnium hominum resurrectione agit, sed de sola iustorum resuscitatione gloriosa.

Namque qua ratione Christus resuscitatus primitiae dormientium sit, Paulus explicat et probat, eandem ostendens esse relationem inter Christi et iustorum resurrectionem, quae est inter Adami et omnium hominum mortem : 21. *Quoniam quidem* (lege : *quoniam enim*) *per hominem mors* (est), *et* (etiam) *per hominem resurrectio mortuorum* (est); 22. *et sicut* (lege : *sicut enim*) *in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*. Per hominem quendam corrupta est humana natura immortalitatisque dono, quo Deus eam praeter eius exigentiam ditaverat, privata; ad humanae ergo naturae dignitatem servandam conveniens erat, ut per hominem quoque aliquem redintegraretur donumque amissum immortalitatis recuperaret; quia igitur per hominem aliquem (δι' ἀνθρώπου) mors in genus humanum intravit, ideo per hominem aliquem (δι' ἀνθρώπου), qui a mortuis resurgens factus est primitiae dormientium, introducta est resurrectio mortuorum. Quae accuratius explanans Apostolus similem rationem, quae Adamum inter eiusque posteros fuit, etiam inter Christum, secundum Adamum, eiusque posteros intercedere monet; sicut enim in vita mortali Adam, ita in vita spirituali Christus est parens noster; sicut in Adam omnes peccavimus et in eo mortis poenam contraximus, ita in Christo iustificati ad novam vitam revertimur. Haud sine ratione porro Apostolus aliam praepositionem (διὰ) in praecedente versu, aliam (ἐν) in hoc versu adhibuit. In utroque enim versu causalitatem quidem exprimere voluit, sed in secundo praepositionem ἐν elegit, ut nexum simul indi-

caret, qui una ex parte inter Adamum eiusque posteros, altera ex parte Christum inter eiusque membra invenitur; nam in illo nexu ratio causalitatis fundatur : quoniam filii sumus Adami, morimur, et quoniam membra Christi sumus, vivificabimur. Unde elucet, verbo vivificandi non nudam carnis resuscitationem, sed resurrectionem ad vitam gloriosam designari, cuius participes ii soli fient, quorum primitiae est Christus. Christum resurgentem enim *dormientium*, i. e. iustorum mortuorum, primitias esse his duobus verbis Paulus explicare et probare voluit.

Quoniam in priore membro (v. 22. *omnes* moriuntur) integrum genus humanum, quod totum ab Adam descendit, intelligatur oportet, plerique antiqui interpretes (*Chrys. Theod.* etc., *A*[ter] etc., *Thom.* etc., *Caiet. Iustin.* etc.), quibuscum pauci moderni (*Ramb.* etc. — *Kl Br. Goeb.* etc.) fere consentiunt, etiam in altero membro (*omnes* vivificabuntur) vocabulum *omnes* sensu universali de integro genere ita explicant, ut verbum *vivificandi* nihil significet nisi *ad vitam revocare* atque Paulus de *resurrectione iudicii* non minus quam de *resurrectione vitae* (*Ioan.* 5,29) loquatur. Paucis verbis hanc sententiam explicat *Thom.* : « Vivificabuntur in Christo boni et mali vita naturae, sed vita gratiae non nisi boni; attamen Apostolus loquitur hic de resurrectione ad vitam naturae, ad quam omnes vivificabuntur ». Quae non recte videntur dicta; procul dubio Christus etiam malos resuscitabit (*Ioan.* 5,28 sq.), neque Christi resurrectionem causam resurrectionis quum bonorum tum malorum certo sensu apte dici negamus (cf *S. Thom.* Summa theol. III. qu. 56. a. 1 ad 3); sed Apostolus hic de vivificatione eorum loquitur, quorum primitiae Christus est quique soli, quia *in Christo* velut membra corporis eius mystici *sunt*, *in* eo vivificari queunt. Eadem igitur ratione, qua *Rom.* 5,28, se habent nostro in loco duo *omnes;* egregie autem in *Rom.* 5,29 ipse *Thom.* : « sicut *omnes* homines, qui nascuntur carnaliter in Adam, incurrunt condemnationem per eius peccatum, ita *omnes* homines, qui renascuntur spiritualiter per Christum, adipiscuntur iustificationem vitae ». Hanc nostri quoque loci interpretationem saepius proposuit *S. Aug.* : « Per hanc apostolicam, inquit, divinam claramque sententiam satis evidenter elucet, neminem ire in mortem nisi per Adamum, neminem ire in vitam aeternam nisi per Christum. Hoc est quippe *omnes* et *omnes*, quia sicut omnes homines per primam, i. e. per carnalem, generationem pertinent ad Adam, sic omnes homines ad secundam, i. e. spiritualem, generationem veniunt, quicumque ad Christum perveniunt. Ideo ergo dictum est hic *omnes* et ibi *omnes*, quia sicut omnes qui moriuntur nonnisi in Adam moriuntur, ita omnes qui vivificabuntur nonnisi in Christo vivificabuntur. Ac per hoc quisquis nobis dixerit, quemquam in resurrectione mortuorum vivificari posse nisi in Christo, tamquam pestis communis fidei detestandus est » (ad Hier. ep. 166 al. 287,21; cfr ad Opt. ep. 190 al. 157 2,8; de civ. Dei XIII. 23,3 etc.). Similiter quoque *S. Leo M.*, qui

Rom. 5,18 sq. nostroque loco adductis velut explicationem addit : « Hi utique omnes, qui, licet in Adam sint nati, in Christo tamen inveniuntur renati, habentes fidei testimonium et de iustificatione gratiae et de communione naturae » (ad pop. et cler. Constant. ep. 59 al. 46,4; serm. 63 al. 64 de pass. 14,4). Ex nostrae epistolae interpretibus hanc explicationem iure adoptarunt haud pauci antiqui (*Cyr. Pel. Dion. Carth. Est. Nat.* etc.) et moderni plerique (*Mai. Bisp. M Ev. Dr.* etc. — *Rück. Mey. God.* etc.). — Quod moderni quidam acath. (*d W. Kr.* etc.), quamvis verbum vivificandi de resurrectione ad vitam gloriosam intelligant, vocabulum *omnes* tamen latissime de toto genere humano explicare volunt, ut ex nostro loco finalem beatitudinem etiam peccatoribus praedictam esse demonstrent, id plane absurdum est; eiusmodi enim restitutionem omnium rerum (ἀποκαταστάσεως πάντων *Act.* 3,21), quae poenarum aeternitatem negat, Origenem quidem docuisse non diffiteor, sed S. Scripturae non docent (*cfr ad v.* 28).

Apostolus, postquam Christum resuscitatum, primitias dormientium, causam et exemplar resurrectionis iustorum esse ostendit, ad resurrectionis ordinem transit, ut novo argumento corpora iustorum ad novam vitam esse reditura confirmet : finem enim huius saeculi non adventurum esse docet, antequam cum reliquis regni messianici adversariis mors quoque, quae ultima futura sit inimica, per Christum sit devicta regnoque privata.

23. *Unusquisque autem in suo ordine : primitiae Christus; deinde ii qui sunt Christi* (*qui*) *in adventu eius* (*crediderunt*). Graecum vocabulum τάγματος de militum agminibus ordine dispositis a profanis scriptoribus plerumque adhibetur; num haec significatio, quae a *S. Clem. Rom.* (1 Cor. 37) ita usurpatur, ut singuli duces soli iam τάγμα constituant, animo Pauli obversata sit, non plane constat; certum est, eum in resurrectione varios ordines variasve classes non sola dignitatis et meritorum (*Tert. Est.* etc.) ratione, nec sola ratione temporis (*Chrys. Theoph.* etc.), sed dignitate et tempore (*Pel. Thom.* etc.) distinguere. Quarum primam *Christus, primitiae dormientium,* solus constituit; alteram componunt *ii qui sunt Christi,* i. e. electi omnes, sive ante primum Christi adventum sive post illum obdormierunt : eodem enim modo, quo primitiae tempore et pretio reliquos agri fructus praecedunt, resurrectio Christi resurrectionem electorum praecedat necesse est tempore ac dignitate. Iuxta *Vulgatae. Clem.* lectionem *ii qui sunt Christi* appositione quadam accuratius definiuntur vel describuntur; dicuntur enim ii, *qui in adventu* (adventum) *Christi crediderunt,* i. e. gloriosum Christi iudicis reditum crediderunt et credendo exspectarunt. Quae appositio satis otiosa et superflua merito habetur; quare cum multis antiquis Patribus et codicibus latinis

(*cfr* VV. LL.) et plerisque modernis interpretibus lectionem graecam praeferimus : *deinde ii, qui sunt Christi, in adventu eius,* ut tempus quo secunda classis resurrectura sit, definiatur. Qui enim in Christo obdormierunt, ii in secundo Domini adventu, quando « in iussu et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo », statim resurgent et « in nubibus rapientur obviam Christo in aëra et sic semper cum Domino erunt » (1 *Thess.* 4,15 sq.). Minus recte *Cai.* et pauci moderni acath. (*v. Heng.* etc.) verba οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ in unam phrasin coalescere volunt (*qui Christi in eius adventu sunt,* vel : *fuerunt*); eos enim designari putant, qui adveniente Christo iusti invenientur, in oppositione ad eos, qui in hac vita professione christiana Christi quidem esse videbantur, sed non erant, aut etiam eos, qui Domini sectatores in primo eius adventu fuerunt, in oppositione ad alios Christianos; neutra enim explicatio grammaticae graecae et contextui satis consonat.

Iustorum resurrectionem, qua mors destruetur, sequetur finis : 24. *Deinde finis, quum tradiderit* (lege : *quando tradit,* ὅταν παραδιδοῖ vel παραδιδῷ *cfr* VV. LL.) *regnum Deo et Patri, quum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem.* Duae sententiae temporales, quamvis eadem coniunctione ὅταν (*quum* vel *quando*) introducantur, inter se non sunt parallelae, sed altera priori est subiuncta : finis erit, quando Christus regnum Deo Patri tradet, sed antequam illud tradere possit, illud omnibus evacuatis adversariis pacatum possidere debet; quapropter praeferenda est antiquiorum codicum graec. et Patrum lectio, quae, quum in priore membro coniunctivum praesentis, in altero coniunctivum aoristi habeat, hanc relationem exprimit.

Cuius rei *finis* (τὸ τέλος) a Paulo intelligitur? Haud pauci interpretes antiqui et moderni (*Cyr. Theod. Oec.* etc., *Cai. Lap*[2]. etc. — *Mey. Kl Br.* etc.), quum explicent : *deinde erit resurrectionis finis,* tertiam resurgentium classem innui arbitrantur. Atque *Cyr.* quidem secundam classem iis solis iustis, qui post Verbi incarnationem obdormierint, tertiam iis, qui iam ante Christum defuncti sint, constare putat; hos enim prioribus dignitate esse inferiores ideoque tardius ad vitam gloriosam esse perventuros. Qua sententia, quae nemini probatur, praetermissa reliqui tertiae, quam hic indicatam vident, classi attribuunt eos, qui Christi *non* sunt, i. e. reprobos, quorum resurrectionem intervallo temporis a iustorum resurrectione separari arbitrantur : uti Christi nimirum resurrectio sit initium resurrectionis universalis (ἡ ἀπαρχή), ita reproborum resuscitationem volunt fore eiusdem finem (τὸ τέλος); tripartitionem enim vocabulis ἀπαρχή, ἔπειτα, εἶτα clare indicari existimant.

Utrum sententia, quae iustorum inter et reproborum resurrectionem brevius longiusve temporis intervallum statuit, alicubi in Scriptura doceatur aut aliunde probabilis sit necne, opus non est inquirere, quum certum sit, eam hoc saltem loco ab Apostolo nec tradi nec insinuari. Etenim dubium quidem non est, quin impiorum quoque resuscitatio traditionem regni, de qua loquitur Paulus, sit praecessura, siquidem Christi regnum perfectum et absolutum non erit, antequam morti integra praeda est erepta; at hinc non sequitur, Paulum, qui errorem de resurrectione inter neophytos exortum refutare vult, eam commemorare debuisse, sive iusti et reprobi eodem temporis momento, sive diversis temporibus resurrecturi sint. Nam de sola eorum futura sorte, qui sunt Christi quorumque primitiae Christus resurgens est, quaestio agitabatur; de illa sola igitur agit futuram impiorum sortem silentio praetermittens. Quapropter particula εἶτα, nisi Christum reproborum quoque resurgentium primitias dicere stulte velimus, enumerationem versus praecedentis, quae a primitiis resurgentium inchoatur, non continuat nec tertiam classem addit, sed quid Christus relate ad secundam classem post eius resurrectionem facturus sit introducit. Praeterea si vera esset sententia, quam impugnamus, sequeretur, impiorum resurrectionem et traditionem regni in idem temporis momentum incidere, id quod admitti nequit. Demum Apostolus, si genitivum *resurrectionis* suppleri voluisset, parum accurate esset locutus, quum in immediate praecedentibus de *vivificatione*, i. e. de resurrectione *gloriosa*, egisset[1].

Quae quum ita sint, cum *Chrys.* et plerisque antiquis recentibusque interpretibus finem intelligimus huius saeculi consummationemque omnium rerum (*Matth.* 24,6. 13. 14; *Luc.* 21,9 etc.), qua « status huius mundi commutabitur » (*Dion.*), ut « novum coelum novaque terra » (*Apoc.* 21,1) exoriatur. Nec dissentit *S. Hil.*, si paulinum hunc textum contra Arianos uberius explicans finem dicit « indemutandae constitutionis mansuram perfectionem, quae et beatitudini reservata et impietati sit praeparata » (de Trin. XI. 28); finito enim hoc saeculo militans regnum Christi terminatur, inchoaturque perfectum illud et immutabile regnum, in quo Deus omnia est in omnibus (*v.* 28).

Saeculi vero finem destructio omnium adversariorum Christi prae-

1. *Thom.* quoque « finem resurrectionis » intelligit, finem autem id quod *scopum* esse putat : « deinde erit finis resurrectionis, et finis huiusmodi non est, ut vivant vita corporis et voluptatibus, sed ut inhaereant Deo per immediatam visionem et beatam fruitionem; et hoc est tradere regnum Deo et Patri ». Quae explicatio, ut patet, nec verbis convenit nec cum contextu consonat.

cedet. Parum recte *S. Aug.* (de Trin. I. 8), quem antiquiores nonnulli (*Thom.* etc.) sequuntur, nominibus *principatus, potestatis, virtutis* ordines intelligit angelicos, quorum ministerium, quippe quod finito hoc saeculo non amplius sit necessarium, aboleatur; nec rectius *Cai.* aliique antiquiores (*Gl ord. Lyr.* etc.) et acath. pauci (*Calv. Beng. Olsh.* etc.) « magistratus angelicos et humanos, qui nunc sint ad humani generis regimen » quum bonos tum malos intelligunt; de adversariis enim regni Christi, inter quos ultima inimica mors destruetur, solis agi, totus contextus clare docet. Itaque cum *Chrys.* et reliquis graecis, cum *S. Hil.* (de Trin. XI. 32), *A^tro^*, *Pel.* modernisque interpretibus tantum non omnibus daemones maxime intelligamus oportet, qui angelicorum ordinum, ad quos olim pertinuerant, nomina retinent (cfr *Eph.* 6,12; *Rom.* 8,38). Iisdem tamen nominibus simul innui arbitramur peccatum, quod in hominem dominatur (*v.* 56; cfr *Rom.* 6,12 etc.), mortemque, cuius stimulus est peccatum (*v.* 26. 56); immo iisdem homines quoque illi comprehendi possunt, qui velut daemonum instrumenta Ecclesiam Christi impugnant. Qui adversarii omnes evacuabuntur, quando « ius potestatis eorum auferetur et per potestatis evacuationem eorum delebitur dominatus » (*S. Hil.* l. c.).

Omnibus itaque adversariis potestatibus devictis et evacuatis finis huius saeculi erit, et Christus regnum tradet Deo et Patri, τῷ θεῷ καὶ Πατρί, i. e. Deo, qui idem est Pater Christi (cfr *Rom.* 15, 6; 2 *Cor.* 1,3 etc.). Sed quodnam regnum Christus Patri tradet et quomodo illud tradet? Duo regna Christi multi interpretes (cfr *Theoph. Oecum. Iustin.* etc.) haud inepte cum *Chrys.* distinguunt (cfr etiam *S. Aug.* Qu. 69,4 inter Quaest. 83) : creationis enim ratione Christus, Deus homo, in omnes creaturas, in angelos et in daemones, in iustos et in reprobos, imperium exercet; redemtionis ratione in omnes iustos et electos, qui sponte se ei subiecerunt, dominatur; de altero solo regno Paulum loqui, est manifestum. Etenim tamquam semen mulieris, quod serpentis caput esset contriturum, et tamquam rex, qui a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos terrae esset regnaturus, Christus hunc mundum, quem post protoparentum peccatum satanas velut regnum suum occuparat, ingressus morte sua cruenta pro omnium hominum peccatis satisfaciens « principem huius terrae » devicit mortemque conculcavit e sepulcro velut dormientium primitiae gloriose resurgens. Gratias quoque abundantissimas in cruce meruit, quibus adiuti et confortati homines bellum contra satanam eiusque socios gererent eosque superarent; itaque eandem victoriam, quam ipse olim in se retulit, nunc in suis membris, quae gratiis oblatis utuntur, reportat et reportabit, donec omnes electi in regnum sint ingressi.

Quando autem in suis membris quoque omnem principatum et potestatem et virtutem destruxerit eisque ad gloriosam vitam resuscitatis mortem, ultimam inimicam, devicerit, regnum suum iam pacatum cum subiectione et gratiarum actione Patri offeret.

Sicut belli dux re feliciter gesta hostibusque subiectis bellum regi suo tradit profitens opus sibi demandatum ad felicem exitum esse perductum (cfr *Theoph.*), sic Christus destructis adversariis omnes suos ad Patrem quodammodo perducet dicens : « En omnia subiecta sunt (*v.* 27); ego te clarificavi super terram; opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam illud; et nunc clarifica me, tu Pater apud temet ipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo : tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi (*Ioan.* 17,4 sqq. 24) ». Tunc regnum Christi, quatenus est militans, finem habebit; potestatem, qua ad regnum suum fundandum et augendum, suos adiuvans et corroborans, adversarios impugnans et destruens, usus est, Christus non amplius exercebit; at in sua unitate cum Patre et S. Spiritu caput erit Ecclesiae glorificatae; et tunc Deus erit omnia in omnibus.

Contra Arianos, qui paulinis verbis inferioritatem Filii demonstrare conabantur, uno ore docent Patres, Christum regnum Patri non ita esse traditurum, ut ipse illud amittat : « quod si quis stultae impietatis furore contendet, inquit *S. Hil.* (de Trin. XI. 29), fateatur necesse est, Patrem, quum tradidit omnia Filio (*Luc.* 10,22), amisisse tradendo, si tradidisse traditis egere significet »; atque *S. Aug.* (de Trin. I. 8) : « nec sic arbitremur Christum traditurum regnum Deo et Patri, ut adimat sibi; quum enim dicitur : ***tradiderit regnum Deo et Patri*** non separatur ipse, quia simul cum Patre unus Deus est »; similiter *Chrys. Cyr. Theod.* aliique Patres et interpretes graeci et latini.

At in regni traditione ipsa explicanda satis magna est sententiarum varietas. Iuxta *Aug.* (l. c.), quocum *S. Hil.* (l. c. 39), *Herv. Thom*[1]. aliique haud pauci fere consentiunt, « ita dictum est : quum tradiderit regnum Deo et Patri, ac si diceretur : quum perduxerit credentes ad ***contemplationem*** Dei et Patris ». « Christus regnum tradit » iuxta *Chrys.* idem est quod « regnum recte constituit » (παραδίδωσιν τοῦτ' ἐστὶν κατορθοῖ) vel iuxta *Theoph.* « ad perfectionem adducit » (τελειοῖ), vel iuxta *Oecum.* « a tyrannide et omni seditione purum reddit ». Iuxta *Cyr.* (c. Iulian. IV. in fin.) regnum tradit Patri « illud velut tyranno ereptum adimens et ad Patrem afferens »; iuxta *Theod.* « tyrannum diabolum subiiciens et efficiens ut omnes Patri se submittant universorumque Deum agnoscant ». A qua explicatione haud longe discedit

A^ter : « traditio haec regni est, ut, quum omnia fuerint Filio subiecta, tunc Filius ostendat illis, se non esse, ex quo sunt omnia, sed per quem sunt omnia; et hoc erit tradere regnum Deo et Patri, ostendere ipsum esse, ex quo omnis paternitas est in coelo et in terra ». Ad eandem quoque cum *Gl ord.* et *Thom*[2]. (« quum tradiderit regnum Deo et Patri, i. e. quum ostendet, Deum Patrem regnare »), haud pauci ex iunioribus prope accedunt, inter quos praecipui sunt *Cai.* (« Christum tradere regnum Deo et Patri est Christum ex vi sui meriti perficere tunc membra regni sui in ea dispositione, qua et sit et appareat in omnibus, Deum regnare in illis ») et *Est.* (« tradet regnum Deo et Patri, i. e. gloriosum regnum suum Deo, Patri suo, offeret profitens, universam regni sui gloriam illi auctori se acceptam referre; eamque professionem suam omnibus tam angeli quam hominibus, nec electis modo, verum etiam reprobis faciet manifestam, ut omnes agnoscant, potentiam et gloriam esse soliusDei ad eumque, ut principium et in eum ut finem omnia esse conferenda »).

Quae explicationes et aliae similes, etsi a vero non aberrant, completae non sunt; timuisse enim videntur antiquiores interpretes, ne cum Arianis regno Christi, quod aeternum fore praedictum est (*Luc.* 1,32 sq. etc.), finem assignarent; at vanus est hic timor, dummodo animadvertatur, diversum esse Christi regni, i. e. Ecclesiae, statum ante et post finem huius saeculi. Illa enim muneris regii Christo a Patre commissi pars, quae militantis Ecclesiae gubernationem hostiumque eius oppugnationem spectat, finito hoc saeculo vere erit terminata; illam igitur velut absolutam Patri tradet, profitens se perfecisse quaecumque ad hominum salutem peragenda sibi a Patre erant imperata (cfr *Iustin.*), eique simul Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo, i. e. electos omnes ad gloriosam vitam suscitatos, qui soli tunc Ecclesiam constituent, adducens, ut aeterna et immutabili beatitudine in visione Dei immediata fruantur. « Contemplabimur enim, inquit *S. Aug.* (de Trin. I. 10), Deum Patrem et Filium et Spiritum S., quum mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, tradiderit regnum Deo et Patri, ut iam non interpellet pro nobis mediator et sacerdos noster, Filius Dei et Filius hominis; sed et ipse, in quantum sacerdos est, assumta propter nos servi forma, subiectus fit ei, qui illi subiecit omnia; ut, in quantum Deus est, cum illo nos subiectos habeat, in quantum sacerdos, nobiscum illi subiectus sit ». Sicuti igitur Christus, quamvis sacerdos sit in aeternum secundum ordinem Melchisedech, « iam non interpellabit pro nobis tradito regno Deo Patri » (*S. Aug.* l. c. 11.), ita etiam finito hoc saeculo, quamvis regnum eius sit aeternum, non amplius eam regiae potestatis partem, quae in sola requirebatur militantis Ecclesiae gubernatione, exercebit.

Legitimam esse explicationem traditam, sequentia docent, quibus Apostolus ipse sententiam suam explanat et confirmat; ut enim futurae resurrectionis novum argumentum afferat, verbis Vet. Testamenti usus Christum regno, quod Patri tradere possit, potiri illudque usque ad ultimi hostis, i. e. mortis, destructionem retenturum esse demon-

strat. 25. *Oportet autem* (lege : *enim* cfr *VV. LL.*) *illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius; 26. novissima autem inimica destruetur mors; omnia enim subiecit sub pedibus eius.* Ad divinum consilium illo Psalmi loco, quem prae oculis habet (*Ps.* 109, 1), clarissime expressum provocat, ut Christo resuscitato regnum competere ostendat; namque ut illud consilium impleatur, *oportet* illum regnare. « *Regnare* autem, inquit *Oec.*, hoc in loco non vulgari sensu sumitur, sed idem est, quod regnantis opera exercere, puta inimicos debellare, suos adiuvare, illos quidem destruere, hos vero liberare ». Iuxta hanc explicationem, quam utpote contextui magis consentaneam cum haud paucis interpretibus (*S. Greg. Nyss.* Or. in illud « Quando sibi subiecerit omnia » M. 44,1325 *S. Greg. Naz.* Or. 30. al. 36,4, *Theoph. S. Aug.* Quaest. 69,8 inter Quaest. 83, *Prim. Gl ord. Herv. Thom* [2]. *Caiet. Iustin* [2]. *Nat. Pic. Mai. Bisp.* etc.; — acath. multi) amplectimur, Paulus de militantis Ecclesiae gubernatione loquitur, ac particula *donec* temporis momentum indicat, quo gubernatio illa terminabitur. Propter contextum quoque subiectum verbi *ponat* (θῇ *posuerit*) non est Deus Pater, sed Christus. Verum quidem est, in Psalmo *Patrem* dicere : « Sede a dextris meis, donec *ponam* inimicos tuos scabellum pedum tuorum »; attamen Apostolus Psalmi verba non tam allegat, quam libere, sensu tamen non mutato, adhibet, ut duo, quae praecedenti in versu asseruerat, probet (Christum esse traditurum regnum, idque postquam adversarios evacuaverit); ut eius igitur argumentum concludat, idem sit subiectum oportet et verbi *evacuaverit* (καταργήσῃ) et verbi *ponat* (θῇ); subiectum autem Psalmi Paulus legitime mutavit, quia ea, quae facit Pater, etiam Filius facit[1].

Quum *omnes* inimici ante regni traditionem sint subiiciendi, tempus traditionis accuratius definit ultimo, qui destruetur, hoste nominato, sc. morte, quam velut personam inducens reliquis adversariis Christi, daemonibus etc., assimilat et adnumerat. Ac profecto inimica regni Christi est mors, quia contra voluntatem Dei, qui hominem inexterminabilem creavit, per diaboli invidiam tamquam peccati ultrix genus humanum invasit (*Sap.* 2,23 sq.; *Rom.* 5,12 etc.), Christum ipsum occidit, eius membra omnia pro viribus infestat et destruere

1. Cfr *S. Hilar.* De Trin. II. 33. Quodsi obiicitur (cfr *Est.* etc.) dici debuisse : ἄχρις οὗ θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὑτοῦ (« donec ponat omnes inimicos sub pedibus *suis* »), si Christus esset subiectum verbi, respondemus *a.*) per se nihil obstare, quominus αὐτοῦ pro αὑτοῦ scribatur, quum aspirationis notae a iunioribus librariis sint additae, *b.*) sed id non esse necessarium, quia Paulus ex sua persona verba affert ideoque directo pronomine apte utitur. Ad latinam lectionem quod attinet, addere possumus, in latino Vulgatae sermone haud raro directum pronomen pro reflexivo adhiberi (cfr *Matth.* 16,21; *Marc.* 10, 32 etc.).

conatur. *Novissima* vero vel ultima inimica nominatur non tam, quia « post diaboli consilium et primi hominis inobedientiam » homines est aggressa (cfr *Chrys.*), quam quia praedam suam, i. e. corpora defunctorum, retinens etiam tunc singulis Christi membris nocere pergit, quando eis in alteram vitam translatis reliqui hostes nocere amplius non possunt, et quia non nisi post reliquos plane devincetur. In se ipso quidem Christus gloriosa sua resurrectione imperium mortis confregit; sed ut Christi regnum sit perfectum et absolutum, etiam in membris eius mors devincatur et evacuetur necesse est; nec peccatum enim nec peccati poena in eius regno ullam partem habent. Quapropter antequam regnum Patri tradere possit, requiritur, ut corpora membrorum suorum ad aeternam vitam suscitans morti ultimam praedam eripiat eique nocendi facultatem adimat [1]. Egregie igitur ex perfecto Christi regno, quod omnium hostium exinanitionem et destructionem postulat, Paulus ad mortuorum resurrectionem concludit; nisi enim vita, quam mors ultra non potest auferre, electis reddatur (aut detur), mors in membris Christi non destruitur.

Ne quis huius argumentationis vim universalitate negata regni Christi infringat, Apostolus Scripturae verbis (*Ps.* 8,7) allatis *omnia* Christo esse a Patre subiecta monet. Quam late illud *omnia* sit sumendum, alibi docet asserens : « in eo, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei » (*Hebr.* 2,8), illo uno utique, uti hoc in loco statim addet, excepto, qui ei omnia subiecit (*cfr v.* 27.). Vocabulo *omnia* igitur non ii soli, qui sponte se ei submittentes membra eius fiunt, sed ii quoque comprehenduntur, qui vi ab eo subiugari et evacuari debent, ac proin etiam mors; omnis enim potestas in coelo et in terra Christo resuscitato data est (*Matth.* 28,18). Rectissime quoque Apostolus verba illa pro argumento adhibuit; licet enim Psalmista in isto carmine sensu literali divinam bonitatem et magnitudinem celebret a pulchritudine terrae coelique, quae ipsos pueros ad Dei laudem excitet, ad destinationem hominis ascendens, quem Deus regem visibilis huius creationis constituit, eius tamen verba sensu eminentiore de Messia intelligantur oportet, qui ad breve quidem tempus, quum passioni et morti sese subiiceret, infra angelos minoratus est, sed hac exinanitione nomen sibi acquisivit, quod est supra omne nomen; ita-

1. Licet Paulus in toto hoc tractatu de iustorum resurrectione agat atque destructionem regni mortis quoque ea potissimum ratione asserat, qua mors corpora *electorum* velut praedam sibi propriam et subiectam retinet, verba ipsa tamen (*novissima inimica destruetur mors*) ita sunt comparata, ut legitimum *universalis* resurrectionis praebeant argumentum. Neque enim, si mors corpora reproborum retineret, eius regnum posset dici *destructum* et *evacuatum*, sed ex parte saltem maneret; *integra* ergo praeda ei eripietur nec ulla ei relinquetur, de qua quasi sibi subiecta et propria gloriari queat.

que gloria, qua homo propter suam similitudinem cum Deo coronatus est, in Christo summa est propter hypostaticam unionem, atque dominium, quod in homine non est nisi imperfectum et in solas creaturas inferiores exercetur, in Christo est perfectissimum et universalissimum. Ceterum attende, in verbis : *omnia enim subiecit sub pedibus eius* velut subiectum supplendum esse : « Deus et Pater », id quod non tantum ex Psalmi textu allegato sed etiam ex sequentibus elucet, in quibus subiiciens a Christo, cui omnia subiiciuntur, distinguitur. Attende quoque, verbis illis divinam voluntatem, ut omnia Christo subiiciantur, exprimi, ac proin praedictionem et promissionem contineri, quae tempore procedente paullatim ita impletur, ut non nisi in fine huius saeculi plenam suam impletionem inveniat : nam « nunc necdum videmus omnia subiecta ei » (*Hebr.* 2,8).

Patres et antiquiores interpretes plerique, ne regnum Christi finitum iri Arianis concederent, alteram versus 25. explicationem praetulerunt. *Regnandi* enim verbo consuetum sensum tribuentes, ut sit idem quod *regnum tenere*, monent « adverbium *donec* in sacris literis non semper determinare et praecidere tempus verbi praecedentis, ut nimirum tempus, quod sequitur, excludatur; sed frequenter indeterminatum relinquere tempus, maxime quando loquens intendit illud potissimum affirmare vel negare, de quo possit esse dubium... Sic igitur hoc loco *donec* inclusive capitur quoad tempus praecedens, non exclusive quoad tempus sequens. Affirmat enim Apostolus, Christum regnaturum, usque dum Pater omnes inimicos pedibus eius subiecerit; de quo dubitari poterat, ne forte propter hostium potentiam tandem deficeret in pugna regnumque amitteret. At vero quin devictis penitusque subiectis hostibus esset regnaturus, nulli dubium esse potuit » (*Est.;* cfr *Chrys. Theod.* etc., *S. Hil. A*[ter] etc., *Thom*[1]. *Lyr.* etc., *Iustin*[1]. *Lap.* etc., *M Ev. Dr.* etc.). Quam explicationem, si haec sententia sola absque suo contextu consideratur, aptam esse non negamus, siquidem particula *donec* (ἄχρις οὗ, ἕως) tempus sequens non semper excludi constat (cfr *Matth.* 1,25; *Ioan.* 21,22 sq.; 1 *Tim.* 4,13 etc.); sed contextui integraeque Apostoli argumentationi non est consentanea nec ad Arianorum obiectionem eludendam necessaria, quippe quae explicatione nostra clarius et efficacius refutetur.

Psalmistae verbis allatis Paulus expositionem brevem (27. 28) addit, ut quae Christi glorificati regnique traditi futura sit ad Patrem relatio innuat. 27. *Quum autem dicat* (εἴπῃ *dixerit*) : *Omnia subiecta sunt* (*ei*), *sine dubio* (δῆλον ὅτι) *praeter eum qui subiecit ei omnia.* Quam sententiam *S. Aug.* (Quaest. 69,2 inter Quaest. 83) clarius et accuratius in suo codice expressam legit : « Quum autem dixerit, quod omnia subiecta sunt, manifestum est, quia praeter eum, qui subiecit

illi omnia », omnia subiecta sunt; haud infrequens nimirum est ellipsis, qua post δῆλον ὅτι (manifestum est, quod) verbum ex praecedente membro suppleri debet (δῆλον ὅτι [πάντα ὑποτέτακται] ἐκτὸς τοῦ ὑποτάξαντος αὐτῷ κτλ). Verbi *dicat* (*dixerit*) subiectum Scripturam esse, non recte plerique censent, quia Scripturarum sententiae futuro exacto (ὅταν εἴπῃ i. q. quando dixerit) nullibi allegantur nec apte allegari queunt; sed Christus regnum tradens verbis : *omnia subiecta sunt* se opus sibi commissum terminasse profitetur; quodsi latina lectio (omnia subiecta sunt *ei*) retinenda esset, verbi *dixerit* subiectum esset Pater, qui regnum a Filio traditum accipiens munus Christo impositum ad felicem exitum esse perductum testatur. De tempore enim futuro, quo regnum tradetur, Paulus loquitur regnique, ut ita dicam, ambitum describit. Iuxta Graecos quidem hanc explicationem, quam ipse manifestam esse asserit (sc. Patrem Filio non fore subiectum), addidit ad errorem illorum neophytorum praecavendum, qui deos parricidas patribusque suis regna eripientes antea adoraverant (*Theoph. Theod.* etc.); sed eum haec adiecisse ad regni universalitatem declarandam rectius dicemus; ubi enim solus Pater subiectus esse negatur, reliqua omnia Filio subiecta esse affirmantur (cfr *Herv. Thom. Cai.* etc.).

Usque ad illud tempus ergo, quo omnia erunt subiecta, oportet Christum regnare et tamquam militantis Ecclesiae regem hostes debellare, suos tueri, adiuvare, ad salutem adducere; 28. *quum autem subiecta fuerint illi omnia,* atque in resurrectione electi quoque corpora sua, quae ultima inimica, mors, velut praedam retinuit, recuperaverint, *tunc et ipse Filius,* Verbum sc. in humana natura subsistens, regnum ab hostium incursibus liberatum Patri tradens *subiectus erit ei, qui subiecit sibi* (sc. Christo) *omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Quando enim Ecclesia militans omnibus electis iam ad salutem adductis omnibusque eius hostibus evacuatis finem habuerit, unicum erit unius Dei regnum, in quo Deus trinus et unus ab omnibus ceu supremus dominus agnitus electos perfecte beabit suisque donis ditabit, et « omnis lingua confitebitur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris » (*Phil.* 2,11). « Dicit autem, inquit *Iustin.,* Filium Deo subiectum iri, quum omnia ei fuerint subiecta, propterea quod paullo ante dixerat, illum regnaturum, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis, insinuans regnum illud, quod Chrysostomus vocat regnum coniunctionis (sc. Ecclesiam militantem), finem habiturum; neque enim tunc Christus quemquam amplius ad fidem aut gratiam adducet. Posito igitur regno tunc Filius tamquam sanctorum omnium caput Patri dicitur subiici, non quod alia ratione subdendus

sit, quam nunc Patri subiiciatur; sed quod regio veluti munere deposito, illo quidem nomine privatus aget ». Quibus verbis id unum addamus oportet, procul quidem dubio etiam nunc Filium, i. e. Verbum incarnatum, secundum humanam naturam subiectum esse Patri, sed eum tunc, quando regnum Patri tradet, novo quasi modo subiectum iri; nunc enim tamquam rex *militantis* Ecclesiae est subiectus, tunc autem tamquam caput et rex Ecclesiae *glorificatae* et iam ad perfectionem adductae erit subiectus Patri de perfecto regno continuas gratias agens (cfr *Caiet.*).

Quo sensu Paulus dicat Filium tunc Patri subiectum iri, in controversia est, atque *Pel.* iam duabus vel tribus explicationibus addit : « Multi etiam alia et diversa dicunt, quae inserere et enumerare prolixum est ». Antiquorum haereticorum praetermissis sententiis, quas Patres merito respuerunt (« Filium in Patrem refundi » cfr *S. Ambr.* de fide V. 13 al. 6, aut « humanam Christi naturam in deitatis substantiam mutari et converti » cfr *S. Aug.* de Trin. I. 8 etc.) praecipuas tantum Patrum et cathol. interpretum explicationes adnotamus.

Haud pauci Patres nomine Filii hic corpus mysticum vel etiam singula membra Christi, quae Patri subiiciantur, designari putant (cfr *Orig.* in Ps. 36. hom. 2,1; *S. Greg. Naz.* or. 30. al. 36,5; *S. Gregor. Nyss.* Or. in illud « Quando sibi subiecerit omnia » M. 44,1317; *S. Cyr. Alex.* Thesaur. Ass. 29., *Theodor.* etc.; *S. Hil.* de Trin. XI. 36 sqq., *S. Ambr.* De fide V. 14 al. 7, *S. Hier.* ad Amand. ep 55,5, *Herv.* etc.); quae explicatio, quamvis tanta auctoritate commendetur atque etiam Augustino probabilis visa sit (Qu. 69,10 inter Qu. 83), a iunioribus tamen paucissimis est recepta (*Nat. Pic. Ramb.* etc.), a plerisque vero recte praetermissa; nam nusquam corpus Christi mysticum et multo minus singula eius membra vocantur *Filius*, nec corpori Christi mystico omnia subiicientur, neque cum emphasi verba « *et ipse Filius* », si corpus mysticum designaretur, aliis omnibus, quae subiecta sunt, posset addi, quia illis omnibus corpus mysticum iam comprehenditur.

Iuxta *Chrys.*, quocum consentiunt *Theoph. Dam. Oec. A*ter etc., nomine Filii Christus secundum divinam suam naturam intelligitur; ne vero Filium Patre minorem faciant, in subiectione, quae asseritur, nihil vident nisi miram Patris et Filii consensionem, qua Filius se Deum quidem esse ostendet, sed Deum de Deo; hyperbolice scilicet locutum esse Paulum. At haec quoque explicatio non multis probatur, quia in toto contextu Apostolus de vera subiectione loquitur neque in solo ultimo membro verbum subiiciendi hyperbolice aut metaphorice adhibere potuit.

Cum *S. Aug.* igitur (de Trin. I. 8. 10; Qu. 69,9 inter Qu. 83 etc.) plerique Latini nomine Filii Verbum in humana natura subsistens recte intelligunt, siquidem de Verbo secundum quod homo factus est totus contextus agit; « nam secundum id quod Verbum Dei est, tam sine fine quam sine initio et sine intermissione est regnum eius; secundum id autem quod Verbum

caro factum est, coepit regnare » etc. (*S. Aug.* l. c.). Minus recte tamen haud pauci proprium verbi subiiciendi sensum retinentes subiectionem ita explicant ac si idem esset, quod manifestatio subiectionis : « subiectus est nunc etiam Christus secundum quod homo Patri, sed hoc tunc manifestius erit » (*Thom.*, cfr *Haym. Dion. Est. Dr.* etc.; — Flatt etc.).

In ultimis verbis (*ut sit Deus omnia in omnibus*) aliqui moderni acath. (*Olsh. de W.* etc.) praeeunte *Origene* (De princ. III. 5,7; 6,1. 2) doctrinam de omnium rerum restitutione atque futura daemonum quoque salute invenire volunt (*cfr ad v.* 22). At illud *in omnibus* non est neutrum, ut omnes res creatas complectatur, sed masculinum, ut de solis creaturis ratione praeditis intelligi possit; toto deinde contextu ad eos solos et omnes restringitur, qui sunt Christi; eadem ratione Paulus *omnes* in Christo vivificatum iri dixit (*v.* 22). Ita tantum non omnes interpretes, antiqui et moderni, cath. et acath., locutionem hanc explicant; pauci alii, qui omnes creaturas ratione praeditas, quum bonas tum malas, comprehendi censent, gloriam Dei in beatorum felicitate et in reproborum exitio conspicuam manifestamque esse monent; quod quamvis sit verum, hic ab Apostolo non docetur.

3. *Confirmatio doctrinae de futura resurrectione* (15,29-34).

15,29. ***Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid et baptizantur pro illis? 30. Ut quid et nos periclitamur omni hora? 31. Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. 32. Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. 33. Nolite seduci : corrumpunt mores bonos colloquia mala. 34. Evigilate iusti, et nolite peccare, ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.***

15,29. Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν; 30. τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν; 31. καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἀδελφοί, ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν. 32. εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, τί μοι τὸ ὄφελος; εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; Φάγωμεν καὶ πίωμεν· αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν. 33. μὴ πλανᾶσθε· φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. 34. ἐκνήψατε δικαίως, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε· ἀγνωσίαν γὰρ Θεοῦ τινὲς ἔχουσιν, πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λαλῶ[1].

1. *VV. LL.* — 29. Cum *Vulg.* etiam nonnullae editiones graecae versum ita interpungunt, ut conditionem (εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται) cum priore membro coniungant; aptius tamen cum ultimo connectitur, quia prioris conditio coniunctione ἐπεί (*alioquin* cfr 7,14; 14,16 etc.) iam est indicata. — τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν (*ut quid et baptizantur pro illis*) est lectio antiquiorum codd. et verss.; *text. receptus* tamen cum L et plerisque minusc. habet : ὑπὲρ τῶν νεκρῶν (pro mortuis), quae est apta glossa. — 31. νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν (*per vestram gloriam*) quoque est communis omnium fere antiquiorum codd. et verss. lectio, pro qua parum apte *text. receptus* : νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν (per *nostram* gloriam) cum A et permultis minusc. — Vocativum ἀδελφοί (*fratres*) textus recept. omittit cum D E F G L et plerisque minusc. contra fidem antiquiorum codd. et omnium verss. — 32. Graecae editiones et pleraeque verss. alteram conditionem (εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται) aptius cum ultimo membro coniungunt; in priore enim membro verbis κατ' ἄνθρωπον eadem conditio iam est indicata. — 34.

Duobus argumentis Apostolus doctrinam de resurrectione confirmat, quorum prius ex baptismo pro mortuis (*v.* 29), alterum ex Apostolorum laboribus et tribulationibus desumit (30-32); totam demum suam argumentationem brevi exhortatione terminat (33. 34).

Ad ea, quae de futura iustorum vivificatione mortisque destructione docuerat (21-28) respiciens eaque confirmaturus Apostolus interrogat, quid, si haec vera non essent, de baptismo pro mortuis iudicari deberet, atque repetita interrogatione insinuat, eos qui pro mortuis baptizantur ipsa sua agendi ratione fidem futurae resurrectionis profiteri. 29. *Alioquin* (si res ita sese non habet) *quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt, ut quid et baptizantur pro illis?* Sententia est generalis; futurum enim (*facient* ποιήσουσιν) omnes, qui ita agunt, complectitur, atque sensus duarum interrogationum est, nullam istius baptismi rationem praeter fidem resurrectionis posse excogitari. De reliquo quid significet expressio *baptizari pro mortuis*, notum quidem erat Corinthiis, quibus epistola destinabatur, sed nobis atque ipsis Patribus ignotum, ut magna sit in ea explicanda sententiarum varietas. Si propriam verborum significationem retinemus, fatendum est, apostolico tempore aliquos fuisse, qui pro consanguineis aut amicis sine baptismo defunctis baptizabantur, ut illos fructuum baptismi participes gloriosaeque resurrectionis capaces redderent; Apostolum ergo ex eorum usu, quamvis erroneae sententiae de vicarii baptismatis efficacia inniteretur, argumentum ad hominem desumsisse. Iam vero hunc esse difficilis nostri loci sensum, haud obscure innuit *Tert.* (c. Marc. V. 10; de res. carn. 28) et clare docet *A*[ter] : « In tantum stabilem et ratam vult ostendere resurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem mors praevenisset; timentes ne aut male aut non resurgeret, qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur... Exemplo hoc non factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectionem ostendit » ; eandem explicationem velut certam aut probabiliorem tradunt antiquiores multi (*Haym. Gl ord.* et *interl. Herv. Thom.* etc., *Pic.* etc) et moderni plerique (*Mai. Bisp. LR. Dr.* etc.; — *Grot. Billr. Mey. Heinr. Kl Br. Schn.* etc.). Contra quam interpretationem multi quidem cum *Chrys.* obiiciunt, ex usu nonnullorum graviter errantium Paulum argumentum capere non potuisse; atque mirum profecto est, quod errorem saltem, cui usus ille innitebatur, nec carpat nec corri-

ἐκνήψατε δικαίως (evigilato *iuste*) est communis lectio graec. codd. et verss., quam multi quoque exhibent optimi codd. latini (*Fuld. Amiat.* etc.); minus apte Vulg. Clem. : *evigilate iusti* (*cfr* Comment.).

gat; at nescio annon explicatio ita possit corrigi, ut obiectio locum non amplius habeat. Nam foedus quidem est error, baptismum vicarium mortuo prodesse, neque nisi apud haereticos antiquiores, Cerinthianos, Marcionitas, qui ipsa quoque cadavera eorum, qui sine baptismo erant defuncti, interdum baptizabant, cum invenimus (cfr *S. Epiph.* haer. 28,6; *S. Chrys.* i. h. l. etc.); attamen nonne coniicere licet, inter neophytos apostolico tempore usum invaluisse, ut pro catechumeno, quem mors ante baptismi receptionem abripuerat, amicus in se baptismi ceremonias ipsamque etiam ablutionem eum solum in finem suppleret, ut hac symbolica actione, cum in fide Christi defunctum ac proin fidelium suffragiis dignum esse, coram Ecclesia testaretur? Eiusmodi ritus, quum nihil superstitiosi habere videatur, ab Apostolis tolerari potuit, postea tamen, quando ab haereticis genuino baptismo aequari et pro efficaci salutis medio haberi coeptus est, ab Ecclesia iure est sublatus[1].

A propria vocabulorum significatione reliquae explicationes magis minusve recedunt. Alii enim verbo baptizandi diversum sensum attribuunt. Inter quos *S. Ephraem* Paulum ex ritibus Iudaeorum (simili modo, quo 9,13) argumentari censet; apud eos enim, si quis legali immunditie inquinatus decesserit, alium quempiam pro eo *baptizatum* i. e. lotum esse, ut tali lotione mortuus mundaretur. At nec eiusmodi ritum a rabbinis esse invectum, ullo testimonio probatur, nec verisimile est, Apostolum ex superstitioso rabbinorum ritu argumentum desumsisse. Alii ad *Marc.* 10,38 provocantes verbo baptizandi sensum affligendi tribuunt, « ut pro mortuis baptizari idem sit quod ad eos sublevandos aliquid laboris vel molestiae suscipere » (*Dion. Salm. Iust. Lap*[1]. *M Ev*[2]. etc.); at cur tam raram et difficilem metaphoram, quae Corinthiis vix nota esse potuit, Paulus hoc in loco adhibuerit, non apparet.

Baptizandi verbum de christiano baptismate recte interpretantes alii sensum expressionis *pro mortuis* pervertunt. *Luth.* cum paucis acath. vertere voluerunt: *super mortuis baptizari*, putantes, antiquos Christianos super martyrum aut aliorum sanctorum sepulcris sacramentum baptismatis catechumenis impertiisse; at nec praepositio ὑπέρ c. genit. ullibi in Novo Test. sensum localem admittit, nec umquam sepulcra martyrum etc. fuerunt baptisteria. Alii contra totum contextum non de personis mortuis, sed de operibus mortuis i. e. de peccatis sermonem esse voluerunt, ut sensus sit: *pro abluendis peccatis baptizari* (*Sed. Lomb. Lyr.* etc.). Alii, maxime acath. (*Olear. Fabr. Lightf. God.* etc.) mortuorum nomine solum Christum designari perverse arbitrantur, atque aut aquae baptisma intelligentes verba explicant, ac si βαπτίζεσθαι ὑπὲρ Χριστοῦ idem esset, quod βαπτίζεσθαι εἰς Χριστόν, aut sanguinis baptisma intelligentes etiam verbo βαπτίζεσθαι metaphoricum sensum tribuunt:

1. A vero tamen aberrant, qui cum *Schmoeger* (Das Leben Iesu Christi nach den Gesichten der gotts. Anna Cath. Regensb. 1860. III. Einl. p. xv.) et *Rambaud* (Les épitres de S. Paul. Paris 1888 I. p. 454 sq.) eiusmodi ritu primis fidei temporibus ex speciali Domini institutione integros effectus sacramentales baptismatis (« die *vollen* Wirkungen des Taufsakramentes » « *les* effets du sacrement de baptême ») mortuis simili quodam modo attributos esse censent, quo animis in purgatorio retentis indulgentiae applicari possunt. Haec enim opinio in Ecclesia prorsus est inaudita.

propter Christum mortem oppetere. Alii expressionem *pro mortuis* explicant : *pro mortuorum statu;* de clinicorum enim baptismo Apostolum loqui, i. e. de iis, qui iamiam morituri baptisma expetebant, ut sibi mortuis prodesset, atque ita profitebantur, se baptizari propter statum futurum post hanc vitam (*S. Epiph. Est. Nat*[1]. *M Ev*[2]. etc.; — *Calv. Goeb.* etc.); at quomodo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν significare potest : propter statum mortuorum?

Monens catechumenos ante baptismi receptionem recitato fidei symbolo fidem suam in mortuorum resurrectionem profiteri, *Chrys.* verba ita explicat, ut *pro mortuis baptizari* sit idem quod *pro fide et spe resurrectionis mortuorum baptizari* (cfr *Oec. Theoph. M Ev*[1]. etc.); quomodo vero hic sensus ex Apostoli verbis eruatur, equidem non perspicio. Neque mihi probatur similis nonnullorum modernorum explicatio, quibus *baptizari pro mortuis* est idem quod *baptizari habita mortuorum ratione, quibuscum in unum corpus baptizemur* (12,13) *eandemque resurrectionis spem habeamus* (cfr *Tüb. Quartalschr.* 1875 p. 685); neque enim tantum longissime quaesitus est hic sensus et per se parum aptus, sed etiam tam miro modo enuntiatus, ut fatendum esset, Paulum intelligi noluisse, si eum hac locutione expressisset illa omittens, quae praecipua sunt, nimirum eorum tantum mortuorum rationem haberi, quibus gloriosae resurrectionis spes remanet et qui ad mysticum corpus Christi pertinent; cur non dixit saltem : *pro dormientibus* seu *dormientium ratione habita baptizari?* Neque ex Pauli verbis eruitur sententia *Theod.*, quocum *Cai.* aliique consentientes allusionem ad symbolicam baptismi significationem deprehendunt : « Qui baptizatur, Domino consepelitur, ut quum mortis fuerit particeps, etiam sit particeps resurrectionis. Si autem corpus est mortuum et non resurgit, cur etiam baptizatur? » (*Theod.*).

Sed haec exempla sufficiunt; aliae, quae propositae sunt, explicationes hisce minus sunt probabiles. Quia inter omnes sententias, quae in his Pauli verbis metaphoram quandam admittunt, nulla est, quae gravibus difficultatibus non prematur, literali apostolicorum verborum explicationi inhaerere atque baptismum et mortuos sensu proprio intelligere malumus, quamvis hanc quoque interpretationem omni difficultate non carere fateamur.

Argumentum alterum, quo doctrinam de futura resurrectione confirmat, Apostolus ex vitae periculis laboribusque a se aliisque Apostolis ad propagandum Evangelium exantlatis desumit; sine ulla utilitate enim se illa suscepisse monet, si mortui non resurgant. Cum quadam hyperbola igitur interrogat : 30. *Ut quid et nos* (ego et reliqui Apostoli) *periclitamur omni hora?* Si mortui non resurgunt, cavere sibi quisque debet, ne vitae huius amittendae periculo sese exponat; Apostoli igitur, qui non uni alterive tantum periculo sese exponunt, sed continuis in mortis periculis versantur, ipsa sua agendi ratione fidem in futuram resurrectionem profitentur. Iam ex Apostolis omnibus se unum, quia Corinthiis magis erat notus, in exemplum adducit : 31. *Quotidie morior* i. e. « morti obnoxius dego eosque labores et molestias continuo perfero, quae ipsam prope mortem allaturae videntur » (*Iust.*); quae, ne veritatis fidem excedere putentur, iuramento confirmat : *per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu*

Domino nostro. Contra *Pel.*[1], qui omne iuramentum prohibitum esse putavit, *S. Aug.* (de serm. in monte 1,51) recte iam ad graecum huius versus textum provocavit : « Quod ne quis dictum existimet, tamquam si diceretur : vestra gloria me facit quotidie mori,... graeca exemplaria diiudicant, in quibus scriptum est νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, quod non nisi a iurante dicitur »[2]. Quum *gloria* graece sit καύχησις, i. e. gloriatio, sententiam apte exponimus : « Ita de vobis in Christo Iesu glorier, ut quotidie morior »; male enim *Iustin.* cum nonnullis pronomen ὑμετέραν sensu subiectivo sumit, ac si per Corinthios gloriantes Paulus iurasset. In Christo Iesu autem sese gloriationem habere seu gloriari dicit, quia Domino soli debetur Corinthiorum conversio et progressus, de quibus gloriatur.

Iam unum ex mortis periculis, quibus haud diu ante hanc epistolam scriptam expositus fuit, confirmationis gratia addit : 32. *Si secundum hominem ad bestias pugnavi* (ἐθηριομάχησα, cum bestiis pugnavi) *Ephesi, quid mihi prodest?* Utrum proprio an metaphorico sensu verbum θηριομαχεῖν sumendum sit, dissentiunt interpretes. Inter antiquos *Theod* et *A^ler^*, quibuscum iuniores nonnulli consentiunt (*Cai. Lap.* etc., *Ramb.* etc.; — *Flatt, Billr.* etc.) Paulum Ephesi ad bestias damnatum eisque in amphitheatro obiectum sed miraculo servatum esse putant. At nec Lucas, etsi res Pauli ephesias uberius narrat (*Act.* 19,1-20,1), nec Paulus ipse, qui varia sua mortis pericula aerumnasque suas accurate enumerat (2 *Cor.* 11,23 sqq.), huius pugnae mentionem faciunt; nec credi potest, civem romanum eo iam tempore ad bestias damnari potuisse. Cum *Chrys.* igitur et *Tert.* (de resurr. carn. 48) antiquiores plerique (*Pel. Gl ord. Haym. Herv. Thom.* etc.) et recentiores tantum non omnes locutionem metaphorice de certamine aliquo intelligunt, quod contra adversarios acerbissimos subiit; simili enim metaphora alibi quoque utitur Paulus (2 *Tim.* 4,17), atque iam *S. Ign. M.* eandem metaphoram adhibens nostrum locum metaphorice intellexisse videtur[3]. Quodnam vero certamen hoc fuerit et qui eius

1. Ne Paulum iuramento usum esse concederet, *Pel.* ad hunc versum nihil praeter haec satis mira adnotavit : « *Per* non semper significatio iuramenti est; nam si dico : per puerum misi, non statim per puerum iurasse recte putabor ».

2. Cum *A^tro^* etiam antiquiores Latini haud pauci (cfr *Herv. Lomb. Thom.* etc.) legerunt et explicarunt : *pro vestra gloria* vel *propter vestram gloriam*, quam lectionem etiam *Amiat.* etc. exhibent. Mirum quod *Chrys.* et *Theoph.* quoque, quamvis genuinam haberent lectionem, verba interpretati sunt, ac si scriptum esset : διὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν.

3. *S. Ign.* ad Rom. 5 : « A Syria Romam usque cum bestiis pugno (θηριομαχῶ), terra marique, per diem et per noctem, alligatus ad decem leopardos, quae est militum turma, qui etiam beneficio accepto peiores fiunt. Horum autem iniuriis magis erudior; sed non propter hoc iustificatus sum ». Similem metaphoram adhibet ad Smyrn. 4 : « Praemunio vos contra feras humana specie indutas » etc. (ἀπὸ τῶν θηρίων τῶν ἀνθρωπομόρφων).

adversarii, ignoramus; seditionem enim ab argentario Demetrio excitatam (*Act.* 19,23 sqq.) cum *Pel. Theoph.* aliisque intelligere non licet utpote epistola nostra recentiorem. Ceterum Lucae narratio (cfr *Act.* 19,9) Apostolo Ephesi adversarios non defuisse docet, quos « feris forma humana indutis « comparare potuit. Quare eius verba de daemonibus, qui ne princeps Asiae civitas sibi eriperetur Paulum opprimere conati sint, cum *S. Hier.* (in ep. ad Eph. l. 3. Praef.) explicare non cogimur; tribulatio vero in altera epistola commemorata (2 *Cor.* 1,8), quam S. Hier. aliique huc trahunt, Demetrii seditio fuisse rectius censetur. Porro *secundum hominem* pugnat, qui « humano sensu ductus videns, hoc in rerum naturam non cadere, ut caro iam soluta reformetur ad vitam, minime credit futuram resurrectionem » (*A*[ler]) vel potius qui nihil praeter caduca huius terrae bona in suis actionibus prae oculis habet; *homo* enim, uti saepe (9,8; *Rom.* 3,5; *Gal.* 3,15 *cfr ad* 3,3) intelligitur naturalis, qui supranaturalia aut ignorat aut ad ea non attendit. His igitur verbis (secundum hominem) conditio indicatur, qua posita certamen illud fructu careat necesse est : « si ob humanas tantum rationes nec in spe certa resurrectionis futurae periculum istud subii, nihil concertatio mea profuit ». Minus apte alii cum *Est.* incisum illud parenthesi includentes additoque verbo *dico* supplentes explicant : « ut hominum more loquar, qui pericula, e quibus gloriose evaserunt, libenter commemorant »; id enim si dicere voluisset, Paulus verbum λέγω non omisisset (cfr *Rom.* 3,5; *Gal.* 3,15). Multo minus apte alii explicant verba, ac si Paulus dixisset, se *pro viribus* Ephesi pugnasse (*Occum. Haym.* etc. — *Rück* etc.); sensum autem plane pervertere *Gl ord.* videtur (cfr etiam *Lomb. Thom.* etc.) exponens : « secundum hominem, i. e. agens rationabiliter, quia hominis est credere, non mori hominem ut bestiam, pugnavi i. e. disputavi ».

Itaque si negatur resurrectio, Apostolorum agendi ratio, qua continuis vitae discriminibus sese obiiciebant, explicari non potest; oppositam potius viam eligere debuerunt, ut quadam saltem in hoc mundo fruerentur felicitate : *Si mortui non resurgunt, « Manducemus et bibamus, cras enim moriemur »*. Conditionem (*si mortui non resurgunt*) Vulgata praecedenti sententiae minus recte adiungit, quippe quae eandem verbis *secundum hominem* iam contineat; sententia conditionata verbis Iudaeorum exprimitur apud *Is.* 22,13 Deum blasphemantium et irridentium. Per prophetam enim de instante calamitate moniti Israelitae verbis ac minis divinis se fidem adhibere fingunt quidem dicentes : cras moriemur; sed acerrima irrisione aliam prorsus, atque debuerunt, inde inferunt conclusionem : Manducemus et bibamus (cfr *Knabenbauer* Comm. in Is. I. p. 426). Quae vero lu-

daei irridentes ex Dei verbis colligunt, ea per accommodationem quandam Paulus ad legitimum corollarium negatae resurrectionis exprimendum adhibet, ut conclusionis absurditate et impietate absurditatem demonstret et impietatem hypotheseos, a qua dependet.

At legitimane est conclusio? Nonne tota argumentatio, qua Paulus ex baptismo pro mortuis recepto et ex aerumnis vitaeque periculis, quibus Apostoli sese exposuerunt, ad resurrectionem mortuorum concludit (29-32), sola animorum immortalitate admissa plane corruit? Id quidem minime; nam duae doctrinae de immortalitate animi et de resurrectione carnis tam arcte inter se cohaerent, ut iidem et olim fuerint et hodie sint utriusque adversarii. Ac profecto « si resurrectio corporis negetur, non facile, immo difficile est sustinere immortalitatem animae; constat enim, quod anima naturaliter unitur corpori, separatur autem ab eo contra suam naturam et per accidens; unde anima exuta a corpore, quamdiu est sine corpore, est imperfecta; impossibile autem est, quod illud, quod est naturale et per se, sit finitum et quasi nihil, et illud, quod est contra naturam et per accidens, sit infinitum; id quod locum haberet, si anima semper duraret sine corpore » (*Thom.* ad *v.* 19)[1]. Sicut igitur Dominus ad confutandos Sadducaeos de resurrectione interrogantes argumento usus est, quo proxime et directe sola animi immortalitas demonstratur (*Matth.* 22,31 sq.), ita Paulus quoque ad confutandos Corinthios resurrectionem negantes idem argumentationis genus sufficere iudicavit, quia eius adversarii non maiorem probabiliter in resurrectione corporum, quam in animorum immortalitate admittenda invenerunt difficultatem. At alia addi potest et debet consideratio. Quaestione, utrum alium ordinem Deus stabilire potuerit nec ne, praetermissa Apostolus non negat, Deum pro sua sapientia etiam statuere potuisse, ut animae iustorum solae beatitudine aeterna et perfecta fruerentur, sed ex praesente ordine, quem Deus sapientissimus stabilivit, argumentatur. Iam vero iuxta hunc ordinem, de quo ut dubitemus fontes revelationis non permittunt, Deus statuit, ut cum Christo resuscitato iusti resuscitati regnarent atque hac ratione perfectum illud regnum messianicum per prophetas promissum constitueretur. Quapropter iuxta praesentem ordinem, si negatur corporum resurrectio, etiam illa negatur beatitudo, quae sufficiens laborum apostolicorum praemium esse queat. Quin etiam negata resurrectione redemtio ipsa negetur oportet. Namque ex Dei promissione per redemtorem damnum integrum ab Adamo generi humano illatum reparari debuit; quod si igitur in resurrectione corpori non restitueretur donum immortalitatis, Iesus iam non esset redemtor promissus; vana esset fides nostra etc. (*cfr v.* 17 sqq.), nec quidquam restaret, nisi ut homo saltem in hac terra felicitatem aliquam sibi quaereret, quum in altera vita nullam sperare posset. Praesenti igitur ordini tota innititur Pauli argumentatio.

1. Cfr *S. Thom.* Summa c. gent. IV. 79, ubi idem argumentum explicat; non intelligo, quomodo aliqui in his verbis errores theologicos et philosophicos invenire velint.

Pessimo illo negatae resurrectionis consectario Apostolus commotus neophytos monet, ne a resurrectionis adversariis sese seduci sinant : 33. *Nolite seduci : corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Sententia haec, quae in proverbio videtur fuisse, desumta est ex Menandri comoedia, cui titulus Thais (*Menandri* fragm. ed. Meinecke p. 75 : φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί Trimeter iamb. acatal.), et per se non sola colloquia mala sed omnem pravorum hominum usum consuetudinemque prohibet; quoniam vero hic non tam, ut supra (5,6 sqq.), de pravo exemplo, quam de erroneis sententiis aliorum agitur, Vulgata arctiorem significationem vocabuli ὁμιλίαι recte praetulit. Sed sicut fideles cavere debent, ne corrumpantur, ita illi, qui se seduci iam siverunt, ad bonam frugem revertantur oportet : 34. *evigilate iusti* (lege : *iuste* δικαίως; iusti enim iam vigilant) *et nolite peccare; ignorantiam enim Dei quidam habent; ad reverentiam vobis loquor.* Graecum verbum, quo utitur Paulus (ἐκνήφειν), latino (*evigilare*) significantius est; proprie enim est idem quod ex ebrietate ad sanam mentem redire (νήφειν sobrium esse) [1]. Illos igitur alloquitur Paulus, qui colloquiis adversariorum resurrectionis quasi erant inebriati, eosque δικαίως, *iuste* i. e. vere, torporem ebrietatis istius spiritualis excutere iubet atque peccata cavere, in quae homo, si resurrectionem negat, facillime labitur. Eo magis autem evigilare debent, quia seducti sunt a *quibusdam ignorantiam* (ἀγνωσίαν) *Dei habentibus*, ab illis nimirum, qui quia virtutem Dei ignorant (cfr *Matth.* 22,29) dicunt, resurrectionem mortuorum non esse (*v.* 12). Eiusmodi vero homines inter neophytos inveniri, toti ecclesiae corinthiae dedecori est; quare Paulus magna cum severitate et gravitate de iis loquitur, ut omnibus ecclesiae membris pudorem incutiat : πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λαλῶ, quae verba Vulg. supra (6,5) clarius accuratiusque reddidit : *ad verecundiam vestram dico.*

II. — *De futurae resurrectionis modo* (15,35-58).

Certitudine resurrectionis iustorum demonstrata Apostolus ad eius modum exponendum transit. Quia enim fieri solet, ut ea negemus fieri, quae quomodo fiant ignoramus, sibi ipse hanc obiectionem proponi fingit : 35. *Sed dicet aliquis : Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient* (lege cum Amiat. antiquioribusque PP. : *veniunt*)?

[1]. Pro « evigilate » *S. Aug.* (ad pop. Hippon. ep. 78. al. 137,5; Enarr. in Ps. 128,4 etc.) legit : *Sobrii estote, iusti; S. Ambr.* (in Ps. 118. Serm. 10,43) : *Sobrii estote et iuste* (« non solum sobrios nos, sed etiam iuste sobrios esse debere docuit » etc.); *Prim.* : « *Evigilate, sobrii estote, iusti* »; *S. Thom.* cum multis : *Vigilate, iusti,* etc.

Quibus duabus interrogationibus una sola difficultas continetur; nam altera (*quali corpore veniunt*) priorem (*quomodo resurgunt*) explicat. Duas vero difficultates graecus textus, quem cum aliis versionibus etiam cod. Amiat. aliique codd. latini exprimunt multique antiqui Latini (*Pel. Herv. Thom.* etc.) sequuntur, complectere videtur: Ἀλλὰ ἐρεῖ τις· Πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί; ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται; *Amiat.*: quali *autem* corpore veniunt? Hinc cum aliis *Thom.* secundam difficultatem de corporis resuscitati qualitate priore in loco (36-50), priorem vero de resurrectionis modo altero in loco (*v.* 51 sqq.) tractari censet, atque utramque quaestionem separatim explicari, etiam moderni nonnulli arbitrantur (*Mai.* etc.; — *God.* etc.). At de una sola re Apostolus in reliqua tractatus parte loquitur, de qualitate sc. corporum resuscitatorum; quare etiam in graeco textu priorem interrogationem in altera accuratius definiri dicamus oportet. Uti enim olim iam Sadducaei, quia corpora resuscitata iisdem, quibus nostra mortalia corpora, necessitatibus desideriisque subiici putabant, resurrectionis possibilitatem negarunt (cfr *Matth.* 22,30), ita Pauli quoque adversarii similem difficultatem movisse videntur. Quamobrem primum quidem analogiis ex rerum natura desumtis corpus resuscitatum idem quidem esse ac corpus, quod sepultum est, docet, licet ab illo novis, quas accipit, qualitatibus plane differat (36-44). Corpus enim animale (ψυχικόν) mutatum iri in spirituale (πνευματικόν), mutationemque hanc et possibilem (44-49) et tam necessariam esse ostendit, ut illi quoque, qui non sint morituri, eandem subire debeant, antequam in regnum Dei intrare queant, quia hac sola ratione Christus completam de morte victoriam sit reportaturus (50-57). Brevi demum exhortatione integrum suum de resurrectione tractatum concludit (*v.* 58).

1. *De corporis resuscitati novis qualitatibus* (15,36-44).

15,36. ***Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur.*** 37. ***Et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicuius ceterorum.*** 38. ***Deus autem dat illi corpus, sicut vult: et unicuique semini proprium corpus.*** 39. ***Non omnis caro, eadem caro; sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.*** 40. ***Et corpora coelestia, et corpora terrestria: sed alia quidem coelestium gloria, alia autem terrestrium.*** 41. ***alia claritas solis, alia claritas lunae, et***

36. ἄφρων, σὺ ὃ σπείρεις, οὐ ζωοποιεῖται, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ· 37. καὶ ὃ σπείρεις, οὐ τὸ σῶμα τὸ γενησόμενον σπείρεις, ἀλλὰ γυμνὸν κόκκον, εἰ τύχοι, σίτου ἤ τινος τῶν λοιπῶν· 38. ὁ δὲ Θεὸς δίδωσιν αὐτῷ σῶμα καθὼς ἠθέλησεν, καὶ ἑκάστῳ τῶν σπερμάτων ἴδιον σῶμα. 39. οὐ πᾶσα σάρξ ἡ αὐτὴ σάρξ, ἀλλὰ ἄλλη μὲν ἀνθρώπων, ἄλλη δὲ σὰρξ κτηνῶν, ἄλλη δὲ σὰρξ πτηνῶν, ἄλλη δὲ ἰχθύων. 40. καὶ σώματα ἐπουράνια, καὶ σώματα ἐπίγεια· ἀλλὰ ἑτέρα μὲν ἡ τῶν ἐπουρανίων δόξα, ἑτέρα δὲ ἡ τῶν ἐπιγείων. 41. ἄλλη δόξα ἡλίου, καὶ ἄλλη δόξα σελήνης,

alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate : 42. sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. 43. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria : seminatur in infirmitate, surget in virtute : 44. seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.

καὶ ἄλλη δόξα ἀστέρων· ἀστὴρ γὰρ ἀστέρος διαφέρει ἐν δόξῃ. 42. οὕτως καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν. σπείρεται ἐν φθορᾷ, ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ· 43. σπείρεται ἐν ἀτιμίᾳ, ἐγείρεται ἐν δόξῃ· σπείρεται ἐν ἀσθενείᾳ, ἐγείρεται ἐν δυνάμει· 44. σπείρεται σῶμα ψυχικόν, ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν [1].

Ut quaestioni propositae, quali cum corpore mortui sint resurrecturi, respondeat, Apostolus primo in loco nonnullas analogias colligit ex rebus naturalibus, quibus unam eandemque rem plane diversas habere posse qualitates figurasque ostendat (36-41), idemque deinde obtenturum esse docet in resurrectione (42-44).

Tacitam obiectionem, quae interrogationibus *v.* 35 continetur, cum indignatione velut stultam reiicit monens : 36. *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur* (vel potius : *nisi mortuum fuerit,* ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ). Utrum nominativus ἄφρων pro vocativo positus credatur, id quod antiquioribus omnibus et modernis plerisque (cfr *Mai. Bisp.* etc. — *Goeb.* etc.) praeplacet, an enuntiative positus dicatur (ἄφρων sc. εἶ, stultus es), id quod nonnulli moderni volunt (*Mey. Heinr.* etc.), nihil plane interest; ceterum non contumeliae (cfr *Matth.* 5,22) sed correctionis manifestandaeque ignorantiae causa Paulum adversarium suum appellare insipientem, recte addunt antiqui. Insipientiam vero obiectionis magna cum vi (*tu* quod seminas) ex quotidiana obiicientis experientia deducit; semen, quod tu, infirmus homo, in terram abiicis, moritur quidem, sed haec eius mors initium est novae vitae eius. « Vide, inquit *Chrys.*, quomodo vocabulis argumento suo congruentibus utatur : non vivificatur, nisi mortuum fuerit. Propriis enim seminum dictionibus, nempe *germinat, pullulat, putrescit, dissolvitur,* relictis illa assumsit vocabula, quae carni

1. *VV. LL.* — 36. Nominativum ἄφρων, quem exhibent B ℵ A D E F' G P cum paucis minusc., *textus rec.* in vocativum ἄφρον mutavit cum K L et plerisque minusc. (cfr *Luc.* 12,20). — Pro ζωοποιεῖται, quae consueta lectio est, A cum nonnullis minusc. et PP. legit ζωογονεῖται. — 37. Pro γενησόμενον (*quod futurum est*) minus apte F' G habent γεννησόμενον (quod *nascetur*). — 38. καθὼς ἠθέλησεν (sicut voluit) est genuina lectio, quam aliae quoque verss. et nonnulli antiqui codd. latini (*Amiat.* etc.) cum *SS. Ambr. Aug.* etc. exprimunt; minus recte *Vulg. Clem.* : *sicut vult.* — ἴδιον σῶμα (*proprium corpus*) sine articulo B ℵ A D E F' G P et pauci minusc.; articulum praemittit *textus rec.* cum K L et plerisque minusc. — 39. Sensu non mutato codd. et verss. variant quum in repetendo vocabulo σάρξ (*caro*) in secundo et tertio membro, tum in ordine duorum ultimorum membrorum; praeferenda videtur lectio graeca, quam B ℵ D E F' G exhibent; in ordine Vulg. quoque consentit. — 41. καὶ ἄλλη δόξα σελήνης (*et alia claritas lunae*); copulam καί, quam fere omnes codd. graeci tuentur, etiam aliqui Vulg. codd. habent (*Demid. Tol.* etc.).

nostrae conveniunt : vivificatur, moritur ». Ipsis igitur vocabulis comparationis suae applicationem iam insinuat : illud idem semen, quod putrescit, iterum germinat et pullulat; ergo etiam illud idem corpus, quod mortuum et velut semen in sepulcro depositum ibi putrescit et dissolvitur, ad vitam reverti potest. At congruane est haec comparatio, quam simili quidem sed non eodem in argumento Dominus adhibuerat (*Ioan.* 12,24)? Semen scilicet cum corpore mortuo comparatur; sed semen a cadavere in eo differt, quod prius in se habet principium vitale, alterum a suo principio vitali est separatum. At animadverte. Paulum certitudinem resurrectionis futurae ita iam demonstrasse, ut etiam cadaveri principium quoddam vitale attribuere possit non intrinsecum, sed extrinsecum; principium enim hoc est ipsa Dei ordinatio, qua hoc ipsum cadaver ad vitam reverti vult; « differunt, inquit *Thom.,* pulveres, in quos humana corpora resolvuntur, ab aliis pulveribus secundum ordinationem divinam, prout huiusmodi pulveres sunt ex divina sapientia ordinati, ut iterum ex eis humana corpora redintegrentur ».

Porro eandem similitudinem retinens corpus resuscitatum a praesente nostro corpore diversum fore innuit : semen enim, etsi idem ad vitam revertitur, in nova tamen sua vita aliis omnino qualitatibus erit exornatum : 37. *Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta* (i. e. exempli gratia) *tritici aut alicuius ceterorum* (sc. seminum). 38. *Deus autem dat illi corpus, sicut vult* (lege : *voluit*), *et unicuique seminum proprium corpus*. Absolute praemittens : *et quod seminas* (i. e. quod ad illud attinet, quod seminas) ipsa constructione attentionem nostram ad semen illud convertit, ut quam diversum illud in nova sua vita sit consideremus. Neque enim planta, quae postea ex semine exorietur, sed nudum quoddam et exile granum in terram proiicitur, quod, postquam putruit, germinans illo corpore circumvestitur, quod se daturum ab aeterno Deus decreverat; pro seminum autem varietate ita varia fore corpora decreverat, ut singula semina semper eandem producerent plantam. Unde concludamus oportet, corpus hominis quoque ad novam vitam revertens novis exornatum iri qualitatibus, quae tamen variae in variis resurgentibus erunt pro Dei voluntate.

Tria, ni fallor, ex hac seminis similitudine colligi vult Apostolus pro principio quasi statuens : Sicut semen se habet ad plantam, quae ex eo exsurgit, ita corpus iusti mortuum ad eius corpus resuscitatum se habet. Itaque *a.*) sicut idem illud semen, quod in terra putruit, germinat, ita idem corpus, quod mortuum est, reviviscet; *b.*) sicut altioribus qualitatibus exornatum est semen in nova sua vita, ita iusti corpus resuscitatum

altioribus qualitatibus exornabitur; *c.*) sicut novarum plantarum qualitates a natura seminum iuxta sapientissimum Dei consilium dependent, ita corporum resuscitatorum qualitates a natura cadaverum iuxta Dei consilium dependebunt, prout nimirum haec tamquam animorum instrumenta maiore minoreve honore sese digna reddiderint. Cum *Thom.* quidem nonnulli (cfr *Haym. Est.* etc.) illam intercedere differentiam putant, quod in semine non idem numero corpus, sed idem specie tantum exoriatur, in resurrectione autem idem numero corpus reviviscat; ideo Paulum quasi a minore ad maius argumentari volunt : « Si natura ex eo, quod mortuum est, potest reparare idem specie, multo magis Deus potest reparare idem numero, quia et hoc ipsum, quod natura facit, Dei opus est » (*Thom.*). Num haec conclusio sit legitima, opus non est inquirere, quum certum sit, Paulum non ita argumentari. Melius utique *S. Aug.* (ad Cosent. ep. 205 al. 146,2) Paulum ostendere voluisse arbitratur, « quia si Deus potest addere quod non erat in nudo semine, multo magis potest reparare, quod erat in hominis corpore », at ne haec quidem explicatio verbis paulinis congruit; iuxta Apostolum enim idem semen, quod putrescit, germinat, et illud, quod exoritur, externo solo habitu a nudo grano seminis differt. Egregie *Tert.* (de resur. carn. 52) : « *Deus autem dat illi corpus, prout vult:* certe ei grano, quod nudum seminari ait? Certe, inquis. Ergo salvum est, cui Deus habet dare corpus... Ad quid igitur dabit illi Deus corpus, habenti utique proprium corpus illud nudum, nisi ut iam non nudum resurgat? Ergo additum erit, quod corpori superstruitur, nec exterminatur illud, cui superstruitur, sed augetur. Salvum est autem quod augetur. Seritur enim solummodo granum sine folliculi veste, sine fundamento spicae, sine munimento aristae, sine superbia culmi; exsurgit autem copia foeneratum, compagine aedificatum, ordine structum, cultu munitum et usquequaque vestitum. Haec sunt ei corpus a Deo aliud, *in quod non abolitione sed ampliatione mutatur*. Et unicuique seminum suum (i. e. proprium) corpus deputavit, non pristinum, ut illud suum (i. e. ei proprium) sit, quod extrinsecus a Deo acquirit. Servi igitur exemplo et conserva speculum eius (i. e. similitudinem exempli de semine propositi) carni, eandem credens fructificaturam, quae sit seminata; ipsam, etsi pleniorem, non aliam, etsi aliter revertentem; accipiet enim et ipsa suggestum et ornatum, qualem illi Deus voluerit superducere secundum merita ». Similiter *Chrys.* (« est enim idem et non idem; idem quidem, quoniam eadem est essentia [ἡ οὐσία], non idem, quoniam haec [nova planta] est melior, manente quidem eadem essentia, decore autem aucto »), *Cyr. Theod.* etc., *A*[ler], *Gl ord.* etc., *Caiet. Iustin. Nat.* etc.).

Itaque Deus, sicut *voluit* et ab aeterno decrevit, in tempore nunc *dat* singulis seminibus corpora propria, i. e. eorum naturis convenientia, diversa igitur pro naturarum diversitate; atque eodem modo corpora iustorum resuscitata illas recipient qualitates, quas

Deus illis, utique pro meritorum diversitate, se daturum statuit. Omnia quidem glorificabuntur, sed non omnia eadem ratione graduque eodem; novis vero his qualitatibus earumque diversitate natura pristini corporis non destruitur. Hanc sententiam novis similitudinibus ex regno animali et ex siderum agmine desumtis (39-41) illustrat.

39. *Non omnis caro eadem caro; sed alia quidem hominum, alia vero pecorum* (κτηνῶν hoc loc. melius : quadrupedum) *alia volucrum, alia autem piscium*. Exemplum hoc « non ad denegandam substantiae communionem, sed praerogativae peraequationem, corpus honoris, non generis in differentiam redigens » afferri, recte monet *Tert.*[1] (l. c.) et clarius *Chrys.* : « quod corpora resurgant, ostendit per frumentum, quod autem non omnia in eadem gloria, hoc exemplo docet ». Porro nomine σαρκός (carnis) hoc loco non tam pars corporis distincta ab ossibus et sanguine, sed integra membrorum et totius corporis animati figura et natura rectius intelligitur; id enim quum praecedentia, in quibus de integris plantarum corporibus sermo est, tum sequentia suadent; pergit enim Apostolus : 40. *Et corpora coelestia, et corpora terrestria; sed alia quidem coelestium gloria* (δόξα), *alia autem terrestrium;* immo inter ipsa corpora coelestia invenitur differentia, siquidem 41. *alia claritas* (δόξα) *solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum; stella enim a stella differt claritate*. Quia eodem vocabulo (δόξα) Paulus utitur in utraque sententia, etiam in latina versione idem debuit retineri, et pro *gloria* et *claritate* melius eligi potuit *fulgor* vel *splendor*. Inter modernos pauci acath. (*de W. Mey. Kl Br*. etc.) nomine corporum coelestium corpora angelorum intelligi arbitrantur, quia antiqui de corporibus coelestibus hodierno nostro sensu loqui non sint soliti et vocabulum σώματος animatum corpus plerumque significet, supponi autem nequeat, Paulum solem, lunam, stellas pro entibus vivis et animatis habuisse. At num forte supponi potest, eum angelis corpora tribuisse? Vox σώματος iam ab *Aristotele* de corporibus coelestibus nostro sensu adhibetur et *Plato* (Tim. 32 c.) τὸ τοῦ κόσμου σῶμα rerum universitatem nominat; immo tantum abest, ut hic loquendi usus antiquis fuerit incognitus, ut nullus Pater aut antiquus interpres in hoc loco interpretando haesitaverit. Neque id mirum, quum ex rebus cognitis et visibilibus Apostolus similitudines ad incognita necdum visibilia explicanda desumit

1. Arbitrarie tamen singula membra applicare conatur singulis hominum classibus : « Alia caro hominis, i. e. servi Dei, qui vere homo est; alia iumenti, i. e. ethnici; alia caro volucrum, i. e. martyrum, qui ad superiora conantur; alia autem piscium, i. e. quibus aqua baptismatis sufficit ». Similiter sequentes similitudines Christo, Ecclesiae, semini Abrahae, Iudaeis, Christianis etc., accommodat.

ideoque de angelis, si quis eis corpora tribuere stulte velit, cogitare non potuit. Iam vero tres hos versus (39-41) breviter sed praeclare exponit *S. Aug.* (ad Consent. ep. 205 al. 146,2) : « In his omnibus iste sensus est : Si genera carnis, quum sint omnia mortalia, differunt tamen inter se pro diversitatibus animantium; et si corpora, quum sint omnia visibilia, differunt tamen pro diversitatibus locorum, unde alia est coelestium gloria, alia terrestrium; et si in locis sublimioribus, quum sint cuncta coelestia, differunt etiam ipsa claritatibus luminum : non mirum est, quod in resurrectione mortuorum distabit gloria meritorum ».

Quorsum similitudines allatae pertineant, Apostolus paucissimis quidem verbis ostendit : 42. *Sic et resurrectio mortuorum* (erit), sed singula earum membra non exponit; quin etiam illis, quae de diversitate inter corpora resuscitata intercedente innuerat, prorsus relictis « venit ad illud, quod communiter habet omnis caro, quae resurgit ad vitam aeternam » (*S. Aug.* l. c.). Ad seminis enim similitudinem (37 sq.) revertens, ita ut sententiae interiectae (38^b-41) quasi digressio quaedam sint, qualitates nonnullas enumerat (42-44), quas, utpote omnibus glorificatis communes, corpori resuscitato simpliciter attribuit. *Seminatur in corruptione, surget* (ἐγείρεται surgit) *in incorruptione*. Seminationem plerique cum *Tert.* (l. c.) de morte et sepultura recte intelligunt, qua corpus corruptioni quasi traditur; traditur autem corruptioni, quia natura sua corruptibile est, i. e. in suas partes resolvi potest et certo quodam modo per totam hanc vitam semper paullatim resolvitur. Atqui corpus, si resurgit in incorruptione (ἐν ἀφθαρσίᾳ), a servitute corruptionis prorsus liberatur (*Rom.* 8,21), nec a morte sola, sed etiam a quacumque noxia passione, quae ad mortem magis minusve ducit, plane liberum erit. His igitur verbis tamquam prima ex dotibus corporis gloriosi asseritur *impassibilitas,* qua efficitur, ut beati « non esuriant, neque sitiant amplius, nec cadat super illos sol neque ullus aestus » (*Apoc.* 7,16) cfr *Thom.* Cum corruptione porro cohaeret foeditas, a qua etiam alienum erit corpus gloriosum : 43. *seminatur in ignobilitate, surget* (surgit) *in gloria.* Ignobilitas seu vilitas vel, ut legit Tert. « dedecoratio » (ἀτιμία) a nonnullis arctius intelligitur foeditas cadaveris : « quid, inquit *Chrys.*, visu turpius, quam cadaver dissolutum? » (cfr *Theod. Theoph. A^ter^, Pel.* etc. *Lap. Pic. M Ev.* etc. — *Grot. Mey.* etc.); attamen per totam hanc vitam corpus nostrum est vile, utpote multis miseriis et foeditatibus obnoxium, licet haec vilitas et foeditas post mortem in eius dissolutione maxime appareat. Describit autem Apostolus conditionem corporis nostri, quod tamquam semen moritur, ut ei conditionem corporis

nostri futuri opponat, quod erit *in gloria* (ἐν δόξῃ) i. e. glorificatum; in eo enim resplendebit quasi ipsa Dei gloria, quam anima beata immediate contemplabitur. Secundam corporis resuscitati dotem, *claritatem, Thom.* hac expressione indicatam videt (« erunt enim corpora sanctorum clara et fulgida iuxta illud : Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum ». Matth. 13,43), atque tertiam, *agilitatem* tertio membro doceri censet : *seminatur in infirmitate, surget* (surgit) *in virtute*. Infirmitatem *Chrys. Theod.* aliique nonnulli iterum de cadaveris imbecillitate intelligunt, quippe quod brevissimo tempore dissolvatur (« nondum enim sunt triginta dies et iam periit totum » *Chrys.*); sed arctior est haec quoque explicatio; nam corpus nostrum praesens, quo hac in terra anima circumvestitur, futuro Apostolus opponit. Iam vero iuxta nonnullos (*Mai.* etc.) infirmum dicitur, quia corruptionem impedire causasque corruptionis (morbos etc.) a se arcere nequit; sed in primo membro de corruptione iam dictum est. Ne igitur tautologiam admittamus, virium potius omnium intelligamus oportet imbecillitatem, qua corpus instrumentum imperfectum animae redditur : tarda sunt omnia nostra membra et facile fatigantur; hebetes sunt nostri sensus et cito deficiunt; requie et somno indiget corpus, ut lassas vires reficiat, nec continuo in labore versari potest. In corpore autem resuscitato perfectus aderit omnium virium et membrorum et sensuum vigor : itaque agilitas, qua dote efficitur, ut corpus sit « expeditum et habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus et actionibus animae » (*S. Thom.* Sum. theol. Suppl. qu. 84. a. 1), hoc membro asseri recte dicitur.

Tria praecedentia Apostolus quarto membro complectitur : 44. *seminatur corpus animale* (ψυχικόν), *surget* (surgit) *corpus spiritale* (πνευματικόν). Paucorum acath. recentium sententia, corpus spiritale intelligi aethereum vel aërium vel lucis substantia constitutum (*Zell. Holst. Koestl.*), Origeni et Eutychio iam a Patribus attribuitur, sed velut absurda ab iis iure respuitur; nam si alterius naturae futurum esset corpus gloriosum, non iam corpus quod seminatur resurgeret (cfr *Theoph. S. Greg. M.* Moral. XIV. 56). Animale ergo a spirituali corpore Paulus distinguit pro duobus principiis, anima (ψυχή) et spiritu (πνεῦμα), quae corpori vitam praestant illiusque dominium tenent; anima vero et spiritus ei non sunt duae res distinctae, quarum una (sc. anima) perire possit manente altera (sc. spiritu), uti aliqui acath. censent (*Rück. Mey. Heinr.* etc.), sed una eademque res, quae quidem, quatenus est vitae vegetativae principium corpusque animat et perficit, vocatur anima, spiritus autem appellatur, quatenus est principium vitae intellectualis spiritualibusque operationibus sese mani-

festat. « Nunc autem in praesente statu corpus nostrum, prout generatur et generat, nutritur, crescit et decrescit, subiectum est operationibus, quae pertinent ad animam, in quantum est anima; sed in spiritualibus operationibus corpus, licet aliquo modo subserviat, tamen multum impedimentum affert, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam (*Sap.* 6,15). At in statu resurrectionis cessabunt operationes animales a corpore, quia non erit generatio nec augmentum aut nutrimentum, et corpus absque ullo impedimento et fatigatione incessanter serviet animae ad spirituales eius operationes. Sicut ergo nunc est corpus animale (animae vegetativae subiectum), tunc erit spiritui soli subserviens » (*Thom.*). Eadem ratione corpus animale a spiritali plerique Latini distinguunt (*A*^ter^*, Gl ord. Herv. Dion. Cai. Est. Nat. Pic. MEv.* etc.), licet de sola nutritione, utpote praecipua vegetativae potentiae operatione, loquantur : « vivimus enim nutritione : unde idem est dicere corpus animale et corpus indigens alimento » (*Cai.*). Qua in explicatione *S. Aug.* sequuntur, qui nostrum textum saepe attingens alimentorum indigentiam semper velut animalis et spiritalis corporis differentiam ponit. Spiritale enim corpus vocat illud, « quod miris modis ad omnem facilitatem et incorruptionem spiritui subditur et sine ulla indigentia corporalium alimentorum solo vivificatur spiritu » (de Gen. ad lit. XII. 7; cfr Enchir. 91.), atque illud etiam a corpore differre monet, « quale fuit in primis parentibus ante peccatum; qui licet morituri non essent, nisi peccassent, alimentis tamen ut homines utebantur, nondum spiritualia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes » (De civ. Dei XIII. 20). De reliquo spiritum, cuius virtute vivet et cui subdetur corpus gloriosum, fore « Spiritus S. operatione praeditum » (*Chrys.* etc. *cfr ad* 2,13), per se clarum est, quum de beatis agatur, et ex sequentibus clarius elucebit.

Cum ***Oec. A***^tro^***, Cai. Iustin.*** aliisque quarto hoc membro tria praecedentia contineri censemus, quia constructio quoque mutata aliam huius, aliam priorum membrorum esse rationem suadet. Alii tamen quartum prioribus parallelum ponunt atque sicuti illis impassibilitatem, claritatem, agilitatem, ita hoc subtilitatem velut quartam dotem corporis gloriosi exprimi existimant (cfr ***Est. Bisp. M Ev.*** etc.). Subtilitatem quidem in hac sententia corpori resuscitato attribui non negamus, at eam non dicimus dotem, qua corpus expeditum ad omnem ***actionem*** reddatur, dum agilitate ad omnem ***motum*** habile fiat (***Est.*** etc.). Cum ***Thom.*** potius corpora gloriosa vocamus subtilia « propter completissimam eorum perfectionem »; quae « completio erit ex dominio animae glorificatae, quae est forma corporis, super ipsum, ratione cuius corpus gloriosum spirituale dicitur, quasi omnino spiritui subiectum. Prima autem subiectio, qua corpus animae subiicitur,

est ad participandum *esse* specificum, prout subiicitur ipsi, ut materia formae, et deinde subiicitur ei ad alia *opera* animae, prout anima est motor : et ideo prima ratio spiritualitatis in corpore est ex subtilitate, et deinde ex agilitate et aliis proprietatibus corporis gloriosi : et propter hoc Apostolus in spiritualitate *tetigit* donum subtilitatis, ut Magistri exponunt » (Summ. theol. Suppl. qu. 83. a. 1). Itaque corpus spiritui glorificato, cuius virtute vivit, in suo esse et in suo agere tam simile redditur, quam simile divina potentia corpus spiritui facere potest. Sicut corpus in praesente statu ab anima habet exsistentiam, conservationem, pulchritudinem, motum, ita in altera vita corpus a spiritu glorificato habebit subtilitatem, impassibilitatem et immortalitatem, claritatem, agilitatem [1], neque legibus materiae ea ratione, qua nunc, erit subiectum, uti in apparitionibus resuscitati Domini iam clare conspicitur.

2. *Corporis animalis mutatio in spiritale est possibilis* (15,44-49).

15,44. *Si est corpus animale, est et spiritale, sicut scriptum est :* 45. *Factus est primus homo Adam in animam viventem : novissimus Adam in spiritum vivificantem.* 46. *Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale : deinde quod spiritale.* 47. *Primus homo de terra, terrenus : secundus homo de coelo, coelestis.* 48. *Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis coelestis, tales et coelestes.* 49. *Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis.*

15,44. Εἰ ἔστιν σῶμα ψυχικόν, ἔστιν καὶ πνευματικόν. 45. οὕτως καὶ γέγραπται· Ἐγένετο ὁ πρῶτος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν, ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν. 46. ἀλλ' οὐ πρῶτον τὸ πνευματικόν, ἀλλὰ τὸ ψυχικόν, ἔπειτα τὸ πνευματικόν. 47. Ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς χοϊκός, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ. 48. οἷος ὁ χοϊκός, τοιοῦτοι καὶ οἱ χοϊκοί, καὶ οἷος ὁ ἐπουράνιος, τοιοῦτοι καὶ οἱ ἐπουράνιοι. 49. καὶ καθὼς ἐφορέσαμεν τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ, φορέσομεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου [2].

1. *Thom.* « Videmus ex anima quatuor corpori provenire et tanto perfectius, quanto anima fuerit virtuosior. Primo quidem dat *esse;* unde quando erit in summo perfectionis, dabit esse *spirituale.* Secundo conservat a *corruptione;* quum anima ergo fuerit perfectissima, conservabit corpus omnino *impassibile.* Tertio dat *pulchritudinem* et claritatem, et quando erit in summa perfectione, faciet corpus *clarum* et fulgidum. Quarto dat *motum* et tanto facilius, quanto virtus animae fuerit fortior supra corpus; et ideo quanto erit in ultimo perfectionis, dabit corpori *agilitatem* » (cfr *Dion.* etc.).

2. *VV. LL.* — 44. εἰ ἔστιν σῶμα ψυχικόν (*si est corpus animale*) B ℵ A C D F G, pauci minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.;* particulam conditionalem (εἰ, si) minus recte om. *textus rec.* cum E K L plerisque minusc., ideoque etiam pro ἔστιν καί legit καὶ ἔστιν cum iisdem testibus. — 45. οὕτως καὶ γέγραπται (*sic et* scriptum est) communis lectio codd. graec. et verss., quam etiam *Amiat.* aliique boni codd. Vulg. exhibent; attamen F G habent καθώς, quam lectionem plerique codd. lat. reddunt : *sicut.* — ὁ πρῶτος Ἀδάμ (primus Adam) B E cum paucis minusc. et nonnullis PP. gr. et latin.; rectius ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδάμ (*primus homo Adam*) cum reliquis codd. gr. et verss. — 47. ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ (secundus homo de coelo) sine ullo additamento B ℵ C D E, pauci minusc., *Vulg.* cod. *Amiat. Copt.* etc.; sed *textus rec.* : ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ (secundus homo Dominus de coelo) cum A K L P, plerisque minusc. et

Corpus spiritale surrecturum esse, Apostolus dixerat; quae expressio, utpote inusitata, difficultatem creabat, quia non constare videbatur, essetne eiusmodi corpus; ideo ut corpus nostrum praesens in gloriosum mutari posse ostendat, se recte de corpore spiritali loqui demonstrat : **44.** *si est corpus animale, est et spiritale.* Argumentatio Apostoli est a pari : qui corpus esse animale (ψυχικόν) concedit, si ab anima (ψυχή) informetur, concedat necesse est corpus esse spiritale (πνευματικόν), si a spiritu (πνεῦμα) informetur. Eadem enim ratione, qua anima cum corpore vitam suam naturalem, spiritus cum eo altiorem suam vitam communicat, eademque ratione, qua anima ad inferiores suas operationes vegetativas, spiritus ad altiores suas operationes intellectuales corpus sibi subiectum adhibet. Iam vero in hac plena subiectione, qua corpus a spiritu vitam accipit et in operationibus regitur, sita est corporis gloriosi spiritualitas, quum spiritus ipse intelligatur Spiritui S. perfecte subditus cum eoque intime unitus.

Iam quod posuerat, Paulus ex Scriptura (*Gen.* 2,7) probat : **45.** *Sicut* (lege : *sic et*, οὕτως καί) *scriptum est : Factus est primus homo, Adam, in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Sola prioris membri verba *scripta sunt,* sed alterius simul membri sensum insinuant, si ad typicam primi hominis rationem (cfr *Rom.* 5,14 sqq.) attenditur; ad eam vero Apostolus attentionem nostram convertit duobus vocabulis (πρῶτος et Ἀδάμ) priori membro alexandrinae versionis, quam sequitur, insertis. *Primo* enim homini *ultimum*, post quem alius eiusdem ordinis non esset venturus, vel *secundum* (*v.* 47), qui in eodem esset ordine, opponere voluit; qua vero ratione eos inter se opponat, nomine *Adam* docet, quod ambobus utpote generis humani parentibus competit; velut pater enim generis lapsi primus Adam posteris suis corpus animale, velut pater generis regenerati Christus suis posteris corpus spiritale transmittit (*v.* 47 sq.). Porro primo Adamo corpus animale fuisse, iuxta mentem Apostoli verbis allegatis diserte exprimitur. Quando enim Deus corpori ex terrae pulveribus formato inspiravit *spiraculum vitae* (πνοὴν ζωῆς נִשְׁמַת חַיִּים), Adam factus est *anima vivens* (ψυχὴ ζῶσα נֶפֶשׁ חַיָּה); qua in sententia anima vivens (ψυχὴ ζῶσα), quum ab inspirato principio vitae (πνοὴ ζωῆς, spiraculum vitae) distinguatur, tropice, uti saepe (*Gen.* 1,22. 24 etc.), ens vivum, in quo anima inest, vel potius ens, quod animae

PP., *Syr. Arm. Goth.*; priorem lectionem etiam *It.* et reliqui codd. Vulg. tuentur, qui tamen velut glossam in fine addunt : *coelestis*, quod additamentum etiam habent F G. — 49. φορέσομεν (portabimus) est lectio *text. recepti* cum B, paucis minusc. et PP.; sed φορέσωμεν (*portemus*) ℵ A C D E F G K L P, plerique minusc. et PP. *It. Vulg. Copt. Goth.* (*cfr.* Comment.).

virtute vivit, ergo hoc in loco *corpus animale* (σῶμα ψυχικόν) designet necesse est. Primus quidem homo in ipsa sua creatione animam gratia habituali aliisque Spiritus S. donis ornatam (πνεῦμα, spiritum *cfr ad* 2,13) accepit, ac dona haec quoque una cum vita naturali posteris suis, nisi peccasset, transmisisset; at eius naturae non erant debita, amitti potuerunt et iam mox primo peccato amissa sunt; iure merito igitur Paulus ea praetermittens in verbis, prout scripta sunt, nihil aliud videt indicatum, nisi illud, quod primus homo in sua creatione velut sibi debitum et essentiale accepit aliisque donis altioribus amissis solum ad filios suos transmittere potuit. Errant enim, uti recte monet *Thom.*, qui *spiraculum vitae* (*Gen.* 2,7) de Spiritu S. interpretantur.

Atqui si *anima vivens* in verbis allegatis ens significat, quod *animae* virtute vivit, consequens est, ut in membro parallelo *spiritus vivificans* intelligatur ens, quod *spiritus* virtute vivit et vitam praestat. Ac profecto propter hypostaticam Verbi cum natura humana unionem anima Christi habituali gratia donisque Spiritus S. carere omnino non potuit: a primo igitur incarnationis momento plenitudine gratiarum inamissibili erat ornata, quin etiam ad visionem beatificam elevata, ideoque rectius appellatur spiritus (πνεῦμα). Iuxta naturalem porro, quae inter animam et inter corpus intercedit, habitudinem hic spiritus Christi corpus suum sibi reddidisset simile illudque inde a primo incarnationis momento dotibus corporis gloriosi exornans fecisset spiritale, nisi specialis dispensatio divina, iuxta quam Filius Dei nobis in omnibus, excepto peccato, assimilari et in corpore passibili mysteria redemtionis nostrae explere debuit, impedivisset, quominus iam tunc gloria spiritus eius in corpus redundaret; at completa redemtione in resurrectione beatitudo spiritus etiam corpus transfiguravit et glorificavit; ideoque in resurrectione Christum factum esse in spiritum vivificantem, plerique recte dicunt (*A^ter*, *Herv. Dion. Est. Lap. Pic. Nat. Bisp.* etc.). Ad significationem demum vocabuli *vivificans* quod attinet, animadvertamus oportet, animam *viventem* et spiritum *vivificantem* inter se opponi; atqui anima quoque dici potest vivificans, quatenus corpori quod informat vitam praestat; oppositio igitur nulla adesset, si spiritus quoque illud solum corpus, cuius forma est, vivificare intelligeretur, id quod nonnulli volunt (*A^ter* etc., *Est.* etc.). Ex mente Apostoli spiritus Christi non tantum eius corpus glorificavit, sed aliis quoque per ipsum resurrecturis est auctor et principium vitae incorruptibilis et gloriosae; transfigurabit enim corpus humilitatis nostrae, ut fiat conforme corpori gloriae suae (*Col.* 3,21) atque eatenus Christus factus est in spiritum vivificantem, quatenus « *in* Christo omnes vivificabuntur » (*cfr ad v.* 22).

Similiter *Thom.*: « Primus homo factus est in animam, novissimus in spiritum; ille autem in animam viventem tantum, iste vero in spiritum viventem et vivificantem. Cuius ratio est, quia sicut Adam consecutus est perfectionem sui esse per animam, ita et Christus perfectionem sui esse, in quantum est homo, per Spiritum S. (sc. per plenitudinem donorum Spiritus S.). Et ideo quum anima non possit nisi proprium corpus vivificare, ideo Adam factus est in animam non vivificantem, sed viventem tantum; Christus autem factus est in spiritum viventem et vivificantem, et ideo Christus habuit potestatem vivificandi » illos nimirum, qui eius sunt.

Minus nobis eorum interpretatio probatur, qui cum *Est.* in definitione spiritus vivificantis dona gratiarum praetermittentes animam viventem appellari putant, qua corpus vivat vita vegetativa indigens alimentis, spiritum autem vivificantem, qui per se sufficiens sit ad conservandum movendum regendum corpus, ita ut alimentis corporalibus illi non sit opus. Quae explicatio, etsi erronea non sit, non minus tamen est incompleta, quam interpretatio Graecorum (*Chrys. Theod.* etc.), qui de solo Spiritu S. loquuntur, per quem sibi substantialiter unitum Christus et propriam carnem vivificat et nobis incorruptibilitatem donabit (cf. *Rom.* 8,11).

Interrogantibus vero, cur primus Adam non statim factus sit in spiritum vivificantem, Apostolus axioma proponit : 46. *Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spiritale.* « Non dicit Apostolus, cur res ita se habeat, sed contentus est Dei ordinatione, quum res ipsae testimonium ferant optimae Dei administrationi nostraque semper ad melius et praestantius progredi ostendant » (*Chrys.*). « Nam etiam in ordine naturae videmus, quod in uno et eodem prius est imperfectum, quam perfectum » (*Thom.*); itaque mirum videri non debet, quod animale, utpote imperfectum, spiritali, utpote perfecto, antecedat. Iam secundum hoc axioma 47. *primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo* (*coelestis*) est. Ad eadem Scripturae verba, quae *v.* 45. prae oculis habuit, respiciens Paulus ex primi hominis formatione eius naturam animalem colligit. Deus enim sumsit χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς *pulverem* (s. limum) *de terra* ad corpus hominis formandum, ideoque Adam ἐκ γῆς χοϊκός *de terra pulvereus est* s. limaceus, uti *Tert.* (de res. carn. 49) legit. Quo epitheto satis indicatur, Adami corpus creatum esse *animale* eique proprietates corporis animalis, quas supra (42. 43) enumeravit, competiisse. Etenim quamquam per peccatum mors in mundum intravit, non intratura si homo non peccasset, Adami tamen corpus etiam ante peccatum, uti uberrime in huius loci explicatione docet *S. Aug.* (de civ. Dei XIII. 23. 24), ex conditione suae naturae mortale fuit obnoxiumque corruptioni, ita ut mori posset atque necessario moriturum fuisset, nisi Deus externo remedio, arbore vitae data, mortem retinuisset. Namque « corpus Adami, inquit, quod cibo potuque egebat, ne fame afficeretur ac siti, et non immortalitate illa absoluta atque indissolubili, sed ligno vitae a mortis necessitate prohibebatur atque in iuventutis flore tenebatur,

non spirituale sed animale fuisse, non dubium est, nequaquam tamen moriturum, nisi in Dei praedicentis minantisque sententiam delinquendo corruisset. Et alimentis quidem etiam extra paradisum non negatis, a ligno tamen vitae prohibitus, traditus esset tempori vetustatique finiendus in ea dumtaxat vita, quam in corpore, licet animali donec spirituale obedientiae merito fieret, posset in paradiso, nisi peccasset, habere perpetuam » (l. c. 23; cfr *Thom. Lyr. Dion. Est. Nat. Pic. Bisp.* etc. — *Mey. Kl Br.* etc.).

Secundus homo autem, i. e. Christus, uti inserta appositione (ὁ Κύριος) textus receptus recte explicat, *de coelo* est ideoque *coelestis*, uti Vulgata optimo suo glossemate membrum hoc parallelum complet. *Secundus* homo enim Christus appellatur, quia alterum est generis humani caput et principium, utpote omnium regeneratorum electorumque parens. *De coelo* autem esse non dicitur, quia corpus suum de coelo secum attulerit, id quod antiqui aliqui haeretici, Valentinus, Marcion etc., docuisse feruntur, neque quia velut « coeleste hominis prototypon » (himmlischer Urmensch) in his terris apparuerit, id quod aliqui recentes haeretici (*Baur*, *Hilgenf. Holst.* etc.) somniant; corpus enim suum de terra, sc. de corpore B. Virginis, assumsit; quid vero coeleste illud prototypon hominis sit et quomodo illud, quamvis fuerit spiritale, tamen iam ante animalem Adamum exstiterit (*cfr v.* 46), nemo prudens intellexerit. Neque Christus de coelo esse satis recte dicitur, quia ex obumbratione Spiritus S. conceptus et ex Virgine natus est (*A^ter^, Sed. Oec.* etc.); incompleta enim est haec explicatio: propter originem suam Adam de terra esse dicitur, et simili modo propter originem suam Christus de coelo sit oportet, ut parallelismum membrorum habeamus. Ac revera Iesus Christus vere Filius Dei unigenitus est, qui propter nos homines descendit de coelis et incarnatus est de Spiritu S. ex Maria virgine et homo factus est. Coelestem igitur, utpote de Deo natus, habens originem etiam coelestis est homo, quum corpore sit instructus, quod non tantum ab incarnationis primo momento capax fuit glorificationis a spiritu accipiendae sed etiam ad illam assumendam ius habuit, illamque quoque iuxta divinum consilium in resurrectione vere assumsit.

Hac ratione plerique ultima verba interpretantur (cfr *Cyr. Tert. Haym. Herv. Thom. Lyr.* etc., *Salm. Est. Iust. Nat. Pic.* etc., *M Ev. Bisp. L R.* etc.). Bene adnotat *Thom.* : « Dicit autem Apostolus primum hominem *de terra* iuxta eum modum loquendi, quo res de illo fieri dicuntur, quae prima pars est in eorum fieri... Et quia prima pars, unde Adam factus est, terra est, ideo dicitur de terra. Secundus homo dicitur *de coelo*,... quia divinitas, quae naturae humanae unita est, de coelo venit, quae fuit prior, quam corpus Christi ».

Parum recte *Chrys.* aliique Graeci ratione morum potissimum primum hominem dici terrenum existimant : « neque enim ex terra genitum esse facit absolute terrenum, nam Dominus quoque erat ex eadem massa et conspersione, sed terrena agere, sicut etiam coelestis est, qui ea agit, quae sunt digna coelis ». *Cai.* quoque terrenum fuisse hominem putat « et natura corporis et affectibus et cognitionis modo », *Herv.* autem vult hominem dici terrenum « propter peccatum, quia quum iam reus factus esset et mortis supplicio destinatus, audivit : Terra es et in terram ibis ». Sed haec omnia aliena sunt a contextu. Iuxta nonnullos Christus dicitur *de coelo*, quia nunc tamquam parens generis humani in coelo residens de coelo nobis merita sua applicat; sicut Adam utpote terrenus in terra egit, ita Christus utpote coelestis in coelo et de coelo agit (*Kn.*) : attamen licet appellatione ὁ ἐπουράνιος (*v.* 48) per se ille significatur, qui in coelo residet (*Matth.* 18,35 etc.), in nostro tamen loco, ubi τῷ χοϊκῷ (limaceo, pulvereo) opponitur, vocabulum hanc significationem non admittit; neque ulla ratione de modo aut loco actionis intelligi possunt, quae de terrenis et coelestibus *v.* 48. dicuntur.

A duobus generis humani parentibus Apostolus ad eorum posteros iam transit : 48. *Qualis terrenus* (ὁ χοϊκὸς sc. ille, de quo sermo erat), *tales et terreni, et qualis coelestis* (ὁ ἐπουράνιος sc. Christus), *tales et coelestes.* Sicut nos omnes, utpote a terreno Adamo generatione naturali exorti, ei assimilati corpus animale, i. e. mortale et corruptibile, accepimus, ita omnes quoque, qui a coelesti Adamo regenerantur, ei assimilati corpus spiritale, i. e. immortale et glorificatum, accipient. Unde merito practicam deducit conclusionem : 49. *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis.* Illativam particulam (*igitur*) codices graeci quidem non exhibent, qui simplici copula (καί) *v v.* 48. et 49. connectunt, nec eam agnoscunt antiquiores Latini; sed apte est addita, si quidem exhortativus *portemus,* quem cum Latinis omnibus plures et meliores codd. graeci tuentur, Paulum ex praecedente expositione conclusionem deducere voluisse docet. Naturae necessitate imaginem, i. e. similitudinem expressam, primi nostri parentis in corpore nostro animali portavimus; sed assimilatio nostra ad secundum Adamum coelestem dependet a nostro libero arbitrio. In nostra enim potestate est positum, utrum divinam invitationem ad regenerationem sequi velimus necne. Baptismo autem regenerati deposuimus quidem imaginem terreni Adami (cfr *Rom.* 6,3 sqq.), nam Spiritum iam accepimus, propter quem in nobis inhabitantem Deus vivificabit corpora nostra mortalia (*Rom.* 8,11); at iterum in nostri liberi arbitrii potestate est, utrum cum divina gratia cooperantes inchoatam hanc cum secundo Adamo similitudinem usque in finem conservemus, necne; quodsi perseveraverimus, Dominus in resurrectione transfigurabit corpus humilitatis nostrae assimilabitque corpori glorioso suo (Phil. 3,21).

Aptissima igitur et pulcherrima est brevis haec exhortatio; beneficium iam acceptum nobis in memoriam revocat, ut nos ad illud conservandum excitet; utens enim aoristo indic. in priore membro (ἐφορέσαμεν, *portavimus*) nos imaginem animalis hominis iam deposuisse insinuat; illud autem in baptismo deposuimus, quando vetere nostro homine crucifixo destructum est corpus peccati (*Rom.* 6,6); porro in baptismo inchoatam quoque cum secundo Adamo glorificato accepimus similitudinem non tantum quatenus anima gratia sanctificante est instructa, sed etiam quatenus integri, secundum animam et corpus, membra Christi glorificati, templa Spiritus S. in nobis inhabitantis facti sumus (*cfr* 6,15. 19).

Alteram quoque lectionem secundi membri (φορέσομεν *portabimus*), quam cum *Theod.* et *Theoph.* etiam *Est.* et nonnulli moderni (*Mai.* etc. — *Mey.* etc.) praeferunt, contextui congruere non negamus. Praecedentem enim sententiam quasi explicans Apostolus « non exhortans sed prophetans » (*Theod.*) dicere potuit : sicut gestavimus in nobis terreni Adami imaginem, utpote ipsi terreni, ita in futura resurrectione imaginem coelestis Adami gestabimus. Attamen si hunc sensum exprimere voluisset, in priore membro tempore praesente (φοροῦμεν, portamus) rectius esset usus. Utralibet autem explicatio eligitur, cavendum est, ne expressionem *imaginem alicuius portare* de moribus explicemus (« sicut in nobis peccando exhibuimus imaginem terreni Adami, qui primus peccavit, ita deinceps exhibeamus in nobis imaginem Christi per sanctam conversationem eum imitantes » cfr *Tert.* de res. carn. 49. etc.); eiusmodi enim interpretatio contextui vix ac ne vix quidem respondet.

3. *Corporis animalis mutatio in spiritale est necessaria* (15,50-58).

15,50. *Hoc autem dico, fratres, quod caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit.* 51. *Ecce mysterium, vobis dico : Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* 52. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti : et nos immutabimur.* 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem : et mortale hoc induere immortalitatem.* 54. *Quum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria.* 55. *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* 56. *Stimulus autem mortis peccatum est : virtus vero peccati lex.* 57. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* 58. *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, et immo-*

15,50. Τοῦτο δέ φημι, ἀδελφοί, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν Θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύναται, οὐδὲ ἡ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ. 51. ἰδοὺ μυστήριον ὑμῖν λέγω· πάντες οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, 52. ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι· σαλπίσει γάρ, καὶ οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἄφθαρτοι, καὶ ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα. 53. δεῖ γὰρ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν. 54. ὅταν δὲ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀθανασίαν, τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος· Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. 55. ποῦ σου, θάνατε, τὸ νῖκος; ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; 56. τὸ δὲ κέντρον τοῦ θανάτου ἡ ἁμαρτία, ἡ δὲ δύναμις τῆς ἁμαρτίας ὁ νόμος. 57. τῷ δὲ Θεῷ χάρις τῷ διδόντι ἡμῖν τὸ νῖκος διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. 58. ὥστε, ἀδελφοί μου ἀγαπητοί, ἑδραῖοι

biles; abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.	γίνεσθε, ἀμετακίνητοι, περισσεύοντες ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ Κυρίου πάντοτε, εἰδότες ὅτι ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστιν κενὸς ἐν Κυρίῳ[1].

De corpore spiritali se iure merito locutum esse ac proinde corpus animale in spiritale mutari *posse*, Paulus hucusque ostendit; ulterius progrediens tam necessariam esse hanc mutationem nunc docet, ut illi ipsi, qui ante Domini adventum non sint morituri, eam subire debeant (50-53), ut hac ratione victoria plenissima de morte et peccato reportetur (54-57).

Praecedentem suam exhortationem confirmaturus Apostolus mutationem corporis animalis in spiritale, quam descripserat, absolute necessariam proclamat, quia sine eiusmodi mutatione nemo in regnum promissum intrare possit : 50. *Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere* (κληρονομῆσαι haereditare) *non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit* (κληρονομεῖ haereditat; praesens fortius, quam futurum, universalem sententiae veritatem exprimit). Coniunctio ὅτι (quia) hoc in loco non est causalis (id quod pauci acath. censent : *Beza, Hofm.* etc.) ac si sensus esset : « praecedens praeceptum tradidi, propterea quod caro » etc.; sed eadem ratione, qua in similibus locis (10,19 etc.) pronomen τοῦτο explicat : « hoc autem dico, sc. carnem et sanguinem regnum Dei possidere non posse ». Contra Valentinianos, Marcionitas, Origenianos, quibuscum moderni aliqui haeretici consentiunt[2], Patres iam monuerunt,

1. *VV. LL.* 50. οὐ δύναται (non potest) B ℵ P, nonnulli minusc. et PP.; sed οὐ δύνανται (*non possunt*) reliqui codd. et PP. plerique; priorem lectionem tamen *Tisch.* et *W. H.* haud immerito praeferunt, quia σάρξ καὶ αἷμα in unam ideam corporis naturalis coniunguntur. — κληρονομεῖ (possidet) est communior lectio graeca; κληρονομήσει (*possidebit*) C D F G, *It. Vulg. Syr. Copt.* — 51. De genuina lectione *cfr* Comment. — 54. ὅταν δὲ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀθανασίαν (quum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem et mortale hoc induerit immortalitatem) B A D E K L P, plerique minusc. et PP., *It.* (*S. Cypr.* Testim. c. Iud. III. 58; *S. Aug.* etc.), *Syr.*, et membris transpositis *Arm.*; sed prius membrum omittunt ℵ C I M, nonnulli minusc., *Vulg. Copt. Aeth. Goth.* — εἰς νῖκος (*S. Aug.* in victoriam; *Vulg.*: *in victoria*) est consueta lectio, sed εἰς νεῖκος (in contentionem) D I et multi PP. latini, qui etiam in sequente versu habent : *contentio tua* pro *victoria tua.* — 55. νῖκος (νεῖκος) et κέντρον hoc ordine B ℵ C I M, aliqui minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.*; ordinem invertit *textus recept.* cum reliquis codd. — Item pro secundo θάνατε (mors) *textus recept.* habet ᾅδη (inferne); voluit, ut videtur, verba Pauli verbis prophetae conformare.

2. *God., Mey. Heinr.* etc., qui ob perversam suam huius loci interpretationem ipsum fidei symbolum mutare neque amplius « *carnis* resurrectionem » sed « *corporis* resurrectionem » profiteri volunt. Quin etiam *S. Hieronymum* in eadem sententia fuisse, *Mey. Heinr.* innuere videntur cum laude haec eius verba allegantes : « alia carnis, alia corporis

erronee ex his Apostoli verbis colligi, quod caro et sanguis secundum suam substantiam non sint resurrectura (cfr *Tert.* de res. carn. 48 sqq.; *S. Aug.* ad Cons. ep. 205 al. 146,2 etc.); neque enim de carnis substantia, sed de eius qualitate est sermo. Nam ex toto contextu patet, carnem et sanguinem hoc in loco designare corpus quod seminatur (*v.* 42 sq.), corpus animale (*v.* 44 sqq.), terrenum (*v.* 47 sqq.), illud ipsum quod in altero huius sententiae membro abstracte vocatur ἡ φθορά (*corruptio*) et statim (*v.* 53) concrete τὸ φθαρτόν (*corruptibile*); quibus expressionibus omnibus describitur corpus tale, quale ab Adamo haereditavimus et hac in terra gerimus. Rectissime et brevissime *S. Aug.* (l. c.) : « hoc ergo loco, inquit, nomine carnis et sanguinis corruptionem mortalitatis intelligi voluit »; neque minus recte *Theod.* : « carnem et sanguinem, inquit, mortalem naturam appellat; fieri autem non potest, ut dum adhuc est mortale regnum coeleste assequatur ». Egregie Patres (*Tert. SS. Aug. Hier. Thom.* etc.) cum plerisque iunioribus interpretibus ad Christi resurrectionem provocant, ut carnem secundum suam substantiam resurrecturam esse demonstrent : pro omnibus audiatur *S. Aug.* (Retract. I. 17. cfr II. 3; de civ. Dei XXII. 5. 21; ad Consent. ep. 205,2 etc.) : « Quisquis existimat, ita corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus coeleste resurrectione mutari, ut nec membra ista nec carnis sit futura substantia, procul dubio corrigendus est, commonitus de corpore Christi, qui post resurrectionem in iisdem membris non solum conspiciendus oculis, verum etiam manibus tractandus apparuit carnemque se habere etiam sermone firmavit dicens : Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (*Luc.* 24,39). Unde constat, Apostolum non carnis substantiam negasse in regno Dei futuram, sed... ipsam carnis corruptionem, quae tunc utique nulla erit ». Genuinam huius loci interpretationem, qua corpus et sanguis de animali corpore corruptibili, morituro, alimentis indigente intelligitur, inde a *Tert.* aetate plerique tradunt expositores; verum haud pauci ex iis cum aliis interdum quoque integrum locum ad mores transferunt, atque carne et sanguine aut opera carnis, quae *Gal.* 5,19 sqq. homines a regno Dei excludere dicuntur (*Chrys. Theoph.* etc., *Tert.* c. Marc. V. 10, *A*[ter], *Pel.* etc. *MEv*[1]. etc.), aut homines, qui secundum carnem vivunt (*S. Aug.* Retr. I. 17, *Dion.* etc., *MEv*[1]. etc.) intelligi volunt; quae

definitio est; omnis caro est corpus, non omne corpus est caro ». At non animadverterunt, S. Doctorem hanc verissimam sententiam proferre, ut Origenianorum fraudes detegeret, qui eadem ratione, qua moderni nostri haeretici, veram *carnis* resurrectionem negantes de *corporis* resurrectione, ut simplices fallerent, semper loquebantur (*S. Hier.* c. Ioan. Ierosol. 27; cfr ad Pamm. et Oc. ep. 84,5).

haud inepta quidem est verborum accommodatio, attamen a literali sensu longe aberrat.

Sed si fieri non potest, ut corpus nostrum mortale particeps fiat regni coelestis, quid de iis erit, quos in secundo suo adventu Christus superstites inventurus sit? Huic quaestioni respondet Apostolus proponens doctrinam, quam mysterium appellat, non tantum quia ad recondita et difficiliora religionis capita pertinet solaque revelatione innotuit, sed etiam quia ipse de hac doctrina revelatione speciali edoctus esse videtur; eodem modo de simili doctrina loquens se eam ἐν λόγῳ Κυρίου, i. e. « in verbo Domini sibi manifestato », proferre asserit (1 *Thess.* 4,14). 51. *Ecce mysterium vobis dico.* Ut autem hoc mysterium cognoscamus, praeprimis in genuinam huius versus lectionem inquiramus oportet.

Tres sunt, si a minoribus differentiis sensum vix ac ne vix quidem mutantibus abstrahimus, praecipuae lectiones :

1. ***Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*** (πάντες μὲν ἀναστησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα).

2. ***Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*** (πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα).

3. ***Omnes non dormiemus, sed omnes immutabimur*** (πάντες οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα).

Prima et secunda inter se sunt vicinae eandemque doctrinam exprimunt : omnes esse morituros et resurrecturos affirmant, sed omnes immutatum iri negant; tertia vero omnes morituros et resurrecturos esse negat, sed omnes immutatum iri asserit. Iam ***prima*** in uno solo cod. ***graeco*** (D) nec in ulla versione[1] praeter ***latinam*** reperitur; inter Latinos autem inde a ***Tert.*** aetate est vulgatior; omnes enim fere codd. eam exhibent et omnes fere Patres eam sequuntur. ***Secunda*** in sex graecis codd. reperitur (א A C F G et uno minusc.); quorum unus (A) tamen evidenter est corruptus, tres (F G et minusc.) tertiae lectionis vestigium retinent (cfr ***Est.***); alios quoque codd. graecos eam olim habuisse, testantur *S. **Hier.***, qui fuse de tribus his lectionibus disserit (ad Minerv. et Alex. ep. 119,2 sqq.) et *S. **Aug.*** (ad Cons. ep. 205,2); inter graecos Patres eam a S. Didymo A. receptam esse, tradit S. Hier.; ex verss. eam ***Arm.***, aliqui codd. ***Aeth.*** et testibus S. Aug. et S. Hier. antiquitus aliqui codd. ***latini*** exhibebant. ***Tertia*** demum communis dici potest inter Graecos; longe maior numerus codd. (B E K L P et omnes fere minusc.) eam habent et omnes fere Patres (***Orig. S. Greg Nyss. S. Caes. Chrys. Cyr. Theod.*** etc.) eam exponunt. Inter versiones eam tuentur ***Syr. Copt. Goth.***, codices multi ***Aeth.***, et teste S. Hier. olim quoque in haud paucis ***latinis*** codd. erat; *S. Hier.* ipse (ad Marc. ep. 59,3 et in Is.

1. In duabus editionibus armenis (Amstelod. et Constant.) ad marginem est addita; utrum vero ex antiquiore codice sit desumta, an ab editoribus iuxta Vulgatam translata, non constat.

51,6) eam velut genuinam adhibet, licet in ep. ad Minerv. et Alex. eam dumtaxat velut probabilem admittat.

Maior igitur testium criticorum auctoritas tertiam omnino commendat, ut saltem dicenda sit probabilior; certa autem redditur, si ad varias rationes, quas contextus suppeditat, attentionem convertimus. Etenim 1.) ea, quae sequuntur (*in momento* etc.), nullo modo cum secunda lectione componi possunt : quid enim sibi vult : « omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur, *in momento;* canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur »? Melius cum prima consonat, sed admodum durum admittendum est hyperbaton : « omnes quidem resurgemus (sed non omnes immutabimur) in momento ». Optime fluit tertia : « non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur in momento » etc. — 2.) Prima et secunda necessario explicandae sunt de resurrectione universali : iusti et iniusti omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur in statum gloriosum, in quem soli iusti immutabuntur. At in toto hoc tractatu de solorum iustorum resurrectione egit Paulus; quid igitur sibi hic vult resurrectio reproborum? Et quomodo Paulus adhibita prima persona (*non omnes immutabimur*) sese ipsum inter eos, qui in statum gloriosum non immutabuntur, numerare potuit? Quomodo, si hic dicit, non omnes resurgentes mutatum iri, in versu sequente dicere potuit : « mortui resurgunt incorrupti (ergo mutati) et nos immutabimur »? Ubi enim manet tertia classis reproborum, qui non mutabuntur? — 3.) Iuxta primam et secundam lectionem explicari nequit, qua in re situm sit mysterium, quod sese esse revelaturum Paulus dicit. Neque enim situm est in universali iustorum et iniustorum resurrectione, quam clarissimis verbis iam Dominus ipse annuntiaverat (*Ioan.* 5,28. 29) quamque Apostolus ipse Atheniensibus ethnicis iam praedicaverat (*Act.* 17,18. 32) et in hoc tractatu saltem insinuaverat (*v.* 26); neque in eo, quod reprobi non sint accepturi corpus gloriosum, siquidem hoc per se clarum est; neque in eo, quod subita (*in momento* etc.) futura sit resurrectio, nam secundarium hoc est rei momentum, ad quod Apostolus in tota sua argumentatione non attendit. Iuxta tertiam vero lectionem res est clara; iustos ante adventum Domini mortuos gloriose esse resurrecturos, Apostolus in praecedentibus demonstraverat; restabat igitur, ut de sorte illorum, quos iudex adveniens vivos esset inventurus, neophytos edoceret; atque hunc in finem revelat, illos non esse morituros sed vivos transmutatum iri in statum gloriosum. Tam magnum est hoc mysterium, ut etiam hodie multi theologi illud cum universali mortis lege conciliare nequeant.

Addi potest, solam tertiam lectionem cum reliqua Pauli doctrina consonare, quippe qui aliis quoque in locis non omnes esse morituros supponat. Clarissimum est eius testimonium in 1 *Thess.* 4,14 sqq., de quo ipse *S. Aug.* (ad Dulcit. qu. 3. cfr ad Mercat. ep. 193,3) : « Revera quantum ad verba Apostoli attinet, videtur asserere, quosdam in fine saeculi adveniente Domino, quum futura est resurrectio mortuorum, non esse morituros, sed vivos repertos in illam immortalitatem, quae sanctis etiam ceteris datur, repente mutandos et simul cum illis rapiendos, sicut dicit in nubibus. Nec

aliquid aliud mihi visum est, quoties de his verbis volui cogitare... Proinde ubi dicit Apostolus : et nos qui reliqui sumus etc., vellem, uti dixi, de his verbis audire doctiores; et si mihi potuerint haec ita exponi, ut in eis possit intelligi, omnes homines, qui vivunt vel post nos victuri sunt, esse morituros, corrigerem quod hinc aliquando aliter senserim ». Atque *S. Thom.* quoque fatetur, tertiam lectionem cum 1 *Thess.* 4. magis consonare, « ut sicut ibi, et hic connumeret se vivis » Apostolus. Cum eadem etiam consonat 2 *Cor.* 5,1 sqq., id quod ex illius loci explicatione patebit. Neque solius S. Pauli est haec doctrina, non omnes esse actu morituros, sed aliis Scripturis quoque confirmatur. Etenim in sua ultimorum temporum descriptione *Luc.* 21, 25 sqq. omnino insinuat homines esse superstites, qui advenientem Dominum sint visuri. Primi quoque Christiani, qui ex Domini verbis : « si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? » Ioannem non esse moriturum collegerunt, quia « manere usque ad adventum Domini » et « non mori » illis unum idemque fuit, ab Evangelista non vituperantur, quod duabus illis expressionibus idem significari assumserint, nec quod fieri posse supposuerint, ut aliqui a morte liberi maneant, sed quod hypotheticam Domini sententiam in absolutam converterint (*Ioan.* 21,22 sq.). S. Petrus demum, si Iesum iudicem *vivorum et mortuorum* constitutum esse asserit (*Act.* 10,42), et Ecclesia, si Iesum venturum iudicare *vivos et mortuos* in symbolo profitetur, iuxta naturalem et proprium verborum sensum eandem doctrinam enuntiant, quae tertia huius loci lectione docetur (cfr *S. Aug.* ad Merc. ep. 193,4; ad Dulcit. qu. 3. etc.).

At nonne « statutum est *omnibus* hominibus semel mori » (*Hebr.* 9,27), quia ab Adamo « mors in *omnes* pertransiit, eo quod omnes peccaverunt » (*Rom.* 5,12), ita ut « in Adamo *omnes* moriantur » (1 *Cor.* 15,22)? Procul quidem dubio multis in locis Scriptura universalem esse mortem docet, utpote poenam peccati, quod omnes homines ab Adamo contraximus; sed his sententiis quaestio, de qua agitur, non definitur. « Nam si Deus, inquit *S. Aug.* ad Merc. ep. 193,3), qui tam multis fidelibus suis donat ipsa peccata, voluit quibusdam donare etiam poenam peccati : qui nos sumus, qui respondeamus Deo, cur alius sic, alius autem sic? » Similiter *S. Thom.* (Summ. theol. II. 1. qu. 81 a. 3. ad 3): « etsi illi (sc. qui in adventu Domini superstites sunt) non moriantur, est tamen in eis reatus mortis, sed poena aufertur a Deo, qui etiam peccatorum actualium poenas condonare potest ». Quibus responsionibus suppositis valet etiam *Caietani* (in 1 Thess. 4,16) distinctio : « statutum mortis est regulare, illos autem non mori singulare est ». Quoniam totam hanc quaestionem hoc loco tractare non licet, adnotasse sufficit, sententiam, iustos, quos Dominus adveniens vivos repererit, non esse morituros sed, ut S. Aug. verbis utar, « ex hac mortalitate ad immortalitatem sine media morte transituros » unanimi fere consensu a graecis Patribus tradi atque inter latinos Patres quoque suos habere patronos (*Tert.* de res. carn. 41. 42; *S. Hier.* ad Marc. ep. 59,3; in Is. 51,6 etc.). S. Augustinus vero in oppositam sententiam, quamvis eam pro certa numquam assereret, omnino inclinavit; illam enim, quae communis est inter Graecos, nostri

versus lectionem plane ignoravit; id quod satis est mirum, siquidem teste S. Hieronymo etiam in latinis codicibus eo tempore aliquoties inveniebatur (cfr *S. Aug.* de civ. Dei XX. 20; Retract. II. 33; ad Merc. et ad Dulc. ll. cc. etc.). Porro magna S. Augustini auctoritas effecit, ut iuniores Latini in eam sententiam, quam praetulerat, inclinarent, immo aliqui eo usque progrederentur, ut eam de fide tenendam aut tam certam, ut opposita sit temeraria, proclamarent. Tantum vero abest, ut certa sit, ut inter summos theologos aliqui eam dumtaxat « probabilius et convenientius teneri », « securiorem et communiorem » (*S. Thom.* Summ. theol. II. 1. qu. 81. a. 3; Suppl. qu. 78. a. 1.), « probabiliorem » esse (*Suar.* in Summ. III. qu. 56. Disp. 50. sect. 2) dicant, alii eam sine ullo scrupulo plane reiiciant (*Cai.* in h. l., in 1 Thess. 4. etc.) Graecorumque sententiam, quae nobis quoque veritati magis consentire videtur, amplectatnur [1].

Quae quum ita sint, nihil obstat, quominus lectionem, quam testium criticorum auctoritas commendat et contextus omnino postulat, cum plerisque modernis interpretibus (*Est. Mai. Bisp. Dr. Rumb.* etc.) adoptemus; neque enim Tridentino decreto de Vulgatae authentia nos hoc in loco, quamvis textus sit dogmaticus, ad amplectendam Vulgatae lectionem cogi, alibi demonstravimus (*Introd. gen.* in libr. sacr. p. 456 sqq.; *Compend.* Introd. p. 114 sq.).

Itaque magnum mysterium, quod Apostolus neophytis revelat, est hoc : *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur* 52. *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba.* Magnum profecto hoc est divinae misericordiae mysterium, quod Deus tot millibus iustorum (de reprobis Apostolus non loquitur) poenam mortis condonare eosque sine media morte ita ad gloriam perducere velit, « ut absorbeatur, quod mortale est, a vita » (2 *Cor.* 5,4). Haud inepte autem censet *Tert.* iustis illis hoc privilegium, ut « compendio mortis per demutationem expunctae concurrant cum resurgentibus », propter duritias temporum Antichristi esse reservatum (de resurr. carn. 41). Non desunt interpretes, qui tertiam hanc lectionem praeferentes atque nihilominus iuniorum Latinorum opinionem, iuxta quam a mortis poena subeunda nemo excipietur, retinere volentes verbum *dormiendi* cum *Oec.* de diuturna mortis dormitione explicant, ita ut iusti illi gustaturi quidem sint mortem, sed statim ad vitam redeuntes *somnum mortis* non sint capturi (*Est.* etc.); cui explicationi coniectura S. Augustini consonat, superstites eo ipso tempore, quo obviam Christo in nubibus rapiantur (1 *Thess.* 4,16), et morituros et mutatos resurrecturos esse (de civ. Dei XX. 20). At non tantum nulla est ratio, quae hanc explicationem probabilem reddat, sed in ipso nostro loco non desunt momenta, quae

1. Cfr *A. Delattre* S. I. Le second avènement de Jésus-Christ et la dernière génération humaine. Louvain, 1881. (Extrait de la Revue catholique de Louvain.)

eam plane excludant. Neque enim ullum in eo est mysterium, quod illi, qui non nisi adveniente iudice sint morituri, diuturno mortis somno non detineantur, quum hoc per se sit clarum. Porro Apostolus, si omnes morituros credidisset, interrogantibus neophytis, quid sibi in adventu Domini superstitibus eventurum esset, sine ulla verborum ambagine aut mysterii iactatione respondere potuit ac debuit : « vos quoque moriemini, sed mox cum fratribus vestris antea defunctis incorrupti resurgetis » ; verum haec non respondet, sed « *mortui* resurgent incorrupti, *et nos* immutabimur » (*v.* 52). Demum ad omnem quasi intermediae mortis cogitationem auferendam describit celeritatem futurae immutationis : *in momento*, *in ictu oculi*, atque expressius in graeco : ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, i. e. in puncto temporis, quod dividi non potest (cfr *S. Aug.* ad Cons. ep. 205,2) ; dividi autem potest istud punctum, si in illo prius habetur mors ac deinde immutatio et resurrectio. Nullo igitur modo nobis ista explicatio probatur, sed cum *Chrys.* aliisque Graecis, cum *Tert. S. Hier. Cai.* plurimisque modernis admittimus, superstites ita mutatum iri, ut « corpus ab anima non deseratur, sed anima habitante in corpore fiat inclytum, quod antea inglorium fuit » (*S. Hier.* ad Marc. ep. 59,3).

Ad subiectum huius sententiae quod attinet, Paulus primam personam plur. adhibens sese eis, quos adveniens Dominus vivos sit reperturus, accensere videtur; haec fuit ratio, qua permotus *S. Hier.* lectionem nostram antea a se adoptatam reiecit, ne Apostolum, qui cum omnibus suis aequalibus ante adventum Domini mortuus esset, erroris incusare cogeretur (ad Minerv. et Alex. ep. 119,7 sqq.). Revera moderni nonnulli (*Mai. Bisp.* — *Mey.* et multi acath.) ex hac sententia colligunt, Paulum erronee putasse suo iam tempore Dominum esse adventurum seseque inter eos fore, qui absque morte ad gloriam perveniant. Verumtamen Apostolus, qui in praecedente quadam epistolae parte eodem loquendi modo usus se iis accenset, quos Deus a mortuis sit resuscitaturus (6,14), variasque periodos fore aetatis messianicae insinuat (10,11), qui deinde paucis mensibus postea se ignorare insinuat, utrum Dominus ipsum corpore vestitum an eo despoliatum sit inventurus (2 *Cor.* 5,3), quin etiam se iterum iis accenset, qui sint resurrecturi (2 *Cor.* 4,14), profecto hoc in loco iis, qui resuscitatione non indigeant, sese adnumerare non potuit (*cfr ad* 7,26). Primam personam plur. igitur hic, uti in reliquis istis locis, sensu qui vocatur communicativo adhibitam esse, iure monuerunt Patres (*S. Aug.* de civ. Dei XX. 20 ; *S. Chrys.* i. h. l. et in 1 Thess. 4). Tempus enim, quo venturus sit Dominus, plane ignorans integram omnium temporum Ecclesiam uno quasi conspectu complectitur atque « illorum, quos viventes inventurus est Christus,

personam in se atque illos qui tunc vivebant (iustos) transfigurabat Apostolus » (*S. Aug.* l. c.). Cunctos autem iustos in fine mundi superstites Paulus suo *omnes* bis repetito comprehendit eosque omnes non esse morituros sed omnes mutatum iri asserit. Immerito igitur cum *Chrys.* haud pauci interpretes negationem transponentes explicant, ac si scriptum esset : « *non omnes* moriemur, sed omnes transmutabimur »; neque rectius moderni aliqui nescio quam constructionis implicationem admittentes ad eundem sensum pervenire conantur : « nos omnes — non moriemur quidem omnes, sed — omnes immutabimur » (cfr *Mai.* — *Billr. Olsh.* etc.). Verbum immutandi enim hac in sententia sensu latiore, quam in sequente, explicare non licet; itaque quia in sequente de iis solis, qui non resurgent, adhibetur, in hac sententia simul de resurgentium et de non resurgentium immutatione intelligi nequit, quamvis non sit dubium, quin etiam corpora mortuorum, quum incorrupta et gloriosa resurgant, mutationem sint subitura.

Iam vero immutatio iustorum superstitum eodem tempore fiet, quo mortuorum resurrectio, sc. *in novissima tuba; canet enim tuba* (σαλπίσει γάρ, *tuba* est nominat. non ablat.) *et mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur*. « Tubae nomine, inquit *S. Aug.* (ad Honor. ep. 140, al. 120,34) aliquod evidentissimum et praeclarissimum signum vult intelligi, quam vocem archangeli et tubam Dei alio loco dicit (1 *Thess.* 4,15), quae etiam vox ipsius Domini Iesu Christi in Evangelio dicitur, quam audient ii, qui in monumentis sunt et procedent (*Ioan.* 5,28) ». Antiqui plerique metaphoricum esse hoc tubae nomen recte statuunt, et metaphoram desumtam putant ab usu tubarum ad integrum populum convocandum et ad castra movenda praescripto (*Num.* 20,1 sqq.); nescio tamen, annon in hac imagine tuba, quae populum ad audiendam legem convocavit (*Exod.* 19,13. 16), Apostolo prae oculis versata sit. Quodnam porro evidentissimum signum intelligatur, non liquet; iuxta aliquos ipsum iussum Dei (τὸ κέλευσμα τοῦ Θεοῦ cfr 1 *Thess.* 4,16) intelligi oportet (*Theod.*), iuxta alios vocem Christi (*Thom* [1].) vel alicuius archangeli (*Dion* [3].), iuxta alios solam « praesentiam Christi mundo manifestam » (*S. Greg. M.* cfr *Thom.* [2]), iuxta alios magnam animorum commotionem subito exortam (*Mai.* — *Olsh.*) etc.; quibus coniecturis inhaerere, quia certi nihil definiri potest, superfluum est. *Novissima* autem videtur vocari tuba, quia ultimum erit signum, quod in praesente hoc saeculo dabitur; adventu enim Christi hoc saeculum terminabitur novaque regni messianici periodus in nova terra et in novo coelo inchoabitur. Inter Graecos tamen aliqui de septima et ultima tuba Apocalypseos (*Apoc.* 11,15 sqq.) cogitarunt (cfr *Theoph.*), et inter modernos quoque nonnulli varia tubae signa distinguenda cen-

sent, de quorum ultimo Apostolus loquatur (*Mai.* etc.); at S. Ioannis visio huc trahi nequit, quia ad septimam eius tubam nondum habetur finis mundi nec resurrectio, S. Paulus vero finem describens de una tantum tuba semper loquitur (cfr 1 *Thess.* 4,15). Multo minus insanas iuniorum rabbinorum fabulas conferre licet de septem tubis, quae singulae singulos resurrectionis actus regant[1].

Ad certum igitur signum, quo Christus integro mundo adventum suum tam clare et evidenter manifestabit, ut ignorantiae aut dubitationi non relinquatur locus, eodem brevissimo temporis momento resurgent mortui incorrupti, i. e. gloriosis corporibus induti, et vivi superstites in eandem gloriam immutabuntur, ut deinde simul omnes, nullo alterum praeveniente, Christo de coelis descendenti obviam rapiantur (1 *Thess.* 4,16). Utrumque enim absolute necessarium esse iterum Apostolus inculcat : 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem.* Quamquam ambo membra quum de mortuorum resurrectione tum de vivorum immutatione apte intelligi possunt et a nonnullis intelliguntur, nexus tamen huius sententiae cum praecedente omnino suadet, ut in priore membro Apostolum de resurrectione, in altero de immutatione loqui dicamus. Simili autem modo, quo 2 *Cor.* 5,2 sq., hic quoque corpus gloriosum velut vestem considerat, quod mortui induturi, vivi superinduturi sint; cur vero utrique incorruptibili et immortali corpore induantur *oporteat,* clarum est; nam *caro et sanguis* regnum Dei possidere nequeunt (*v.* 50).

Quo mysterio de vivorum superstitum futura immutatione revelato et explicato clarius iam apparet, quam completa futura sit Christi victoria de morte : 54. *Quum autem* (corruptibile hoc induerit incorruptionem et) *mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria* (lege : *in victoriam,* εἰς νῖκος). Sollemnior est graviorque sententia, si cum communiore lectione graeca, quam antiqui quoque Latini sequuntur (*cfr* VV. LL.) ambo praecedentis versus membra repetuntur. Tunc utique, quando mortui resurrexerint incorrupti et vivi erunt transmutati, victoria Christi erit completissima; neque enim tantum omnis praeda, quam retinuit, sed etiam omnis nocendi potestas morti erit erepta, quum nihil amplius inventura sit, quod sibi subiiciat aut in quod dominium

1 Iuxta Rabbi Akibae doctrinam (cfr *Eisenmenger* Entdecktes Iudenthum II. p. 929) Deus ipse septies tuba canet, ut signum usque ad ultimos terrae fines audiatur; « ad primum tubae signum commovebitur terra, ad secundum pulveres separabuntur, ad tertium congregabuntur ossa, ad quartum calefient membra, ad quintum capita tegentur (capillis), ad sextum animae et spiritus in corpora intrabunt, ad septimum vivi stabunt supra pedes suos ».

exerceat. Tunc igitur a beatis triumphantibus iure merito usurpabuntur verba prophetae, mortem in victoriam esse absorptam, i. e. ita devictam ac profligatam, ut a victorioso suo adversario quasi absumta et devorata esse videatur. Verba *fiet sermo* a plerisque interpretibus de impletione vaticinii haud inepte intelliguntur (tunc *implebitur* sermo); at aptior videtur esse explicatio, quam insinuavimus (*sermo fiet*, i. e. *dicetur* vel *pronuntiabitur*; cfr Ioan. 10,35) ut Apostolus sese in illud tempus mente transponens beatos verbis prophetae victoriam Christi celebrantes audiat. Huic enim explicationi sequentia magis consonant, quae beatorum iubilum continuant : 55. *Ubi est, mors, victoria tua? ubi est mors, stimulus tuus?* Mortem sc., quae persona fingitur, insultantes beati per ironiam interrogant, ubi demum sit victoria, quam de mortuis iam reportasse sibi videbatur, et stimulus vel aculeus, quo vivos persequebatur sibique subiicere conabatur (cfr *S. Cyr.* in 2 *Cor.* 5,5). Significatur autem, uti patet, omnem potestatem dominationemque morti ita esse ablatam, ut plane disparuerit.

Ubinam scripta essent verba : *absorpta est mors in victoriam*, nonnulli antiqui (cfr *Thom.* etc.) inquirebant, quum in Vulgata nostra non legantur; sed dubium non est, quin Apostolus ea ex *Is.* 25,3 desumserit, uti recte iam monet *S. Hier.* (in Is. 25,6); at nec textum septuagintaviralem secutus est, in quo legimus : κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας (*absorpsit mors praevalens*) nec massorethicam punctationem expressit, quam recte reddidit S. Hier. : *praecipitavit (Deus) mortem in sempiternum*, sed aliis punctis consonantes hodierni textus instruens pro Piel, quod exprimit S. Hier., legit Pual : בֻּלַּע הַמָּוֶת לָנֶצַח, id quod recte verti potest : *absorpta* (vel : *praecipitata*) *est mors in victoriam*; nam נֶצַח (a rad. נצח splenduit, metaph. eminuit, vicit, etc.), etsi plerumque perpetuitatem significat, ab alexandrinis tamen aliisque antiquis interpretibus haud raro νῖκος (*victoria*) recte redditur (2 *Sam.* 2,26 cfr *de Hummelauer* Comment. in libros Sam. p. 281; *Iob* 36,7 etc.); ceterum sensus vix mutatur, si significatio perpetuitatis praefertur; in eo autem, quod passivo redduntur a Paulo, quae active exprimuntur a text. mass. et Vulg., nulla habetur difficultas. Porro illa in libri sui parte propheta descripto iudicio universali (*Is.* 24,1-25) tres iudiciorum divinorum fructus recenset (25,1-12), inter quos secundum locum tenet beatitudo iustorum, quibus Deus dona sua largiturus est : inter alia autem Deus « praecipitabit mortem in perpetuum et auferet lacrymam ab omni facie » etc. (cfr accuratam loci expositionem apud *Knabenbauer* Comm. in Isaiam. I. p. 467 sqq.).

Alia verba (*ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?*) ex *Os.* 13,14 iuxta Alexandr. desumta esse recte censentur, ut sine ullo scrupulo expressionem *fiet sermo, qui scriptus est* ad illa extendere liceat; uti aliis in locis (cfr *Rom.* 3,10 sqq.), variorum scriptorum sacrorum verba Paulus coniunxit. Aliquantulum tamen ab Alexandrinis dissentit, qui haec habent : ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη; (ubi causa tua [vel : iudicium tuum], mors? ubi stimulus tuus inferne?) Est autem δίκη vocabulum forense, quo et causa, quae coram iudicibus agitur, et iudicum sententia designatur; sensus igitur prioris membri est, ubi sit causa, quam mors contra homines in Dei iudicio agebat et de qua victa iam triumphabat,

vel : ubi sit sententia, quam contra omnes homines pronuntiabat quaque eos subiectos tenebat. Sensu igitur non mutato Apostolus pro vocabulo illo forensi aliud elegit, quod cum imagine antea adhibita (v. 26) magis congrueret. Eundem fere sensum quoque praebet textus massorethius : *ubi pestes tuae, o mors? ubi lues tua, inferne?* Pestibus enim et lue mors homines impugnat; quae arma si ei eripiuntur, nihil amplius habet, quo vincat aut quo vulneret adversarios suos. Atque S. Hieronymi quoque versio, quamvis minus accurata sit et interrogationis forma sublata omnem vim energiamque sententiae enervet, sensum generalem attingit[1]. Iam vero propheta illo in loco proxime et directe quidem Israelitis promittit fore, ut eorum regnum restauretur ipsique a mortis faucibus eripiantur; sed iure merito plerique interpretes redemtionem per Messiam afferendam iisdem verbis typice praedictam vident; etenim « verba ita sunt conformata, ut plenissimam victoriam, plenissimam malorum restaurationem, mortis abolitionem enuntient » ideoque in sola Messiae victoria omnimodam suam impletionem invenire potuerint (cfr *Knabenbauer* Comm. in proph. minor. I. p. 173 sq.).

Quis vero mortis sit stimulus et quam infestus sit, Apostolus breviter explicat, ut Deo de completa victoria, quam nobis in Christo dedit, gratias agat : 56. *Stimulus autem mortis peccatum est; virtus vero peccati lex.* Iuxta *S. Aug.* (de peccat. merit. et remiss. III. 11 etc.), quem *Thom. Cai.* aliique sequuntur, in expressione *stimulus mortis* genitivus est obiectivus, uti moderni grammatici loquuntur, non subiectivus; aculeum enim intelligit, quo mors producatur, non vero aculeum, quo mors ipsa ad nocendum utatur : etenim « sic dictum est *aculeus mortis,* inquit, quomodo lignum vitae, non quod hominis vita faceret, sed quo hominis vita fieret; et quomodo lignum scientiae, per quod scientia fieret hominis, non quod per suam scientiam fecerit homo. Sic ergo et aculeus mortis, quo mors facta est, non quem mors fecit. Sic enim dicimus et poculum mortis, quo aliquis mortuus sit vel mori possit, non quod mortuus moriensve fecerit ». At salva tantorum doctorum auctoritate alii interpretes genitivum esse subiectivum rectius statuunt, et uti per se patet non « aculeum, quem mors fecit », sed aculeum, quo velut telo mors utitur, intelligunt. Namque Apostolus de gloriosa mortuorum resurrectione et vivorum immutatione, qua iusti dominio mortis eripiuntur, agens mortem ceu periculosum hostem depingit, qui genus humanum armis suis invadit. Ex peccato autem mors totum suum habet robur vel « suam naturam » (*Theod.*), siquidem per peccatum mors in mundum intravit et in omnes, quia peccato

1. S. Hieronymus Aquilam et Theodotionem, ut videtur, secutus vocabulum אֱהִי, quod duobus versibus antea pro particula interrogativa recte habuit et latino *ubi* vertit, hoc in loco pro forma verbali sumsit (אֱהִי i. q. אֶהְיֶה, uti יְהִי i. q. יִהְיֶה); hinc minus accurata eius versio : *ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne.* Ceterum ex parallelismo elucet, שְׁאוֹל et מָוֶת (*infernus* et *mors*) heic eodem sensu usurpari.

infecti sunt, pertransiit (*Rom.* 5,12). Quamobrem Paulus peccatum velut instrumentum, quo mors homines occidit, considerare potuit illudque eius κέντρον appellat de letifero scorpionis aculeo (*Apoc.* 9,10) procul dubio cogitans, minime vero de stimulo ferreo, quo boves concitantur (*Act.* 9,5; 26,14). Aptissime igitur *Cyr.* aliique mortem scorpioni comparari censent, qui ipse quidem vile sit animalculum, sed aculeo suo, quo adversarium vulnerat eique venenum inspergit, fortissimos quosque vincat; per se enim et absque peccato mors quoque nihil est nec quidquam potest, at per peccatum dominium in totum genus humanum acquisivit. Peccatum porro, quod mortis aculeus vel stimulus vocatur, est originale (ἡ ἁμαρτία), quo omnes homines sunt infecti quodque occasionem et incitamentum a lege accipiens in iis operatur omnem concupiscentiam; sine lege enim peccatum mortuum est (*Rom.* 7,8). Quam ob causam Apostolus, ne quis putaret, peccatum lege data esse ablatum ac proin mortem iam amplius non possidere aculeum suum, addere voluit, virtutem peccati esse legem; quae in verba optime *S. Thom.* (Summ. theol. II. 1. qu. 55 a. 3. ad 2) : « virtus peccati dicitur lex, inquantum sc. per legem occasionaliter est peccatum augmentatum et quasi ad maximum suum posse pervenit »[1]. Lege igitur mosaica (hanc enim addito articulo designat Paulus : ὁ νόμος) tantum abest, ut peccatum, mortis aculeus, sit sublatum, ut veram suam virtutem aquisiverit.

Quae vero lex praestare non potuit, ea praestitit Christus, uti in brevi gratiarum actione Paulus innuit : 58. *Deo autem gratias, qui dedit* (lege : *qui dat*, διδόντι) *nobis victoriam per Dominum N. Iesum Christum.* Morte enim sua Christus legem abolevit et maledictum legis auferens peccato virtutem ademit; pro peccato ipso satisfecit nosque a peccato redimens morti aculeum abstulit; hac igitur ratione mortem ipsam plane devicit et destruxit. Praesente autem tempore (διδόντι) utitur Apostolus, ut victoriam hanc, quam Dominus gloriosa sua resurrectione in se iam reportavit, quae autem nobis adhuc futura est, velut certissimam designet. Perbene (*Ps.*) *Athan.* (de pass. et cruce Dom. 26. M. 28,229) : « Sicut animalculum quoddam, cui nomen

1. Cfr *S. Aug.* Opus imperf. c. Iulian. VI. 41 : « Ita dixit Apostolus : *aculeus autem mortis est peccatum; virtus vero peccati, lex,* tamquam diceret : Aculeus quidem mortis est peccatum, quia peccato etiam mors ista corporis facta est : cuius auctori vel ipsi etiam morti dicetur in fine ab eis, quibus in gloria resurgentibus absorbebitur : *ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus?* Sed iste aculeus, i. e. peccatum, per unum ingrediens et in omnes homines cum morte pertransiens, aliis quoque additis multiplicatus, nec lege sancta et iusta et bona quivit auferri; virtus enim potius eius effecta est, quum prohibita concupiscentia magis ardesceret et ad praevaricationis cumulum perveniret ». Similiter ad Simplic. I. qu. 1.; de spir. et lit. 4 sqq. etc.

vespa, si cum petra congreditur, nihil illam impetu suo laedit, sed potius suum aculeum amittit : ita et mors congrediens cum vita. quae est Christus, multum frustrata est; neque enim potuit cum morte detinere, sed potius aculeum perdidit, ita ut qui olim aculeum reformidabant, iam irrideant illam dicentes : Ubi est, mors, victoria tua? ubi, mors, aculeus tuus »? Nonnulli ex hoc loco per sensum consequentem, ut videtur, deducunt, omnem de peccato victoriam, quae ad salutem conducat, adscribendam esse gratiae Dei per Christum, sine qua proinde nulla peccati tentatio salutariter vinci possit (cfr *Est.*); num vero haec doctrina aliunde certa ex his verbis, si in suo considerantur contextu, recte comprobetur, mihi valde est dubium.

Terminato tractatui de resurrectione exhortatiunculam quandam addit, in qua proxime quidem ad victoriam, quam nobis certam esse dixit, sed simul ad totam suam argumentationem respicit, qua victoriae certitudinem demonstravit : 58. *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Quia Deus nobis dat victoriam de morte et peccato per Christum, ideo possunt ac debent firmi stare in fide futurae resurrectionis, ita ut ab ea amoveri se non sinant : neque hac fidelitate contenti abundare quoque semper debent *in opere Domini;* qua appellatione hoc in loco non designatur solum ministerium in propagando Evangelio (*cfr* 16,10; *Phil.* 2,30 etc.), sed omne opus bonum, quod Domini esse recte dicitur, et quia ab eo praeceptum est (*Theoph.* etc., *Herv.* etc.), et maxime quia non nisi eius gratia adiuvante impleri potest. In certa demum futuri praemii persuasione hic ardor fundatur ; scimus enim, laborem vel potius defatigationem nostram (κόπος labor cum fatigatione) non esse κενόν, i. e. fructu suo non carere, quia nobis merebitur gloriosam resurrectionem. Ultima verba *in Domino* non minus ad subiectum quam ad praedicatum pertinere videntur. Labor enim noster, ne fructu suo careat, in Christo fieri debet, atque fructum, qui speratur, Christus nobis largietur. Clarissime hac sententia docetur, in operibus nostris bonis omnino licere nobis ad retributionem mercedis a Deo propositae attendere (*cfr ad* 9,23).

EPILOGUS (16,1-24).

In epistolarum suarum epilogis Apostolus haud raro salutationibus, quas fere numquam omittit, benedictionique apostolicae nonnulla minora praemittit, quae neophytis aut commendare aut cum iis communicare voluit. Eadem ratione in hoc epilogo Corinthios primum de modo edocet, quo collecta quaedam pro pauperibus fratribus ierosolymitanis sit instituenda promittitque se mox ad eos esse venturum et diutius apud eos permansurum (16,1-9), deinde Timotheum, quem Corinthum ablegaverat eis commendat nonnullisque de Apollo insertis legatos Corinthiorum laudibus exornat (16,10-18), demum salutationes varias benedictionemque suam addit (16,19-24).

1. *De collecta instituenda et de proximo Pauli adventu* (16,1-9).

16,1. *De collectis autem quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesiis Galatiae, ita et vos facite.* 2. *Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens, quod ei bene placuerit : ut non, quum venero, tunc collectae fiant.* 3. *Quum autem praesens fuero : quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem.* 4. *Quod si dignum fuerit, ut et ego eam, mecum ibunt.* 5. *Veniam autem ad vos, quum Macedoniam pertransiero : nam Macedoniam pertransibo.* 6. *Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis, quocumque iero.* 7. *Nolo enim vos modo in transitu videre : spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.* 8. *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten.* 9. *Ostium enim mihi apertum est magnum et evidens : et adversarii multi.*

16,1. Περὶ δὲ τῆς λογίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους ὥσπερ διέταξα ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας, οὕτως καὶ ὑμεῖς ποιήσατε. 2. κατὰ μίαν σαββάτου ἕκαστος ὑμῶν παρ' ἑαυτῷ τιθέτω θησαυρίζων ὅ τι ἐὰν εὐοδῶται, ἵνα μή, ὅταν ἔλθω, τότε λογίαι γίνωνται. 3. ὅταν δὲ παραγένωμαι, οὓς ἂν δοκιμάσητε, δι' ἐπιστολῶν τούτους πέμψω ἀπενεγκεῖν τὴν χάριν ὑμῶν εἰς Ἱερουσαλήμ· 4. ἐὰν δὲ ἄξιον ᾖ τοῦ κἀμὲ πορεύεσθαι, σὺν ἐμοὶ πορεύσονται. 5. Ἐλεύσομαι δὲ πρὸς ὑμᾶς, ὅταν Μακεδονίαν διέλθω. Μακεδονίαν γὰρ διέρχομαι, 6. πρὸς ὑμᾶς δὲ τυχὸν καταμενῶ ἢ παραχειμάσω, ἵνα ὑμεῖς με προπέμψητε, οὗ ἐὰν πορεύωμαι. 7. οὐ θέλω γὰρ ὑμᾶς ἄρτι ἐν παρόδῳ ἰδεῖν· ἐλπίζω γὰρ χρόνον τινὰ ἐπιμεῖναι πρὸς ὑμᾶς, ἐὰν ὁ Κύριος ἐπιτρέψῃ. 8. ἐπιμενῶ δὲ ἐν Ἐφέσῳ ἕως τῆς πεντεκοστῆς. 9. θύρα γάρ μοι ἀνέῳγεν μεγάλη καὶ ἐνεργής, καὶ ἀντικείμενοι πολλοί [1].

1. *VV. LL.* — 2. κατὰ μίαν σαββάτου (*per unam sabbathi*) B A C D E F G I P, paucissimi minusc. et PP., *It. Vulg. Syr.*; sed *textus rec* : κατὰ μίαν σαββάτων (per unam sabbathorum) cum K L M, plerisque minusc. et PP., *Copt. Arm. Goth.* — εὐόδωται (pros-

Ad opera Domini, in quibus Corinthios abundare vult Apostolus (15,58), etiam pertinet misericordia erga pauperes; apte igitur praecedenti exhortationi adnectitur monitum de eleemosynis pro ecclesia ierosolymitana colligendis. In concilio apostolico, quum Apostoli inter se provincias distribuissent, Paulus et Barnabas ad ethnicos convertendos proficiscentes se pauperum ierosolymitanorum memores fore promiserant (*Gal.* 2,9 sq.). Cuius promissi ut sollicitus fidem praestaret, Apostolum magnus, quo erga populum suum flagrabat, amor impulit; quodsi enim pro infidelibus Iudaeis, qui cognati eius erant secundum carnem, ut eos ad fidem adduceret, optabat anathema esse a Christo (*Rom.* 9,3), maiore dilectione procul dubio fideles fratres suos secundum carnem amplectens miseriam eorum sublevare omni quo potuit modo conabatur. Itaque in tertio suo itinere apostolico illas ecclesias, quas in primo iam itinere in meridionalibus provinciae Galatiae partibus fundaverat, peragrans (*Act.* 18,23) collectas fieri iussit, quibus pauperes ierosolymitani sustentarentur; Ephesum deinde advectus ibique residens Corinthiis, antequam hanc epistolam scripsit, easdem collectas commendavit (2 *Cor.* 8,10), atque Epheso profectus Corinthiorum exemplum, qui ab anno priore iam promptum suum animum manifestaverant, Macedonibus proposuit, ut eos quoque ad liberalitatem erga fratres suos palaestinenses incitaret (2 *Cor.* 9,2); de iisdem enim collectis et hoc in loco agit et in 2 *Cor.* (8,1-9, 15), uti etiam in ep. ad *Rom.* (15,25 sqq.).

Quoniam iam anno praecedente Corinthios ad bonum hoc opus exhortatus erat, probabile est, eos in sua epistola aut per legatos suos interrogasse, qua ratione collectae faciendae essent; nam simili loquendi forma responsa sua reliqua introducit (7,1; 8,1; 12,1). Respondet enim : 1. *De collectis autem, quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesiis Galatiae, ita et vos facite.* Quibus de collectis loqui velit, non indicat, quia lectoribus (id quod articulus : περὶ τῆς λογίας indicat) iam erant notae; accuratius eas alibi appellat « collationem in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem » (*Rom.* 15,26); collectas

pere cedat) B ℵ D E F G L P, plerique minusc. et PP.; sed εὐοδώθῃ (prospere cesserit) A C I K M, aliqui minusc.; quibuscum faciunt *It.* et *Vulg.*, quae suo *placuerit* coniunctivum aor. exprimunt. — 3. δι' ἐπιστολῶν etiam a *textu recepto* eadem ratione, qua a *Vulg. Clem.*, cum δοκιμάσητε (*probaveritis*) connectitur, sed ad sequens verbum πέμψω (*mittam*) rectius trahitur. — 6. ἢ παραχειμάσω (vel hiemabo) B M et paucissimi minusc. cum *Syr.* (codd.); reliqui rectius ἢ καὶ παραχειμάσω (*vel etiam hiemabo*). — 7. ἐλπίζω γάρ (*spero enim*) B ℵ A C D E F G I M P, sat multi minusc. et PP., *It. Vulg. Syr.* (codd.), *Copt.*; minus recte *textus recept.* : ἐλπίζω δέ (spero *autem*) cum K L, plerisque minusc., *Syr.* (codd.), *Aeth.* — 9. ἐνεργής (efficax *S. Hier.* Praef. in ep. ad Eph., operosum *A*[lcr]) est communis lectio graeca; sed Latini videntur legisse ἐναργής (*evidens*).

ipsas nomine nec profanis nec aliis sacris scriptoribus usitato appellat λογίαν, quod vocabulum *Chrys.* συλλογήν explicat, cum latino interprete, qui *collectas* vertit, accurate consentiens; recte quoque adnotat *Chrys.*, eas a Paulo in epistolis (sed cfr *Act.* 24,17) numquam vocari ἐλεημοσύνην, sed aut χάριν (*v.* 3. *gratiam*), quo nomine neophytos his eleemosynis ostendat magni aliquid facere atque lucrum esse consecuturos, aut εὐλογίαν (2 *Cor.* 9,5 *benedictionem*), quo nomine eorum zelum excitare studeat, aut κοινωνίαν (*Rom.* 15,26 *communicationem*), quo nomine ne intumescant aut superbiant impedire velit; ceterum λειτουργίαν (2 *Cor.* 9,12) quoque eas nominat, quum vere sacrum sint ministerium. Itaque ad collectas, quibus sanctos, i. e. Christianos ierosolymitanos, adiuvent, quod attinet, praecipit, ut eundem modum teneant, quem ecclesiis Galatiae praescripserat.

Qui modus quis sit, explicat : 2. *Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat* (rectius : reponat τιθέτω) *recondens* (rectius : accumulans θησαυρίζων) *quod ei bene placuerit* (rectius : prospere successerit εὐοδωθῇ), *ut non, quum venero, tunc collectae fiant.* Latina versio non est satis clara, quia interpres non tantum aliqua verba graeca minus accurate reddidit, sed maxime quia in primis vocabulis (κατὰ μίαν σαββάτου) hebraismum, quo in numerandis diebus hebdomadae numeralia cardinalia pro ordinalibus usurpantur (μία σαββάτου vel σαββάτων pro ἡ πρώτη σαββάτου), retinuit (*una* sabbati pro *prima* sabbati vel hebdomadis; cfr Marc. 16,2 *una sabbatorum*, *Luc.* 24,1 *una sabbati*, *Ioan.* 20,1. 19; sed recte *Matth.* 28,1 *prima sabbati*), atque ad distributivam praepositionis κατά vim non attendit; accuratius dicendum erat : singulis primis diebus hebdomadae. Prima porro hebdomadae dies, in qua Dominus gloriosa sua resurrectione de omnibus hostibus triumphum egerat, iam statim memoria singulari ab Apostolis videtur esse habita digna (cfr *Ioan.* 20,26); certum est, eam iam apostolico tempore bonis operibus speciali modo dedicari coeptam esse (id quod ex nostro loco patet), uti etiam illa iam aetate divinorum mysteriorum celebratione consecrabatur (*Act.* 20,7), diesque Dominica, utpote Domino sacra, appellabatur (*Apoc.* 1,10). Utrum vulgatus interpres pro verbo εὐοδοῦσθαι (prosperum iter habere, metaph. prosperum successum habere) aliud verbum (εὐδοκεῖν?) legerit, an nostro verbo sensum, qui ei non competit, attribuerit, non liquet; id autem vult Apostolus, ut singuli neophyti singulis diebus Dominicis de iusto totius hebdomadae lucro partem quandam apud se domi reponant, quam pauperibus ierosolymitanis reservent, atque

hac ratione paullatim cumulum faciant. Cur vero verbum εὐοδοῦσθαι elegerit, scite explicat *Chrys.* : « non dixit : repone tantum vel tantum, sed : quodcumque prospere successerit, sive multum est sive paulum; nec dixit : quaecumque lucratus fueris, sed : quodcumque prospere successerit, monens Deum haec esse largitum ». Porro ante adventum suum Apostolus haec iam reponi iubet, non tantum ut longiore tempore copia eleemosynarum crescat, sed maxime, ut videtur, ne praesente Apostolo neophyti ad eas elargiendas quasi cogi videantur; alii cum *Thom.* addunt, ne collectis istis, si Apostolo praesente fiant, a doctrina apostolica audienda avertantur, utque, si eo adveniente omnia iam sint parata, citius et sine mora eleemosynae Ierosolyma mitti possint (cfr *M Ev.* etc.).

De modo deinde, quo in Palaestinam pecuniae collectae perferendae sint, haec statuit : 3. *Quum autem praesens fuero* (rectius : advenero παραγένωμαι), *quos probaveritis, per epistolas hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem; 4. quodsi dignum fuerit, ut et ego eam, mecum ibunt.* Pro sua prudentia apostolica hoc eleemosynarum ministerium, ut omne vituperium omnemque suspicionem evitaret, solus administrare noluit (*cfr* 2 *Cor.* 8,18 sqq.). Aliquos igitur viros probatos a fidelibus eligi iubet, qui tamquam ecclesiae corinthiae legati suas in perferendis eleemosynis partes habeant; at totum hoc caritatis munus, ad quod sollemni promissione sese obligaverat et cui ab aliis Apostolis certo quodam modo praefectus erat (*Gal.* 2,10), eis relinquere non potuit, sed praecipuas sibi reservare debuit partes. Hinc duplex ille modus, quem statuit. Quaecumque futura sit pecuniarum collectarum summa, legati eam Ierosolyma perferent; at si magna non erit, soli proficiscentur, missi tamen a Paulo *per epistolas*, quibus eos Ierosolymitanis commendabit eorumque legationi ita fidem faciet, ut suam simul auctoritatem servet; sin vero tanta erit summa, ut eam ab Apostolo tamquam supremo muneris praeposito perferri non iudicetur indignum, ipse quoque in Palaestinam proficiscetur legatosque velut itineris comites assumet.

Ultima verba (*quodsi dignum fuerit* etc.) ad neophytorum liberalitatem stimulandam esse adiecta, cum *Chrys.* multi arbitrantur (cfr *Thom.* « in quo inducit eos ad bene et liberaliter solvendum »); nescio tamen an satis recte. Neque enim mihi persuadeo, Apostolum pro omnibus illis rationibus, quibus christianam liberalitatem tam eloquenter commendat (2 *Cor.* 8,1 sqq.), hic unam solam afferre voluisse, quae ad boni operis pretium et meritum minuendum quam augendum erat aptior; ob solam enim Apostoli reverentiam Corinthii sese liberales exhibere iuberentur. Neque mihi probatur, quod aliqui

acath. adnotant, Paulum *magna* pecuniarum summa allata gratiam Ierosolymitanorum sibi conciliare voluisse; neque enim satis apte ad hanc sententiam vindicandam affertur *Rom.* 15,31, quo in loco Romanos orare iubet, ne propter invidiam, in qua erat apud Iudaeo-christianos, eleemosyna a se allata Ierosolymitanis minus sit accepta. Apostolicam tantum dignitatem servare nec propter qualecumque negotium, quod ab aliis facillime peragi potuit, gravissimos suos labores interrumpere voluit : hoc unum istis verbis insinuatur. Itaque ad partes, quae in eleemosynis administrandis Apostolo competebant, ii quoque non satis attendunt, qui in *v.* 3. verba : *per epistolas* (δι' ἐπιστολῶν) non cum verbo *mittam* (πέμψω) sed cum praecedente *probaveritis* (δοκιμάσητε) coniungunt, ac si legati ab ipsis Corinthiis Ierosolymitanis debuerint commendari (*Est.* etc.). Inusitatior quidem est dicendi modus δι' ἐπιστολῶν πέμπειν τινά (per epistolas aliquem mittere), at a dictione graeca et latina tam parum alienus, ut ex antiquis interpretibus graecis et latinis nemo in eo explicando haesitaverit[1].

Quoniam ante adventum suum collectas terminatas esse desiderat, Paulus proximi sui itineris consilium eis manifestat (5-9); neque enim statim ad eos venire vult, sed postquam ecclesias macedonicas visitaverit: 5. *Veniam autem ad vos, quum Macedoniam pertransiero.* Eum antea Epheso, ubi hanc epistolam scripsit (*v.* 9), recta via Corinthum tendere, Corintho autem in Macedoniam proficisi voluisse, ut inde Corinthum iterum reverteretur, ex 2 *Cor.* (1,15 sqq.) constat; atque hoc prius consilium Corinthiis cognitum fuisse, eadem epistola clare docet. Quapropter dilatum esse iter suum corinthium manifestare debuit; « ne tamen Corinthii aegre ferrent, quod Macedones sibi praeferri viderentur » (*Theod.*), addidit : *Nam Macedoniam pertransibo* celeri quasi cursu; 6. *apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis, quocumque iero.* Haud leve sane eis praebet dilectionis suae documentum, quum apud eos non tantum diutius commorari, sed ab iis quoque alio deduci velit; immo quum ideo apud eos commoraturus sit, ut (ἵνα) ipsum deducere (i. e. abeunti omnia ad iter necessaria suppeditare eumque honorifico comitatu prosequi) possint; ab iis enim solis ecclesiis, quas praediligebat, Apostolus eiusmodi signa amoris et honoris acceptavit.

De ratione tamen, qua ut pristinum itineris consilium mutaret per-

1. *Chrys.* : « Deinde ne legatis deesse videatur, literas addit dicens : Quos probaveritis, per epistolas mittam; quasi diceret : Ego quoque cum eis ero et muneris obeundi particeps ero per literas ». *A*[ter] : « Per epistolam se mittere hos, quos idoneos ad dispensationem elegerint, dicit; quae epistolae testimonium praebent missis, ut cum gratia excipiantur ». De sensu praepos. διά in hac expressione cfr *Winer* Gramm. des neutestam. Sprachidioms Ed. 5. p. 456.

motus est, nihil dicit; scilicet ne *in virga* ad eos venire adventuque suo eos contristare cogeretur, Corinthiis tempus poenitentiae concedere ideoque adventum suum differre macedonicumque iter corinthio praemittere constituerat (*cfr ad* 2 *Cor.* 1,15 sqq.; 2,1 sqq.). Quibus silentio praetermissis de sola dilectione sua loquitur, quam etiam verba sequentia spirant : 7. *Nolo enim vos modo in transitu videre,* id quod facere debuisset, si pristinum consilium secutus per Corinthum in Macedoniam iter fecisset; *spero enim me aliquantulum temporis* (rectius: *aliquantum* temporis χρόνον τινά) *manere apud vos, si Dominus voluerit.* Neque enim a sola Apostoli voluntate dependet longior breviorque commoratio, sed potissimum a voluntate divina, qua in omnibus itineribus dirigebatur quaeque ei interdum extraordinario modo manifestabatur (cfr *Act.* 16,6 sqq.); ideo se *forsitan* apud eos mansurum dicit (*v.* 6) atque spem solam longioris commorationis exprimit conditionemque, uti alibi (4,19; *Rom.* 15,32; cfr *Iac.* 4,13-15), diserte addit. Demum tempus adventus sui accuratius definiturus initium itineris indicat : 8. *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten*, i. e. duos fere integros menses, quum epistola haec circa festa paschalia scripta esse videatur (*cfr ad* 5,8); cur vero tamdiu remanere velit, explicat : 9. *ostium enim mihi apertum est magnum e evidens* (lege : *efficax* ἐνεργής) *et adversarii multi.* Metaphora *ostii aperti* Apostolus designare solet occasionem Evangelii praedicandi sibi oblatam (2 *Cor.* 2,12; *Col.* 4,3; cfr *Act.* 14,26); quam magnum autem fuerit ostium ei Ephesi apertum, ex S. Lucae narratione elucet (*Act.* 19), quae etiam nos docet, ministerium ephesium Apostoli efficax fuisse multosque fructus produxisse, neque adversarios multos et fortes, quibus resisteret et a quibus ecclesiam nascentem defenderet, ei defuisse; immo brevi postquam hanc epistolam scripsit, ab adversariis suis Ephesum citius quam statuerat relinquere est coactus. De reliquo in secundo epitheto (ἐνεργής efficax) ad metaphoram inchoatam Apostolus non attendit, sed ardore sermonis abreptus de solis laborum fructibus cogitat, ad quos ei per magnum ostium apertum aditus patuerat.

2. *De Timotheo, Apollo, legatis corinthiis* (16,10-18).

16,10. *Si autem venerit Timotheus, videte, ut sine timore sit apud vos : opus enim Domini operatur, sicut et ego.* 11. *Ne quis ergo illum spernat : deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: exspecto enim illum cum fratribus.* 12. *De Apollo autem*

16,10. Ἐὰν δὲ ἔλθῃ Τιμόθεος, βλέπετε, ἵνα ἀφόβως γένηται πρὸς ὑμᾶς· τὸ γὰρ ἔργον Κυρίου ἐργάζεται, ὡς ἐγώ. 11. μήτις οὖν αὐτὸν ἐξουθενήσῃ· προπέμψατε δὲ αὐτὸν ἐν εἰρήνῃ, ἵνα ἔλθῃ πρός ἐμέ. ἐκδέχομαι γὰρ αὐτόν. 12. Περὶ δὲ Ἀπολλὼ τοῦ ἀδελφοῦ

fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus : et utique non fuit voluntas, ut nunc veniret : veniet autem, quum ei vacuum fuerit. 13. *Vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini.* 14. *Omnia vestra in caritate fiant.* 15. *Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanae et Fortunati et Achaici : quoniam sunt primitiae Achaiae, et in ministerium sanctorum ordinaverunt se ipsos :* 16. *ut et vos subditi sitis eiusmodi, et omni cooperanti et laboranti.* 17. *Gaudeo autem in praesentia Stephanae et Fortunati et Achaici, quoniam id quod vobis deerat ipsi suppleverunt :* 18. *refecerunt enim et spiritum meum et vestrum. Cognoscite ergo, qui huiusmodi sunt.*

πολλὰ παρεκάλεσα αὐτὸν, ἵνα ἔλθῃ πρὸς ὑμᾶς μετὰ τῶν ἀδελφῶν· καὶ πάντως οὐκ ἦν θέλημα, ἵνα νῦν ἔλθῃ, ἐλεύσεται δὲ ὅταν εὐκαιρήσῃ. 13. Γρηγορεῖτε, στήκετε ἐν τῇ πίστει, ἀνδρίζεσθε, κραταιοῦσθε, 14. πάντα ὑμῶν ἐν ἀγάπῃ γενέσθω. 15. Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί· οἴδατε τὴν οἰκίαν Στεφανᾶ, ὅτι ἔστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας καὶ εἰς διακονίαν τοῖς ἁγίοις ἔταξαν ἑαυτούς· 16. ἵνα καὶ ὑμεῖς ὑποτάσσησθε τοῖς τοιούτοις καὶ παντὶ τῷ συνεργοῦντι καὶ κοπιῶντι. 17. χαίρω δὲ ἐπὶ τῇ παρουσίᾳ Στεφανᾶ καὶ Φορτουνάτου καὶ Ἀχαϊκοῦ, ὅτι τὸ ὑμέτερον ὑστέρημα οὗτοι ἀνεπλήρωσαν. 18. ἀνέπαυσαν γὰρ τὸ ἐμὸν πνεῦμα καὶ τὸ ὑμῶν. ἐπιγινώσκετε οὖν τοὺς τοιούτους[1].

Ephesi residens Paulus, quum de turbulentis rebus corinthiis primum nuntium accepisset, Timotheum, quem cum Erasto in Macedoniam miserat (*Act.* 19,22), iter Corinthum pergere iusserat, ut magistri sui totam agendi vivendique rationem neophytis in memoriam revocaret (*cfr ad* 4,17). Interea advenientibus legatis corinthiis de periculo, quod ecclesiae imminebat, accuratius edoctus sine mora epistolam nostram scripsit in eaque discipulum Corinthum iamiam adventurum fidelibus commendare voluit. Admodum iuvenis enim erat

1. *VV. LL.* — 10. ὡς ἐγώ (sicut ego) B M cum uno minusc.; sed recte ὡς κἀγώ vel ὡς καὶ ἐγώ (*sicut et ego*) reliqui omnes. — 11. ἐκδέχομαι γὰρ αὐτόν, adde : μετὰ τῶν ἀδελφῶν, quae verba solus B omittit. — 12. Περὶ δὲ Ἀπολλὼ τοῦ ἀδελφοῦ πολλὰ παρεκάλεσα (de Apollo autem fratre multum rogavi) est communior lectio graeca, quae etiam exprimitur a codd. *Vulg.* (*Amiat. Harl.*), *Syr. Copt. Aeth. Arm.*; sed περὶ δὲ Ἀπολλὼ δηλῶ ὑμῖν ὅτι πολλὰ παρεκάλεσα (*de Apollo autem fratre vobis notum facio quoniam multum rogavi*) E F G cum *It. Vulg.* (codd. plerique); superfluo inserta sunt verba. — 13. ἀνδρίζεσθε, κραταιοῦσθε (viriliter agite, fortes estote) est communior lectio graeca; copulam καί tamen inserunt cum *It.* et *Vulg.* etiam A D E, paucissimi minusc., *Syr* (codd.), *Copt. Goth.* — 14. τὴν οἰκίαν Στεφανᾶ (domum Stephanae) sine additam. B ℵ A K L M P, plerique minusc., *Syr. Copt. Goth. Aeth.*; minus recte, ut videtur, D E, pauci minusc. et PP., uti etiam aliqui codd. *It.* et *Vulg.* (*Fuld. Am. Harl.*), *Copt.* et *Arm.* addunt : καὶ Φορτουνάτου (*et Fortunati*); demum C F G, pauci minusc., uti reliqui codd. *It.* et *Vulg.* addunt : καὶ Φορτουνάτου καὶ Ἀχαϊκοῦ (*et Fortunati et Achaici*). — Hinc etiam plerique codd. : ὅτι ἔστιν ἀπαρχή (quoniam *est* primitiae), sed C D E F G etc. cum *It.* et *Vulg.* : ὅτι εἰσὶν ἀπαρχή (*quoniam sunt primitiae*). — 17. οὗτοι ἀνεπλήρωσαν (*hi* impleverunt) B ℵ C K L P, fere omnes minusc., *Copt. Arm. Aeth. Goth.*; sed αὐτοὶ ἀνεπλήρωσαν (*ipsi impleverunt*) A D E F G M, *It. Vulg. Syr.* — 18. τὸ ἐμὸν πνεῦμα (meum spiritum) est communissima lectio; sed D E F cum *It. Vulg.* : καὶ τὸ ἐμὸν πνεῦμα (*et meum spiritum*).

Timotheus; quare Apostolus, qui septem circiter annis postea fieri posse supposuit, ut discipuli sui adolescentia ab Ephesiis contemneretur (1 *Tim.* 4,12), haud sine ratione timuit, ne idem, quamvis eum in Evangelio annuntiando Corinthi socium habuisset (2 *Cor.* 1,19; *Act.* 18,5 sqq.), a superbis quoque factionum ducibus in Achaia sperneretur. Hinc eius monitum : 10. *Si autem venerit Timotheus, videte, ut sine timore sit apud vos,* ac secure inter vos agat. Eius enim iuventute non obstante tamquam operarius in vinea Domini cum omni gaudio erat excipiendus et cum honore tractandus (*cfr Phil.* 2,29); *opus enim Domini operatur, sicut et ego.* Strictiore sensu (quam 15,58) *opus Domini* de ministerio apostolico esse intelligendum, contextus docet, quia Paulus Timotheum tamquam suum cooperarium commendat. 11. *Ne quis ergo illum spernat; deducite autem illum in pace* (« non pugnas ei inferentes aut contentiones, sed subiectionem et honorem ei exhibentes, attendentes ei tamquam magistro » *Chrys.*), *ut veniat ad me; exspecto enim illum cum fratribus.* Ambigua quidem sunt ultima verba, quum non satis appareat, utrum Paulus et fratres exspectent Timotheum, an Paulus solus exspectet Timotheum et fratres advenientes; ex sequente tamen versu (*ut veniret ad vos cum fratribus*) secundam explicationem esse praeferendam, plerique recte colligunt (*Thom.*, *Est.* etc.). Domini enim exemplum (*Marc.* 6,7; *Luc;* 10,1 cfr etiam *Act.* 8,14 etc.) secutus Paulus discipulis, quos velut legatos misit, unum alterumque socium adiungere solebat. Timothei isto in itinere socii Erastus (*Act.* 69,22) ac forte unus ex Macedonibus fuerunt.

A Timotheo ad alterum ex suis discipulis Paulus transit. Apollo haud diu post Apostoli discessum in Achaiam venerat atque praedicationibus suis multum his, qui crediderant, contulerat (*Act.* 18,27). Quare mirum non est, quod proficiscens magnum sui desiderium Corinthi reliquerit quodque Paulus quoque eum reverti exoptaverit; interea exortis factionibus corinthiis, quarum una de Apollo velut capite suo gloriabatur, hic reditum suum ad aliud tempus differre consultius duxit. 12. *De Apollo autem fratre* (*vobis notum facio, quoniam*) *multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus; et utique* (i. e. omnino πάντως) *non fuit voluntas, ut nunc veniret; veniet autem, quum ei vacuum fuerit.* Iuxta *Chrys.* aliosque his verbis Paulus sese excusavit, quod pro iuniore Timotheo Apollo, virum gravem et eruditum, Corinthum non misisset; at excusationis qualiscumque in his verbis nullum deprehenditur vestigium. Rectius antiquiores aliqui Latini (cfr *Thom.* etc.) nonnullique moderni (*Mai. Bisp.* etc. — *Mey. Heinr.* etc.) Apostolum petitioni Corinthiorum, ut Apollo in Achaiam reverti iubeat, respondere censent, ac probabile est, eos in sua

epistola de hoc reditu esse locutos; eadem saltem est dicendi forma, quam in responsis Apostolus adhibet (*cfr v.* 1) : « Quod ad Apollo attinet, multum eum rogavi » etc. Quidquid autem de his opinionibus est, evidentissime ex hac sententia apparet, Apollo ab Apostolo genuinum et strenuum verae doctrinae evangelicae doctorem esse habitum, qui aptissimus esset ad agrum a se plantatum irrigandum et excolendum. Quoniam Paulus, cuiusnam voluntate Apollo retineatur, non exprimit, aliqui de Dei voluntate cogitarunt (*Theod. Oecum.* etc. — *Beng. Rück.* etc.); plerique tamen Apostolum de discipuli ipsius voluntate loqui recte statuunt; quo cum iure enim genitivus *Dei* suppleatur, nemo facile dixerit; neque discipulum, quum *ei* vacuum fuerit vel potius, quum tempus opportunius *ei* fuerit (ὅταν εὐκαιρήσῃ), venturum esse Apostolus promittere potuit, si de Dei voluntate impediente cogitasset.

Quasi abrupte exhortatio adnectitur, quae quinque brevissimis sententiis praecipua quaedam vitae christianae officia commendat; forsitan nomen Apollo commemoratum Apostolo schismata aliaque, de quibus egerat, pericula ecclesiae corinthiae in memoriam reduxerit eumque permoverit, ut haec monita hoc in loco insereret. 13. *Vigilate, state in fide, viriliter agite, (et) confortamini,* 14. *omnia vestra in caritate fiant.* Ante omnia eis commendatur vigilantia, qua ad omnia, quae sibi imminere possint, pericula attenti illa praecavere aut evitare studeant, ne improvidi incautique in abyssum ruant. Quodsi sibi invigilent atque ad hostium salutis insidias attendant, firmi quoque in fide accepta stare poterunt; ex fide autem animum haurient, quo velut viri fortes hostibus resistant, et vires roburque, quibus eos vincant; ita sc. verba ἀνδρίζεσθαι (se virum exhibere) et κραταιοῦσθαι (validum esse) inter se differre videntur, ut priore virilis animus, altero integrae vires designentur. Maxime demum opus est, ut in omnibus, quae agant, caritatem fraternam servent; ex eius enim defectu, uti recte monet *Chrys.*, omnia fere, quae Apostolus in hac epistola monere debuerat, erant exorta : « nam si illa non esset neglecta, non dixissent : Ego sum Pauli, ego vero Apollo; si illa adfuisset, non apud eos, qui foris sunt, iudicio contendissent, immo ne contendissent quidem; si illa adfuisset, iste uxorem patris non accepisset, alii fratres infirmos non contemsissent, alii haereses non habuissent, propter charismata super alios se non extulissent; propterea dicit : omnia cum caritate fiant ».

Cum *Chrys.* omnes fere interpretes in his verbis exhortationem ad caritatem fraternam observandam deprehendunt; nimis laxam tamen hanc explicationem vocat *Est.*, qui verum praeceptum hic dari censet, quo omnia ex dictamine et imperio caritatis facere iubeamur; ne

vero omnium, qui caritatis habitum non possident, omnia opera aut peccata esse aut peccato saltem infecta esse concedere cogatur, caritatis habitum hic designari negat et affectum intelligit « recti, sinceri, christiani amoris, quo vel Deus propter se vel proximus propter Deum diligitur ». At de praecepto (nisi omnem exhortationem praeceptum dicere velis) hic non est sermo et multo minus de praecepto tam generali, quo omnes omnino homines obligentur; mirum sane esset, si Apostolus praeceptum tanti momenti quasi in transitu et obiter dedisset.

Ab hac exhortatione, quam, uti diximus, nomen Apollo commemoratum videtur provocasse, Apostolus ad legatos corinthios venit, erga quos neophyti caritatem gratitudinemque suam exhibere debent. 15. *Obsecro* (vel : exhortor παρακαλῶ) *autem vos, fratres, — nostis domum Stephanae* (*et Fortunati et Achaici*), *quoniam sunt primitiae Achaiae et in ministerium sanctorum ordinaverunt se ipsos* — **16.** *ut et vos subditi sitis eiusmodi* (vel *talibus* τοῖς τοιούτοις) *et omni cooperanti et laboranti.* Duo nomina Fortunati et Achaici ex *v.* 17. huc esse transumta, antiquiores interpretes plerique (cfr *Cai. Est. Iust.* etc.) recte iam statuerunt; sola igitur Stephanae domus, quam Paulus ipse baptizavit (1,16), primitiae Achaiae, sicut solus Epaenetus primitiae Asiae (*Rom.* 16,5), appellantur, quia primi ex istarum provinciarum ethnicis Evangelium receperunt. Ad constructionem quod attinet, sunt quidem, qui exhortationem iam a verbo οἴδατε inchoent, quod pro imperativo habent cuique sensum tribuunt : « cognoscite veluti bene meritos » (*Erasm.* — *Wolf.* etc.); at licet verbum εἰδέναι simili sensu interdum adhibeatur (cfr 1 *Thess.* 5,12), nusquam tamen forma οἴδατε pro imperativo (ἴστε) usurpatur. Omnino igitur teneatur oportet, verba : *obsecro* (vel exhortor) *vos* immediate coniungenda esse cum *v.* 16. (*ut et vos subditi sitis*), intermediam autem sententiam (*nostis domum... ordinaverunt seipsos*) parenthesin constituere, qua rationes indicantur, propter quas neophyti domui Stephanae subditi esse debeant. Sunt autem duae : Stephanas enim et eius familia, utpote primi, qui ex tota Achaia fidei sese subiecerunt, velut *primitiae in Christum* (ἀπαρχὴ εἰς Χριστόν *Rom.* 16,5) singulari iam honore sunt digni; « primitiae enim, inquit *Chrys.*, reliquis fructibus, quorum primitiae sunt, meliores sunt » (*cfr ad* 15,20); maior deinde eis debetur honor et subiectio, quia « magis devoti ac prompti » (Thom.) sese ipsi non coacti sed voluntarii ministerio fidelium dedicaverunt hospitalitatem, beneficentiam aliaque caritatis fraternae munera exercentes; haec enim nomine διακονίας τῶν ἁγίων designantur. Pulchra paronomasia usus Apostolus praecipit, ut iis, qui se ad haec ministeria *ordi-*

naverunt (ἔταξαν) alii sint *subordinati* (ὑποτάσσησθε); recte tamen cum *Theod.* plerique monent, de obedientia, quae legitimis superioribus debeatur, non agi, sed « de subiectione morali, qua obsequentes et reverentes nos exhibemus viris probioribus et magis spiritualibus » (*Cai. Est. Mai.* etc.); quapropter Apostolus addit, eandem subiectionem omnibus deberi, qui cum illis in ministerio sanctorum cooperentur et defatigentur (παντὶ τῷ συνεργοῦντι καὶ κοπιῶντι).

Inter quos fuerunt Fortunatus et Achaicus, qui tamquam Corinthiorum legati una cum Stephana Paulo literas ecclesiae corinthiae attulerant suoque adventu eum magna laetitia affecerant; quare illi quoque sunt digni eodem honore : 17. *Gaudeo autem in praesentia Stephanae, et Fortunati et Achaici, quoniam id quod vobis deerat ipsi suppleverunt.* Fortunatus et Achaicus hoc solo in loco nominantur nec quidquam praeterea de iis nobis est traditum; eos vero cum Stephana, utpote in ministerium sanctorum ordinatos, ecclesiae suae epistolam attulisse atque hanc nostram Corinthum retulisse, communis est sententia. Ultima verba graeca (τὸ ὑμέτερον ὑστέρημα αὐτοὶ ἀνεπλήρωσαν) id quidem significare possunt, quod sua versione innuit *Vulg.* : suppleverunt id, quod vos praestare debuistis nec praestitistis; vos me gaudio et laetitia afficere debuistis, illi gaudio vero me affecerunt (cfr *Phil.* 2,30). At vix admitti potest, in fine huius epistolae Apostolum tam acerbo vituperio Corinthios pupugisse; blandiore potius modo epistolam terminans legatos sua praesentia absentiam reliquorum supplevisse dicit « ostendens eos pro omnibus venisse » (*Chrys.* etc., cfr *Pel*[2]. *Thom*[2]. *Cai. Est. Iust.* et moderni omnes). Huic explicationi, iuxta quam τὸ ὑμέτερον ὑστέρημα (*vester defectus*) idem est, quod *vestra absentia*, optime consonat ratio addita : 18. *refecerunt* (vel *recrearunt* ἀνέπαυσαν) *enim meum et vestrum et spiritum;* quia enim ceu Corinthiorum legati cum Paulo conversabantur, et magistri spiritum gaudio affecerunt, ad quem erant missi, et discipulorum spiritum, a quibus erant missi; recte *Chrys.* : « non Paulo soli, sed Corinthiis quoque eos laetitiam attulisse ostendit, quia totam civitatem in se circumferebant » (τῷ τὴν πόλιν ἅπασαν ἐν αὐτοῖς περιφέρειν). Minus recte alii de mutua caritate haec verba explicant, qua fiat, ut unius gaudium sit etiam gaudium alterius (*Thom.* etc., *Est.* etc., *Mai. Bisp.* etc.). Sua sponte nunc sequitur monitum : *Cognoscite ergo, qui huiusmodi sunt.* Verbo ἐπιγινώσκειν, quod *accurate cognoscere* significat (*cfr ad* 13,12), utitur Apostolus; dicens autem : *accurate cognoscite eos, qui tales sunt,* insinuat illos speciali honore esse dignos; recte igitur sententiae sensum, etsi minus recte verba, reddunt, qui explicant : reveremini eos, vel colite eos etc. (*Cai. Est.* etc.).

3. *Salutationes et apostolica benedictio* (16,19-24).

16,19. ***Salutant vos ecclesiae Asiae. Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla cum domestica sua ecclesia, apud quos et hospitor.*** 20. ***Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto.*** 21. ***Salutatio, mea manu Pauli.*** 22. ***Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maran Atha.*** 23. ***Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum.*** 24. ***Caritas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu. Amen.***

16,19. Ἀσπάζονται ὑμᾶς αἱ ἐκκλησίαι τῆς Ἀσίας· ἀσπάζονται ὑμᾶς ἐν Κυρίῳ πολλὰ Ἀκύλας καὶ Πρίσκα σὺν τῇ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίᾳ· 20. ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἀδελφοὶ πάντες. ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ. 21. Ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου. 22. εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον, ἤτω ἀνάθεμα. μαρᾶν ἀθᾶ. 23. ἡ χάρις τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ μεθ' ὑμῶν. 24. ἡ ἀγάπη μου μετὰ πάντων ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ[1].

Paulo Ephesi per triennium commorante Evangelium in tota provincia Asia, quae maritimas Asiae Minoris terras complectebatur cuiusque caput erat Ephesus, tam altas radices egerat, ut per totam provinciam ecclesiae essent exortae (*Act.* 19,10); earum igitur, quas caritatis vinculo cum achaicis coniunctas esse scivit, Apostolus primo in loco adiungit salutationes : 19. *Salutant vos ecclesiae Asiae.* Omnes vero fideles *in Domino,* in quo omnia Ecclesiae universalis membra sunt unum, sese invicem salutant; idque diserte in sequente salutatione adiicit, ut hanc a reliquis ipsa forma velut singularem distinguat : *Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla cum domestica sua ecclesia* (*apud quos et hospitor*). Namque de corinthia ecclesia Aquila et uxor eius Priscilla optime erant meriti; Paulum Corinthum prima vice advenientem in suam domum receperant eique opportunitatem Evangelium in Achaia annuntiandi praebuerant (*Act.* 18,1 sqq.); alterum ex Corinthiorum magistris, Apollo, viam Domini diligentius docuerant idoneumque reddiderant, qui ecclesiis Achaiae multum conferret (*Act.* 18,26 sqq.); ipsi Paulo erant carissimi, utpote adiutores eius in Christo Iesu, qui pro anima eius cervices suas supposuerant, ita ut non ipse solus sed cunctae ecclesiae gentium

1. *VV. LL.* — 19. Πρίσκα (Prisca) B ℵ M P, paucissimi minusc., aliqui codd. *It.* (*Pel.* etc.) et *Vulg.* (*Amiat. Harl. Demid.*), *Copt. Arm. Goth.;* sed Πρίσκιλλα (*Priscilla*) A C D E F G, omnes fere minusc., *It.* (*Aler* etc.) et *Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld. Tol.* et plerisque), *Syr. Aeth.* Eadem huius nominis incertitudo habetur *Rom.* 16,19 et 2 *Tim.* 4,19; sed *Act.* 18,2. 26. omnes codd. et verss. Πρίσκιλλα. — In fine versus additur : παρ' οἷς καὶ ξενίζομαι (*apud quos et hospitor*) a D E F G cum *It. Vulg.* (sed *Fuld.* et *Amiat.* illud omittunt) et *Goth.* — 22. τὸν Κύριον sine additam. B ℵ A C M, paucissimi minusc., sed *text. receptus* cum reliquis testibus addunt : ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. — Expressionem μαρᾶν ἀθᾶ (vel μαρὰν ἀθά) haud pauci codd. iuniores graeci et latini in unum vocabulum contrahunt. — 23 τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ (Domini Iesu) B ℵ, pauci minusc., *Vulg.* (*Amiat. Tol.*), *Goth.;* sed plerique codd. pleniorem nominis formam exhibent.

grato animo eis essent obligati (*Rom.* 16,3 sqq.). Mirum ergo non est, quod ab iis Corinthios *in Domino multum* salutet. Ephesi porro, quo una cum Paulo erant advecti (*Act.* 18,18 sq.), post Apostoli discessum prima Evangelii semina ab eo sparsa ita videntur excoluisse, ut neophytos in suam domum congregantes prima quasi ecclesiae ephesiae fundamenta iecerint. Qua ratione factum est, ut etiam postea, quum Paulo Ephesum reverso numerus credentium esset auctus, pars quaedam fidelium in eorum domo coetus suos sacros celebrarent ac velut *ecclesia eorum domestica* vel potius velut ecclesia, quae in eorum domo sit (ἡ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησία), a reliqua ecclesia ephesia distingueretur. Simili modo paullo post Romae suam ecclesiam domesticam habebant (*Rom.* 16,5). Nomine *ecclesiae domesticae* nonnulli antiquiores solam familiam Aquilae et Priscillae utpote christianam designari volunt (*Est. Iust.* etc.); contra alii cum *Chrys. Theod.* etc. totam ecclesiam ephesiam, quippe quae in eorum domum convenire solita sit, ecclesiam domesticam appellari putant. At neutra explicatio nobis probatur; nam ex Pauli epistola ad Philem., si cum epistola ad Coloss. comparatur, satis apparet, ecclesiam domesticam Philemonis Colossensis et ab eius familia et a tota ecclesia Colossensi distingui, ac procul dubio Nymphae quoque ecclesia domestica a laodicena ecclesia distinguatur oportet (*Col.* 4,15). Ultima verba (*apud quos et hospitor*), quae in solis codd. graecolatinis, in plerisque latinis et in unico cod. *goth.* leguntur, sed in reliquis graecis, in melioribus latinis (*Fuld. Amiat.*) et aliis versionibus omittuntur, genuina non esse videntur; « neque ex Actis Apost. apparet, Paulum Ephesi apud Aquilam et Priscillam hospitatum fuisse, sed Corinthi tantum » (*Est.*). Demum parti huic Paulus reliquam ecclesiam ephesiam addit : 20. *Salutant vos omnes fratres,* sc. qui Ephesi sunt, neophytosque corinthios ad mutuam quoque salutationem exhortatur : *Salutate invicem in osculo sancto.*

Frequentissimi usus apud Orientales omnes et maxime apud Iudaeos erant oscula; neque enim soli propinqui vel cognati (*Gen.* 29,11. 13; *Tob.* 9,8; 10,12 etc.) aut coniuges vel sponsi (*Cant.* 1,2 etc.) aut amici (1 *Reg.* 20,41 etc.) inter se deosculabantur, sed etiam superiores inferioribus (2 *Reg.* 19,39) et inferiores superioribus (*Act.* 20,37; *Matth.* 26,48 sq. etc.) amorem, amicitiam, debitum honorem osculo manifestabant. A Iudaeis velut fraternae caritatis, qua inter se tamquam eiusdem corporis mystici membra erant colligati, symbolum ad primos Christianos osculum ita transiit, ut omnis carnalis amoris significatio excluderetur. Id enim ipsa, quibus appellabatur, nomina ostendunt : osculum *sanctum* (*Rom.* 16,16; 1 *Cor.* 16,20; 2 *Cor.* 13,12; 1 *Thess.* 5,26), osculum *caritatis* (1 Petr. 5,4), osculum

in Domino (τὸ ἐν Κυρίῳ φίλημα *Const. apost.* II. 57 etc.), osculum *pacis* (*Tert.* de orat. 18) etc.; atque illud quoque adnotetur oportet, iuxta *Const. apost.* (l. c.) solos inter se viros atque solas mulieres inter se hoc *osculo in Domino* salutasse. Neque in sola mysteriorum oblatione (cfr *S. Iust. M.* Apol. I. 65; *Const. apost.* l. c.) sed in omni communi oratione osculum hoc usurpabant, quare *Tert.* (l. c.) illud *signaculum orationis* appellat. Hinc facile intelligitur, cur Apostolus Corinthios, postquam epistolam hanc in coetu publico legerint, osculo inter se salutare velit; magnae enim illa in ecclesia erant animorum dissensiones, osculum vero « animos mutuo conciliat et miscet, atque omnem illis iniuriarum oblivionem spondet; signum igitur est hoc, osculum animos sibi invicem commisceri atque omnem iniuriarum memoriam ablegare;... osculum reconciliatio est et ideo sanctum, sicut B. Apostolus dicit » (*S. Cyr. Ieros.* Cat. myst. V. 3)[1].

Hucusque Apostolus epistolam pro more, quem in plerisque exarandis tenuit, uni ex discipulis suis dictavit (cfr *Rom.* 16,22), sua iam manu nunc ultima verba addidit : 21. *Salutatio, mea manu* (τῇ ἐμῇ χειρί) *Pauli.* Iuxta 2 *Thess.* 3,17 hanc subscriptionem, ut literis suis fidem faceret easque a fictis (2 *Thess.* 2,2) discerneret, interdum adiecit; ac vix dubium est, quin eundem ob finem eam his quoque addere voluerit. Quamquam enim per Corinthiorum ipsorum legatos deferebantur, propter dissensiones tamen, quibus ecclesia corinthia dilacerabatur, fieri facile potuit, ut ab una ex factionibus addubitarentur. Authentiae porro signo sua quoque manu gravissimam addidit sententiam, qua « terruit omnes, qui aut membra sua faciebant membra meretricis aut idolothytorum esu fratribus scandalo erant aut iuxta homines sese denominabant aut non credebant resurrectionem. Neque tamen eos terruit tantum, sed etiam viam virtutis et vitiorum fontem eis ostendit : sicut enim vehemens Christi amor omnes pecca-

1. Pauca addimus, quae de hoc osculo praeclare habet *Chrys.* (in 2 *Cor.* 13,10) : « Quid est : osculo sancto? Non ficto, non subdolo, quemadmodum Iudas Christum osculatus est. Ob id enim datum est osculum, ut caritatis fomes sit, affectum inflammet, nos ipsos mutuo amemus, sicut fratres invicem se amant patresque filios et filii patres. Quin etiam aliquid maius est; illa enim oscula naturae, haec gratiae oscula sunt animosque inter se devinciunt. Ideo etiam ex peregrinatione aliqua reversi nos mutuo deosculamur animis ad mutuum congressum accedentibus. Os enim potissimum est membrum, quod animi affectum nobis praedicat. At de hoc sancto osculo aliud quoque afferri potest. Quid tandem? Templum Christi sumus (1 *Cor.* 6,16); itaque templi vestibula et aditum osculamur, quum alii alios osculamur. Nonne cernitis, quotnam homines huiusce ecclesiae portas partim capite inclinato, partim ori manum admoventes deosculentur? Scilicet per has portas et ianuas ingressus est Christus, sed ad nos quoque ingreditur, quoties communicamus; nostis vos, qui mysteriorum participes estis, quid dicam. Neque enim vulgari quodam honore afficitur os nostrum, quando corpus Domini accipit, atque ob eam praesertim causam tunc osculamur. Audiant qui obscoene loquuntur conviciaque proferunt, ac horrescant, cogitantes quale os dedecorent; audiant qui obscoene osculantur : audi quae oracula Christus per os tuum ediderit, atque illud ab omni macula purum conserva » etc.

torum species exstinguit et expellit, ita idem amor, si debilitatus fuerit aut exstinctus, efficit, ut omnes germinent » (*Chrys.*). Ita enim pergit Apostolus : **22.** *Si quis non amat* (φιλεῖ) *Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema : Maran atha.* Memoratu dignum est, hac in sententia pro verbo usitatissimo ἀγαπᾶν (*diligere*) verbum φιλεῖν (*amare*) usurpari, quod in Novo Test. satis rarum est: sc. intimiore amicitiae amore nos Christum complecti debere, insinuat Apostolus, siquidem etiam in Scriptura verbo φιλεῖν animi inclinatio quaedam connotatur, quae non tam ex voluntatis imperio quam sua sponte exorta ipsam caritatem quodam modo auget [1]. Si quis igitur anathema, i. e. aeterno interitui devotus (*cfr ad* 12,3), esse nolit, amicus sit oportet Christi amicitiamque suam opere ostendat.

Subiungit autem : *Maran atha,* de quorum verborum, quae aramaica esse *S. Hier.* (ad Marc. ep. 26,4) recte iam monuit, sensu nihil certi nobis est traditum. Longe plerique interpretes alterum vocabulum pro praeterito sumentes illa vertunt : *Dominus noster venit* (מָרַנָא אָתָא). Atque alii quidem cum *Chrys.* et *S. Hier.* illa de primo Domini adventu explicant, ut sensus sit : Quoniam Dominus iam advenit omniaque ad salutem necessaria nobis praestitit, exsecratione digni sunt, qui eum non amant ac tanto beneficio despecto eius fidem aut deserunt aut non amplectuntur (cfr *Iust. Est.* etc.). Alii vero, quia in linguis hebr. et aram. praeteritum etiam de rebus certo futuris et quasi iam praesentibus usurpatur, de secundo Christi adventu sermonem fieri arbitrantur; verba igitur adiecta esse, ut exsecrationis sententiam a Christo iudice iamiam adventuro exsecutioni mandatum iri insinuent (*Mai. Bisp.* etc.). At forma אתא etiam imperativus esse potest : *Domine noster, veni* (cfr *Apoc.* 22,20 ἔρχου, Κύριε Ἰησοῦ); et qui ad modum attenderit, quo formula haec in antiqua liturgia adhibita sit (*Doctr. duod. Apost.* 10; *Const. apost.* VII. 26), cum *Bickell* (Innsbr. Zeitschr. für Theol. 1884. VIII. p. 403) hanc explicationem, quam *Cotelerius* (ad Const. ap. l. c.) proposuit, praeferendam ducet;

1. Haud recte *Est.* in usu quum Scripturae tum profanorum φιλεῖν minus esse censet quam ἀγαπᾶν, « tametsi contra Ciceroni plus sit amare, quam diligere ». Ad profanos quod attinet, *Dio Cass.* (44,48) si dicit : ἐφιλήσατε αὐτὸν (Caesarem) ὡς πατέρα καὶ ἠγαπήσατε ὡς εὐεργέτην (*amavistis* eum velut *patrem* et *dilexistis* eum velut *benefactorem*) in priore membro, opinor, intensiorem amoris gradum exprimere voluit. Atque etiam Scriptura, si Deum *mundum dilexisse* (ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον. Ioan 3,16). *discipulos* Iesu, quia Dominum *amaverunt*, *amare* (ὁ πατὴρ φιλεῖ ὑμᾶς, ὅτι ὑμεῖς ἐμὲ πεφιλήκατε *Ioan.* 16,27) dicit, in secunda sententia non minorem, sed maiorem amoris gradum expressit. Neque tamen nego, duo haec verba interdum eodem prorsus sensu usurpari (*Ioan.* 3,35 ὁ Πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν Υἱόν, et *Ioan.* 5,20 ὁ γὰρ Πατὴρ φιλεῖ τὸν Υἱόν), at verbo φιλεῖν aliquid minus significari, erronee asseritur.

precatio igitur quaedam est, qua Dominus rogatur, ut adventum suum acceleret sententiamque illam exsecutioni mandet. Quoniam vero in antiqua liturgia verba haec aramaica (uti alia hebraica : *Amen, Hosanna* etc.) erant usurpata, mirum non est, quod Paulus illa vertere noluerit.

Neque tamen tam terrificis verbis epistolam terminare potuit; quare postquam fidelibus consueta sua forma (cfr *Rom.* 16,24; 2 *Cor.* 13,13; *Gal.* 6,18 etc.) gratiam divinam apprecatus est : 23. *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum*, se omnes in Christo amare asserit : 24. *Caritas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu* (est); indicativum enim melius, quam optativum (*sit*), suppleri, cum *Theod. Chrys.* etc. plerique recte censent. In Christo, in quo se cum neophytis omnibus unum esse scit, sancto amore, qui nihil humani habet ideoque etiam a necessaria correctione non abhorret, cunctos amplectitur iis non exceptis, quos vituperare debuerat. Ultimis enim his verbis « ostendit Apostolus, non esse irae et indignationis, quae scripta sunt, sed curae, quam eorum gerit, quum post tantam accusationem eos non aversetur, sed amet ac diligat » (Chrys.); nam « amor erga illos eum impulit, ut verbis paullo acerbioribus uteretur boni patris benevolentiam imitans, qui filiorum salutem desiderat » (*Theod.*).

O. A. M. D. G.

INDEX

ADDENDA ET CORRIGENDA.

1. Ad p. 9. not. 1. adde : Quoniam tres primae editiones romanae (1592. 1593. 1598), quae cum suis correctoriis archetypum VULGATAE CLEMENT. constituunt, ad manum nobis non erant, *textum latinum* quam accuratissime dedimus iuxta editionem taurinensem (H. Marietti. 1851.), quam decretum S. Ind. Congregationis die 26. Iunii 1856. datum et a S. P. Pio IX. approbatum « ceteris editionibus post Clementem P. P. VIII. evulgatis praestare declaravit. »
2. Magna, quae in typothetarum erroribus removendis posita est. cura non obstante menda quaedam animi attentionem aciemve oculorum effugerunt; ex. gr. p. 80. lin. ult. : secundio (lege : secundo); p. 81. lin. 4. text. gr. : ἐποιχοδομοῖ (l. ἐποιχοδομεῖ); p. 105. l. 8. ab infr. : φρονεῖ (l. φρονεῖν); p. 112. l. 3. : probabile (l. probabilis); p. 135. l. 13 a. i. : tranctans (l. tractans); p. 147. l. 4. text. gr. : χοιλιά (l. χοιλία); p. 152. l. 2. a. i. : *et Spiritu* (l. *et spiritu*); p. 153. l. 10 a. i. : confirmationis (l. conformationis). Quae et alia similia, quum leviora sint, legentibus molesta non fore spero.

Paris. — J. Mersch, imp., 4 bis, Av. de Châtillon